





Ex Libris A. Feliciani de Smogorzow
[illegible] Capnew Kamenecensis.

†

GENERALIS CHRONOLOGIA MVNDI;

In qua prodigiosa eius creatio, mira conseruatio, & pia reparatio; Item præcipuæ Hominum generationes, Imperia & Regna nobiliora, singulis eorum Principibus adductis, & tandem varij rerum euentus compendiosè describuntur.

Per R. P. F. PHILIPPVM A SANCTISSIMA TRINITATE, Primum Carmelitarum Discalceatorum Definitorem Generalem.

ad Varsaviam

Eremitarum Camaldulens. S.P. Romualdi ex legato M.D. Feliciani Wyzsowicz Capnei Naredens.



LVGDVNI,
Sumptib. ANTONII IVLLIERON Bibliopolæ & Typographi Cleri, in vico Racemi, sub signo duarum Viperarum.

M. DC. LXIII.
Cum Permissu Superiorum.



Clarissimo Domino,

D. GVILLELMO FERRERIO VRBIS ISTRIENSIS IVDICI, &c.

CVm sis unicus, CLARISSIME DOMINE, Te quasi trinum considerans veneror: ut Iudicem scilicet Vrbis Istriensis, ut Alumnum Domus inclytæ Ferreriorum, & ut singularem Personam. Sub hac trina consideratione procedens, venerationis, obseruantiæ, & gratitudinis Tibi monumentum exhibeo, præsens Opusculum tuo Nomini consecrando.

Dum Te considero Vrbis Istriensis Iudicem, venerabundus accedo ad Te primum huius Vrbis Magistrum, & in Te cæterorum Capite, Magistratus alios veneror, qui summo affectu no-

ſtram Religionem in ſua ditione ſuſceperunt, ac miris amicitiæ ſignis continuò fouent & amplectuntur: quorum exempla ſequitur populus, ad opera charitatis plurimùm inclinatus; apud quem hoc ſingulare pietatis opus vidi, quod pro ſingulis Ordinibus Religioſis Mendicantibus ſinguli ſint beneuoli receptores aſſignati. Huius Vrbis gloriam vlteriùs proſequor, dum opus inſigne refero nunc ab ipſa patratum, quod veterum Romanorum magnificentiam adæquat, & alienigenas ad videndum tale prodigium alliciet: Montem ad ducentas penè cannas intra mare paruum Marticenſe perforauit, vt adiacentem ſibi lacum illo foramine operto intra montem directo exonerans, & marinis aquis socians, aëris ſalubritati conſuleret, inundatos pinguiores campos ex vndis erueret, commercij maritimi viam aperiret, ſeque ipſam ab imminenti periculo ſubmerſionis ob continuum dicti lacus augmentum liberaret.

Dum Te domus inclytæ Ferreriorum alumnum nomino, tributum obſeruantiæ offero, primum Tibi, deinde reliquis Nobilibus & honeſtis eiuſdem nomenclaturæ familiis, quæ plurimum in hac Vrbe relucent multiplicatæ, maxima eſt

omnium

omnium Ferreriorum gloria, quod ex Hispania procedentes illustrissimi Sancti Vincentij Ferrerij se consanguineos esse gloriantur.

Dum Te ut singularem personam alloquor, grati animi signum exhibeo, cum Te eximium Benefactorem nostrum, & Cordialem Amicum semper expertus fuerim. Nostrum Fundatorem Dominum Stephanum de Cartier nostræ Religioni acquisiisti. Tot & tanta nobis exinde contulisti munera, quod apparent continua. Vix extra Conuentus nostri septa degere potes: Tuorum penè negotiorum cura neglecta, nostrorum curam suscipis: quod adeo cunctis notum est, ut cum virtuti non desint æmuli, si qui sint Tibi parum affecti, nobis auersum demonstrant animum quasi vindictam de Te sumentes. Tandem Maiorem Ecclesiæ nostræ capellam coustruxisti, relicto parentum sepulchro, vt etiam mortuus inter Carmelitas Discalceatos perseueres. Tota tua Familia in hoc erga nos affectu pio tibi simillima, siue venerabilem Patruum Sacerdotem, seu clarissimam Coniugem, seu vnicam, & dilectissimam filiam indicem, continuis nos deuincit beneficijs.


Non possum his obstrictus amplius silere:

vnde hunc ingenij mei fœtum, qui compendio redactam mundi continet historiam, tuo Nomini celebrando libenter consecro, & insuper diuinam exoro Maiestatem, vt Te, Tuosque cœlestibus repleat benedictionibus, quas tibi continuis votis exopto.

Tuæ Dominationis

Addictissimus & humilis seruus,
Fr. PHILIPPVS à Sanctissima
Trinitate. C.D.

Prologus



PROLOGVS.

MVndus hic à Deo Optimo Maximo conditus, Lector beneuole, Liber est eximius, cuius singulæ creaturæ sunt Authoris sui characteres, perfectiores, aut minùs perfecti, iuxta propriam cuiusque perfectionem; ita vt Intellectuales Angelicæ & humanæ, sint Dei Creatoris velut imagines; reliquæ verò quædam Diuinitatis vestigia, in quibus Diuinæ perfectiones artificio mirabili impressæ relucent. Virtus namque & perfectio causarum in propriis apparent effectibus; quia iuxta Philosophum *Vnumquodque agit in quantum est actu*, *& Nemo dat quod non habet*: Vnde cum omnes & singulæ creaturæ, Dei sint effectus æquiuoci, necessariò sequitur, quòd earum perfectiones in ipsis dispersæ ac variæ, sint summè vnitæ, ac eminentissimo quodam modo, in ipso Authore; & quod huiusmodi participatæ perfectiones summam Deitatis perfectionem omnium exemplarem repræsentent. Propterea de Cœlis ait Psalmista; *Cœli enarrant gloriam Dei*, *& opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Et Beatissimus Iob ad creaturas nos remittit, vt in ipsis attentè consideratis Deum authorem expressum inueniamus, & earum voce prædicatum velut in aureo Libro contemplemur: Et ita capite

12. ait; *Interroga iumenta, & docebunt te, Et volatilia cæli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris, Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit?*

Tam facilis est à Creaturis ad Deum Creatorem, ab illarum perfectione ad infinitam eius perfectionem ascensus, vt nullam circa hoc ignorantiam inuincibilem Theologi admittant: Dicit enim Apostolus ad Romanos capite 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus & Diuinitas: Ita vt sint inexcusabiles, quia cum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis; & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt &c.* Similiter Sapientiæ capite 13. damnantur homines, quòd istis visibilibus abutentes, tanquam vani & Dei scientia priuati, præ malitia nolentes hunc mundi librum legere, de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere Deum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset Artifex; cum tamen à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter possit creator horum videri.

Sed quia creaturarum perfectiones multis sunt imperfectionibus mixtæ, & vt tales in continuata huius libri euolutione videntur; maximè quia limitatæ ac transitoriæ sunt, quia generatio aduenit, & generatio præterit, transitque mundus & concupiscentia

concupiſcentia eius: Inde eſt, quòd ſapientes in huius libri meditatione, viſis creaturarum perfectionibus imperfectis, ab illis affectum remouent, & ad Diuinas perfectiones infinitè perfectas transferunt: Cum, vt ait Sanctus Gregorius, *pro magno diligi non debet, quidquid fine concluditur: illa appetenda, illa ſummoperè diligenda, quæ inuenta non tranſeunt, nec deficiunt adepta.*

Hunc tibi Librum, Lector beneuole, legendum offero: magnum illum Antonium imitare, qui die ac nocte in eius lectione ac contemplatione verſabatur, & ex hac contemplatione ad Diuina ſuauiter intuenda rapiebatur; ſicque Deo adhærebat immutabili, quòd inferiora omnia mutabilia deſpiceret, & cum Eccleſiaſte clamaret, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: Vidi cuncta quæ fiunt ſub Sole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.* Certè propria doctus experientia fateor, quòd nihil magis à creaturis abſtrahit, quàm ipſas experiri tranſitorias; Et nihil amplius mundi vanitatem demonſtrat, quàm continuas regnorum mutationes, & inclytarum olim ciuitatum ruinas intueri; quarum plures in Oriente, vt Babylonis, Ecbatanis, Tyri, Sidonis, Ptolemaïdæ &c. vidi. In his duplici te pabulo nutrire ac recreare, curioſitatis ſcilicet & deuotionis intendo, ac ſimul intellectum & voluntatem paſcere deſidero, & ad Deum ex his ſenſibilibus eleuare.

Poſſet hoc Opus multiplici via diuidi, in ſua duratione: Vel iuxta tres leges, naturalem ſcili-

cet, ſcriptam, & legem gratiæ, quæ æquali penè decurſu perdurarunt: vel iuxta mundi monarchias, quæ ſibi ſuccedentes omnia temporalia moderabantur : vel aliis pluribus modis, vt alij diuidunt. Sed ego ſanctos Patres, & ſenſum Eccleſiæ ſequutus, illud in ſex Ætates diuido, Infantiam videlicet, Pueritiam, Adoleſcentiam, Iuuentutem, Ætatem Virilem, ac Senectutem. Infantia ab eius creatione vſque ad Diluuium perdurat. Pueritia à Diluuio vſque ad natiuitatem Abrahæ : Adoleſcentia à natiuitate Abrahæ vſque ad Moyſen: Iuuentus à Moyſe vſque ad Dauid Regem : Ætas Virilis à Dauid Rege vſque ad Chriſtum: Senectus tandem à Chriſto vſque ad finem mundi.

Circa annorum computum variant Authores. Eccleſia, dum canit Chriſtum fuiſſe natum anno à creatione mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono, nec iam mundum perduraſſe ſex mille octingentos & quinquaginta ſex annos : quem numerum alij reformare volunt, vel ex Solis ac Lunæ notatis ecclipſibus, vel aliis titulis : nos annorum computum in ſingulis mundi Ætatibus ſequemur, iuxta authoritatem ſacræ Scripturæ, in qua ab ipſa mundi creatione vſque ad Salomonem certus eſt annorum numerus, aſſignatis vitæ ſingulorum Patriarcharũ, Iudicum & Regum Iudæorum annis. Poſt Salomonem vſque ad Chriſtum natum non ita determinati ſunt anni. Vnde ex hac indeterminatione, & ex varia annorum intelligentia in primis mundi ſæculis tanta proceſſit Au-

thorum

thorum diſcrepantia, quòd Aliqui à prædicto Eccleſiæ computo pluſquam mille ac centum annos adimant. Propter hanc diuerſitatem annorum vſquè ad tempora Chriſti non ita præciſos indico annos, nec concurrentes Principum in diuerſis mundi regnis ſucceſſus præcisè ſimul annumero, ſignificans tantùm dictos Principes inuicem concurriſſe, ne tanta Authorum varietate deceptus in aliquam inciderem contradictionem.

Hiſtoriam prophanam ad Sacram refero, velut ad certam Regulam. Tum quia hiſtoria ſacra, vtpote à Deo reuelata, eſt certiſſima; prophana verò ſuorum fallibili relatione Authorum titubat. Tum quia naturali ordine minùs perfecta ad perfectiora reducuntur: Vnde cum ſancti Patriarchæ alijque viri illuſtres ſint obiectum hiſtoriæ ſacræ, tanquam Domeſtici Dei; non mirum, ſi de ipſis in Chronologia noſtra principaliter agitur; de aliis, verò hiſtoriæ prophanæ ſubiectis tantùm acceſſoriè, licet vt mundi Principes & Monarchæ etiam in prædictos Dei famulos ac Ciues Sanctorum dominarentur.

Mirabitur fortè aliquis, cur ipſe poſt tot alios inſignes Hiſtoricos Generalis Chronologiæ, qui tam accuratè mundi hiſtoriam deſcripſerunt, Compendium hoc ediderim? Sed ſciat ille, me vtilitati propriæ, & aliorum commoditati conſuluiſſe: Volui ipſe meo labore hiſtoriam generalem addiſcere, ac memoriæ impreſſam conſeruare: Volui ſimul aliorum ſubleuare laborem,

qui

qui in reuoluendis plurimùm diffusis historicorum Commentariis solet esse maximus. Vnde hoc compendium generalis historiæ decreui edere, in quo rerum substantiæ continentur satis dilucidè, & non confusè tantùm, vt in aliquibus aliis vidi compendiis. Et sic experieris Lector, si Librum diligenter reuolueris, quòd generalem mundi historiam quantùm ad substantiam consequeris (circunstantiæ quippe vix memoria retineri possunt) & perfectam eius idæam efformabis. Vale & fruere meo labore.

Approbatio

Approbatio Theologorum Ordinis.

NOs Fr. Martialis à Sancto Paulino Visitator Generalis Prouinciæ Burgundiæ Sancti Claudij Carmelitarum Discalceatorum, necnon Sacræ Theologiæ Professor, & Fr. Dorothæus à Sancto Martiali item Sacræ Theologiæ Prælector, ex commissione R. P. N. Dominici à Sanctissima Trinitate Ordinis nostri Præpositi Generalis, perlegimus *Generalem Chronologiam Mundi à R. P. N. Philippo à Sanctißima Trinitate, primo Ordinis nostri Diffinitore Generali* compositam, in qua nihil nisi sanum & solidum, nihilque quod non sapiatiam toto Orbe probatissimam Authoris doctrinam reperimus, quapropter opus dignum publicâ luce iudicamus. In quorum fidem subscripsimus Lugduni in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo die 30. Augusti 1662.

Fr. MARTIALIS à S. PAVLINO Car. Disc. Visitator Generalis Prouinciæ Burgundiæ.

Fr. DOROTHÆVS à S. MARTIALI Carmelita Discalceatus.

Facultas

Facultas Ordinis.

FR. DOMINICVS à SS. TRINITATE Præpoſitus Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum; Cum Opus, cuius titulus, *Generalis Chronologia Mundi*, à Reuerendo admodum Patre noſtro Philippo à Sanctiſſima Trinitate, primo Definitore Generali Compoſitum, duo Theologi ex Noſtris, quibus id commiſimus, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; quantum ad nos attinet facultatem concedimus vt Typis mandetur, in quorum fidem præſentes dedimus ſigillo noſtro munitas, ac propria manu ſubſcriptas, Romæ in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ de Scala, die 23. Maij 1662.

Fr. DOMINICVS à SS. TRINITATE
Præpoſitus Generalis.

Fr. SALVATOR à S. FRANCISCO
Secretarius.

Approbatio

Approbatio Doctorum Facultatis Parisiensis.

GEneralem *Mundi Chronologiam* à Reuerendo admodum Patre Philippo à Sanctissima Trinitate Carmelita Excalceato in Compendium redactam, non minus æstimatione quam approbatione dignam nos infrà scripti Doctores Theologi Parisienses judicauimus, hac die 14. Octobris 1662.

Fr. IOANNES ROBE' Ord. Prædicatorum.

Fr. STEPHANVS MOLIN Carmelita.

Licentia Ordinarij.

VIsa Attestatione superiori huius *Generalis Chronologiæ Mundi* editioni lubenter annuimus. Lugduni die 20. Octobris 1662.

DENEVFVILLE Vic. Generalis.

Permission

Permiſſion des Gens du Roy.

VEuës les Approbations cy-deſſus, Ie n'empeſche pour le Roy, que le Liure intitulé *Generalis Chronologia Mundi, per Reuerendum P. F. Philippum à Sanctiſsima Trinitate*, ſoit imprimé & mis au jour par Antoine Iullieron Maiſtre Imprimeur de cette Ville, auec deffenſes à tous autres en tel cas requiſes & accouſtumées. A Lyon ce vingt-vniéme Octobre mil ſix cens ſoixante-deux.

VIDAVT Procureur du Roy.

SOit fait conformement aux Concluſions du Procureur du Roy, Ce vingt-troiſiéme Octobre mil ſix cens ſoixante-deux.

DVSAVZEY Lieutenant particulier.



SVMMI PONTIFICES, IMPERATORES, Reges, ac principales orbis terrarum Principes.

HIc ſimul apponendos duxi præcipuos mundi Monarchas, tum ad Lectoris commoditatem, tum quia plures eorum non potuerunt iuxta ſui temporis ſeriem adaptari hiſtoriæ. Primò ponimus Summos Pontifices, tanquam Dei vicarios in vtraque lege: Deinde Imperatores quatuor monarchiarum iuxta ſucceſſionis ordinem: Exinde Reges populi fidelis in antiqua lege; & in noua lege Reges Galliæ, tum quia ſunt filij Eccleſiæ primogeniti, tum quia Imperium Romanum in Occidente habuerunt hæreditarium: Denique adducimus alios per diſtributionem accommodam trium terræ partium, ac propriarum ditionum.

SVMMI PONTIFICES IVDÆORVM cum annis Pontificatus ipſorum.

AAron frater Moyſis.	39	Achaias ſeu Achimelech.	13
Eleazar.	18	Abiathar.	46
Phinees.	40	Sadoch.	39
Abiſuë.	56	Achimas.	17
Boccus.	24	Azarias.	18
Ozus.	40	Iohanan.	26
Zaraias.	40	Azarias.	17
Meraioth.	33	Amarias.	13
Amarias.	36	Ioiada.	34
Achitob.	20	Pedaias ſeu Zacharias.	12
Heli.	40	Sedecias.	29
Samuel.	39	Ioël ſeu Azarias.	52
Achitob.	22	Ioatham.	16

Vrias.	15
Nerias.	29
Osaias seu Odea.	6
Eliacim seu Ioacim.	49
Sellum.	2
Helcias.	31
Azarias.	10
Saraias.	11
Iosedech.	70
Iosuë.	51
Ioacim.	22
Eliasib.	40
Ioiada.	20
Ionathas.	40
Ieddoas seu Iaddus.	41
Onias.	24
Simon.	12
Eleazar.	32
Manasses.	10
Onias II.	14
Simon II.	25
Onias III.	36
Iason & Menelaus Pseudo-pontifices.	6
Mathatias.	1
Iudas.	6
Ionathas.	19
Simon III.	8
Ioannes Hircanus.	31
Aristobulus.	1
Iannæus.	27
Hircanus.	49
Ananelus.	6
Iesus.	1
Simon IV.	21
Matthias.	2
Ioazar.	2
Eleazar.	3
Iesus.	2
Annas seu Ananus.	6
Ismaël.	1
Eleazar.	1
Simon V.	1
Ioseph Caiphas.	16

Sub quo moritur Christus Dominus, & deficiente lege antiqua Pontificatus ad legem gratiæ transfertur.

SVMMI PONTIFICES CHRISTIANORVM cum annis Pontificatus ipsorum.

IEsus Christus filius Dei.	33
Petrus Apostolus.	37
Linus.	11
Cletus.	13
Clemens.	10
Anacletus.	9
Euaristus.	9
Alexander.	10
Sixtus.	11
Telesphorus.	12
Hyginus.	4
Pius.	9
Anicetus.	8
Soter.	4
Eleuterius.	15
Victor.	9

Zephirinus.	18	Symmachus.	16
Calliſtus.	5	Hormiſda.	9
Vrbanus.	7	Ioannes.	3
Pontianus.	4	Felix IV.	4
Antherus.	menſ. 1	Bonifacius II.	1
Fabianus.	17	Ioannes. II.	4
Cornelius.	1	Agapitus.	1
Lucius.	2	Syluerius.	4
Stephanus.	3	Vigilius.	15
Sixtus. II.	1	Pelagius.	4
Dionyſius.	11	Ioannes III.	13
Felix.	3	Benedictus. I.	4
Eutychianus.	8	Pelagius II.	12
Caius.	13	Gregorius Magnus.	14
Marcellinus.	8	Sabinianus.	menſ. 6
Marcellus.	5	Bonifacius III.	menſ. 9
Euſebius.	2	Bonifacius. IV.	7
Melchiades.	2	Deus dedit ſeu Adeodatus.	3
Silueſter.	22	Bonifacius V.	8
Marcus.	menſ. 9	Honorius.	12
Iulius.	16	Seuerinus.	menſ. 4
Liberius & Felix II.	15	Ioannes. IV.	2
Damaſus.	17	Theodorus.	7
Siricius.	13	Martinus.	5
Anaſtaſius.	4	Eugenius.	1
Innocentius.	15	Vitalianus.	14
Zozimus.	2	Adeodatus II.	8
Bonifacius.	5	Donus ſiue Domnus.	2
Celeſtinus.	9	Agathon.	4
Sixtus III.	8	Leo II.	1
Leo Magnus. I	21	Benedictus II.	menſ. 8
Hilarus ſeu Hilarius.	6	Ioannes V.	1
Simplicius.	15	Conon.	12
Felix III.	9	Sergius.	14
Gelaſius.	5	Ioannes VI.	3
Anaſtaſius II.	2	Ioannes VII.	3

Siſinnius.	diebus 20
Conſtantinus.	6
Gregorius II.	17
Gregorius III.	10
Zacharias.	10
Stephanus II.	diebus 4
Stephanus III.	5
Paulus.	10
Stephanus IV.	4
Hadrianus.	23
Leo III.	21
Stephanus V.	menſ. 7
Paſchalis.	7
Eugenius II.	3
Valentinus.	diebus 40
Gregorius IV.	16
Sergius II.	3
Leo IV.	8
Benedictus III.	3
Nicolaus.	9
Hadrianus II.	5
Ioannes VIII.	10
Marinus ſeu Martinus II.	2
Hadrianus III.	1
Stephanus VI.	6
Formoſus.	7
Stephanus VII.	3
Romanus.	menſ. 5
Theodorus II.	dies 20
Ioannes IX.	3
Benedictus IV.	2
Leo V.	menſ. 2
Anaſtaſius III.	2
Landus.	menſ. 3
Ioannes X.	16
Leo VI.	menſ. 7
Stephanus VIII.	2
Ioannes XI.	5
Leo VII.	3
Stephanus IX.	4
Marinus ſeu Martinus. III.	3
Agapitus II.	10
Ioannes XII.	8
Benedictus V.	2
Ioannes XIII.	7
Donus ſiue Domnus II. m.	3
Benedictus VI.	1
Benedictus VII.	9
Ioannes XIV.	1
Ioannes XV.	10
Ioannes XVI.	menſ. 4
Gregorius V.	3
Silueſter II.	4
Ioannes XVII.	menſ. 5
Ioannes XIX.	6
Sergius III.	3
Benedictus VIII.	12
Ioannes XIX.	9
Benedictus IX.	11
Gregorius VI.	2
Clemens II.	1
Damaſus II.	dies 20
Leo ~~IX.~~ VIII	6
Victor II.	2
Stephanus X.	1
Nicolaus II.	3
Alexander II.	12
Gregorius VII.	12
Victor III.	2
Vrbanus II.	12
Paſchalis II.	19
Gelaſius II.	1

Calliſtus.

Callistus II.	6	Benedictus XI	7
Celestinus II.	diem 1	Clemens VI.	10
Honorius II.	6	Innocentius VI.	10
Innocentius II.	13	Vrbanus V.	8
Celestinus II.	mens. 6	Gregorius XI.	7
Lucius II.	1	Clemens VII.	14
Eugenius III.	8	Benedictus XII	23
Anastasius IV.	2	Vrbanus VI.	11
Hadrianus IV.	5	Bonifacius IX.	15
Alexander III.	22	Innocentius VII.	2
Lucius III.	4	Gregorius XII.	3
Vrbanus III.	2	Alexander V.	1
Gregorius VIII.	mens. 2	Ioannes XXIII.	5
Clemens III.	3	Martinus V.	15
Celestinus III.	7	Eugenius IV.	16
Innocentius III.	19	Nicolaus V.	8
Honorius III.	11	Callistus III.	3
Gregorius IX.	15	Pius II.	6
Celestinus IV.	dies 18	Paulus II.	7
Innocentius IV.	6	Sixtus IV.	13
Alexander IV.	7	Innocentius VIII.	8
Vrbanus IV.	3	Alexander VI.	1
Clemens IV.	4	Pius III.	dies 26
Gregorius X.	6	Iulius II.	9
Innocentius V.	mens. 5	Leo X.	8
Hadrianus V.	mens. 2	Hadrianus VI.	2
Ioannes XX.	mens. 9	Clemens VII.	11
Nicolaus III.	3	Paulus III.	15
Martinus IV.	4	Iulius III.	6
Honorius IV.	2	Marcellus II.	dies 21
Nicolaus IV.	4	Paulus IV.	4
Celestinus V.	1	Pius IV.	6
Bonifacius VIII.	9	Pius V.	6
Benedictus XI	mens. 9	Gregorius XIII.	15
Clemens V.	9	Sixtus V.	5
Ioannes XXII.	18	Vrbanus VII.	dies 13

Gregorius XIV.	1	Gregorius XV.	3
Innocentius IX.	menſ. 2	Vrbanus VIII.	22
Clemens VIII.I	13	Innocentius X.	10
Leo XI	dies 24	Alexander VII.	
Paulus V.	17	Innocentius 12	
		Clemens . 11 .	
		Innocentius 13.	

PROPHETIA S. MALACHIÆ Archiepiſcopi Armachani, totius Hiberniæ Primatis, ac Sedis Apoſtolicæ Legati, de Summis Pontificibus, cum interpretatione R. P. F. Alphonſi Ciacconis Dominicani.

Prophetia.	*Pontifices.*	Interpretatio.
Ex caſtro Tyberis.	Celeſtinus II.	*Typhernas, Typhernum ad Tyberim dicitur vulgo ciuitas de Caſtello.*
Inimicus expulſus.	Lucius II.	*Ex familia Caccia nemica.*
Ex magnitudine montis.	Eugenius III.	*Patria Etruſcus ex oppido montis magni.*
Abbas Suburranus.	Anaſtaſius IV.	*De familia Suburra, Abbas S. Rufi.*
De rure Albo.	Adrianus IV.	*Vilis natus in oppido S. Albani in Anglia.*
Ex tetro carcere.	Victor IV. Antipapa.	*Fuit Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano.*
Via Tranſtyberina.	Calliſtus III. Antipapa.	*Guido Cremenſis Cardinalis S. Mariæ trans Tyberim.*
De Pannonia Thuſciæ.	Paſchalis III. Antipapa.	*Hungarus natione, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.*
Ex Anſere cuſtode.	Alexander III.	*De familia Paparona.*
Lux in oſtio.	Lucius III.	*Lucenſis, Cardinalis Oſtienſis.*
Sus in cribro.	Vrbanus III.	*Familia Cribella quæ ſuem pro armis gerit.*
Enſis Laurentij.	Gregorius VIII.	*Cardinalis S. Laurentij Lucinæ, cuius inſignia enſes falcati*
De ſchola exiet.	Clemens III.	*Romanus domo ſcholari.*
De rure bouenſi.	Celeſtinus III.	*Familia Bouenſi.*

Comes

Comes signatus.	Innocentius III.	*Familia Comitum Signia.*
Canonicus de Latere.	Honorius III.	*Familia Sabella Canonicus S. Ioannis Lateranensis.*
Auis Ostiensis.	Gregorius IX.	*Ex Comitibus Signiæ Episcopus Cardinalis Ostiensis.*
Leo Sabinus.	Celestinus IV.	*Cuius insignia Leo, Episcopus Cardinalis Sabinus.*
Comes Laurentius.	Innocentius IV.	*Domo Flisca Comes Lauaniæ Card. S. Laurent. in Lucina.*
Signum Ostiense.	Alexander IV.	*De Comitibus Signiæ Episcopus Cardinalis Ostiensis.*
Hierusalem Campaniæ.	Vrbanus IV.	*Gallus Trecensis in Campania, Patriarcha Hierusalē.*
Draco depressus.	Clemens IV.	*Cuius insignia Aquila vnguibus draconem tenens.*
Anguinus vir.	Gregorius X.	*Familia Vicecomitum qui anguem pro insigni gerunt.*
Concionator Gallus.	Innocentius V.	*Ordinis Prædicatorum natione Gallus.*
Bonus Comes.	Adrianus V.	*Ottobonus Familia Flisca ex Comitibus Lauaniæ.*
Piscator Thuscus.	Ioannes XXI.	*Antea Ioannes Petrus Episcopus Cardin. Tusculanus.*
Rosa composita.	Nicolaus III.	*Familia Vrsina, quæ rosam in insigni gerit, dictus compositus.*
Ex telonio liliaci Martini.	Martinus IV.	*Cuius insignia lilia, Thesaurarius S. Martini Turonēsis.*
Ex rosa Leonina.	Honorius IV.	*Familia Sabella, cuius insignia Rosa à Leonibus gestata.*
Picus inter escas.	Nicolaus IV.	*Piscenus, patria Esculanus.*
Ex eremo celsus.	Celestinus V.	*Vocatus Petr. de morone Eremita, celsus autē, & morone Italicè est morus magna.*
Ex vndarum benedictione.	Bonifacius VIII.	*Vocatus Benedictus Caietanus, cuius insignia Vnda.*
Concionator Patereus.	Benedictus XI.	*Vocatus Frater Nicolaus, Ordinis Prædicatorum.*
De Fessis Aquitanicis.	Clemens V.	*Natione Aquitanus, cuius insignia Fessæ erant.*
De Sutore osseo.	Ioannes XXII.	*Gallus familia Ossa, sutoris filius.*
Coruus schismaticus.	Nicolaus V. Antipapa.	*Vocatus Frater Petrus de Corbario Minorita.*

Frigidus Abbas.	Benedictus XII	*Abbas monasterij fõtis frigidi*
De Rosa Atrebatensi.	Clemens VI.	*Episcopus Atrebatensis, cuius insignia Rosa.*
De mõtibus Pammachij.	Innocentius VI.	*Card.SS.Ioann.& Pauli, titulo, Pammachij, cuius insignia montes.*
Gallus Vicecomes	Vrbanus V.	*Nuntius Apostolicus ad Vicecomitem Mediolani.*
Nouus de Virgine forti.	Gregorius XI.	*Vocatus Petrus Belfortis, Cardinalis S.Mariæ nouæ.*
De cruce Apostolica.	Clemens VII.	*Fuit Præsbiter Card.SS.Duodecim Apostolorũ, cuius insignia crux.*
Luna Cosmedina	Benedictus XIII.	*Petrus de Luna Cardinalis Diac.S.Mariæ in Cosmedin.*
Schisma Barcinonicum.	Clemens VIII. Antipapa.	*Qui fuit canonicus Barcinonensis.*
De Inferno Prægnanti.	Vrbanus VI.	*Neapolit.Prægnanus, natus in dicto Inferno.*
Cubus de mixtione.	Bonifacius IX.	*Neapolitanus familiæ Thomacella Genuensi, cuius insignia Cubi.*
De meliori Sydere.	Innocentius.VII.	*Vocatus Cosmatus de melioratis, cuius insignia Sydus.*
Nauta de Ponte Nigro.	Gregorius XII.	*Venetus, Commendatarius Ecclesiæ Negropontensis.*
Flagellum Solis.	Alexander V.	*Græcus, Archiep. Mediolani, Cuius insignia Sol.*
Ceruus Sirenæ.	Ioannes XVIII.	*Diac. Cardin. S.Eustachij qui cum Ceruo depingitur, Boloniæ Legatus Neapolitanus.*
Corona Veli aurei.	Martinus V.	*Familia Columna Diac. Car. S. Georgij ad Velum aureum.*
Lupa Celestina.	Eugenius IV.	*Canonicus Regularis Celestinus Episcopus Senensis.*
Amator Crucis.	Felix V.	*Amadeus antea Dux Sabaudiæ, cuius insignia crux.*
De modicitate Lunæ.	Nicolaus V.	*Lunensis de Saxonia, humilibus ortus parentibus.*
Bos pascens.	Callistus III.	*Hispanus cuius insignia Bos pascens.*
De Capra & Albergo.	Pius II.	*Qui fuit à secretis Card. Capranicæ & Albergati.*

De

De Ceruo & Leone.	Paulus II.	*Venetus Commendator Ecclesiæ Ceruiensis, Card. S. Marci.*
Piscator minorita.	Sixtus IV.	*Piscatoris filius Franciscanus.*
	Innocẽtius VIII.	
Bos Albanus in portu.	Alexander VI.	*Episcop. Card. Albanus & Portuensis, insignia Bos.*
De Paruo homine.	Pius III.	*Senensis familia Picolominea.*
Quercus Iouis iuuabit.	Iulius II.	*Cuius insignia Quercus Iouis arbor, nomen de Ruuere.*
De craticula Politiana.	Leo X.	*Filius Laurentij Medices, scholaris Angeli Politiani.*
Leo Florentinus.	Adrianns VI.	*Florentij filius, eius insignia Leo.*
Flos pilei Ægri.	Clemens [redacted] 9	*Florentinus de domo Medicea eius insignia Pila & Lilia.*
Hiacynthus medicorum.	Paulus III.	*Farnesius qui lilia in insignibus gestat, Card. SS. Cosmæ & Damiani.*
De corona montana.	Iulius III.	*Antea vocatus Ioannes Maria de monte.*
Frumentum floccidum.	Marcellus II.	*Cuius insignia ceruus & frumentum, ideò floccidum quòd parum vixit in pontificatu.*
De fide Petri.	Paulus IV.	*Antea vocatus Ioannes Petrus Carrafa.*
Esculapij pharmacum.	Pius IV.	*Antea dictus Ioannes Angelus Medices.*
Angelus nemorosus.	Pius V.	*Michaël vocatus, natus in oppido Boschi.*
Medium corpus pilatum.	Gregorius XIII.	*Cuius insignia medius draco adiuncto Pilarum scuto Pij IV. à quo creatus fuit Cardinalis.*
Axis in medietate signi.	Sixtus V.	*Qui axem in medio Leonis in armis gestat.*
De rore cœli.	Vrbanus VII.	*Archiepiscopus Rossanensis in Calabria, vbi manna colligitur.*
Ex antiquitate vrbis.	Gregorius XIV.	*Sfondratus.*
Pia ciuitas in bello.	Innocentius IX.	*Fachinetus.*

Crux Romulea.	Clemens VIII.	*Aldobrandinus.*
Gens peruersa.	Leo XI.	*Medices.*
In tribulat. pacis.	Paulus V.	*Borghesius.*
	Gregorius XV.	*Ludouisius.*
Lilium & Rosa.	Vrbanus VIII.	*Barbarinus.*
Iucunditas crucis.	Innocentius X.	*Electus in exaltat. S. crucis.*
Montium custos.	Alexander VII.	*Cuius insignia montes & quercus.*
Sidus olorum.		
De flumine magno		
Bellua insatiabilis.		
Pœnitētia gloriosa		
Rastrum in porta.		
Flores circundati		
De bona religione.		
Miles in bello.		
Columna excelsa.		
Animal rurale.		
Rosa Vmbriæ.		
Vrsus velox.		
Peregrinus Apostolicus.		
Aquila rapax.		
Canis & coluber.		
Vir religiosus.		
De balneis Etruriæ.		
Crux de cruce.		
Lumen in cœlo.		
Ignis ardens.		
Religio depopulata.		
Fides intrepida.		
Pastor Angelicus.		
Pastor & nauta.		
Flos florum.		
De medietate Lunæ.		
De labore Solis.		
Gloria oliuæ.		

In persecutione extrema Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sedebit Petrus Romanus, qui pascet oues in multis tribulationibus; quibus transactis ciuitas septicollis diruetur, & Iudex tremendus iudicabit populum suum. Finis Prophetiæ.

SERIES

SERIES IMPERATORVM PRIMÆ Assyriorum & Chaldæorum Monarchiæ.

Nemrod seu Belus.	
Ninus.	52
Semiramis.	42
Ninyas.	38
Arius.	30
Aralius.	40
Balæus seu Xerces.	30
Armamitres.	38
Belochus.	35
Balæus. II.	52
Althadas.	32
Mamythus.	30
Machalæus.	28
Sphærus.	40
Mamylus.	30
Sparetus.	40
Ascades.	40
Amyntes.	45
Belochus II.	25
Bellepares.	30
Lamprides.	30
Sosares.	20
Lampares.	30
Panyas.	45
Sosarmus.	19
Mithræus.	29
Teutanes.	32
Tautæus.	40
Thinæus.	30
Dercylas.	40
Eupales.	38

Laosthenes.	45
Pyriciades.	30
Ophratæus.	20
Ophratanes.	50
Acrazapes.	42
Sardanapalus.	20

Hoc pereunte & rebellantibus Babyloniis ac Medis scinditur hæc Monarchia.

Phul.	48
Theglat-Phalazar.	25
Salman-Assar.	17
Sennacherib.	7
Asarhadon.	10

Hoc superato rediit Curia ad Chaldæos.

Merodrac Baladan.	12
Ben-Merodrac.	24
Nabolassar.	29
Nabuchodonosor.	43
Euilmerodach.	23
Niglisar.	4
Labosardac.	1
Balthassar.	17

Hoc mortuo, & capta Babilone deficit hæc prima mūdi Monarchia, & incipit secunda Persarum ac Medorum.

SERIES REGVM ET IMPERATORUM Secundæ Persarum & Medorum Monarchiæ.

ARbaces.	28
Mandanes.	50
Sosarmus.	30
Articas.	50
Arbianes.	22
Arseus.	40
Artices.	22
Astibares.	40
Astiages.	35

Hic incipit secunda Mundi Monarchia.

Darius.	1
Cyrus.	7
Cambyses.	7
Smerdis.	1
Darius II.	35
Xerxes.	20
Artaxerxes.	40
Xerxes II.	45
Sogdianus.	1
Darius III.	19
Artax erxes II.	40
Artaxerxes III.	26
Arses.	4
Darius IV.	9

Hoc pereunte desinit Secunda mundi Monarchia, & incipit tertia Græcorum. Postea tamen regnum Persidis reparatur.

Arsaces.	
Arsaces II.	
Prahartes.	12
Pharnaces.	
Mithridates.	
Phrahartes II.	
Artabanus.	
Mithridates II.	
Orodes.	
Phrahartes III.	
Phrahartes IV.	
Orodes II.	
Vonones.	
Artabanus II.	
Gotarzi.	
Vonones II.	
Vologeses I.	
Artabanus III.	
Pacorus.	
Chosroas.	
Vologeses II.	
Vologeses III.	
Artabanus IV.	
Artaxerxes.	
Sapor.	31
Hormisda.	1
Varanes.	3
Varanes II.	10

Varanes

Varanes III.	1
Narſes.	8
Hormiſdates.	8
Sapor II.	70
Artaxerxes II.	4
Sapor III.	5
Varanes IV.	11
Iſdegerdes.	21
Varanes V.	21
Iſdegerges II.	17
Perozes.	20
Valens.	4
Cabades.	41
Zambaſe.	
Saha.	
Adaana.	
Choſroas I.	48
Hormiſda II.	8
Choſroas II.	38
Siroës.	8
Adeſir.	1
Sarbaras.	
Siahriar.	
Coſroas.	
Beraina cum Bornaim.	
Hormiſda III.	
Azurmi cum Ferochzad.	
Ieſdagird.	

Hoc pereunte regnum à Saracenis vſurpatur quod 13. Chriſti ſæculo refloret iterum.

Haiton.	6
Abaga.	21
Tangador.	2
Argon.	4
Regaytus.	4
Baidon.	1
Caſſan.	8
Cambaya.	
Carbandes.	
Filius anonimus.	
Gempſa Parthus.	
Tamberlan.	46
Tzochius.	22
Tzochius II.	18
Trauires.	
Vſumcaſſan.	
Iacobus.	
Iulanerus.	
Bayſingirus.	
Ruſtanus.	
Agniatus.	
Carabes.	
Acuantes.	
Iſmahel Sophi.	24
Tahamas.	52
Iſmahel II.	1
Mahameth.	7
Xa-abbas.	43
Sephi.	20
Abbas II.	

SERIES IMPERATORVM Tertiæ Græcorum Monarchiæ.

ALexander Magnus.	6	Demetrius II.	
Seleucus Nicanor.		Antiochus.	
Antiochus Soter.	20	Triphon.	
Antiochus Theos.	15	Antiochus Sidetes.	
Seleucus Gallinicus.	20	Alexander Zebenna.	
Seleucus Ceraunus.	3	Antiochus Gryphus.	
Antiochus Magnus.	37	Antiochus Cyzicenus.	
Seleucus Philopater.	12	Seleucus V.	
Antiochus Epiphanes.		Antiochus Eusebes.	
Antiochus Eupator.		Tigranes.	
Demetrius Soter.		Antiochus Cyziceni filius.	
Alexander Nobilis.			

SERIES REGVM ET IMPERAtorum quartæ Romanorum Monarchiæ.

ROmulus.	33	Caius Caligula.	4
Numa Pompilius.	40	Tyberius Claudius.	13
Tullus Hostilius.	32	Domitius Nero.	
Ancus Martius.	25	Sergius Galba.	mens.7
Tarquinius Priscus.	38	M. Siluius Otho.	mens.3
Seruius Tullius.		Aulus Vitellius.	mens.8
Tarquinius Superbus.		Flauius Vespasianus.	10
Hoc pulso stabilitur Respublica, deinde quarta mundi Monarchia fundatur.		Titus Vespasianus.	3
		Domitianus.	15
		Traianus.	20
		P. Ælius Adrianus.	22
Iulius Cæsar.	4	Antoninus Pius.	24
Ouctauianus Augustus.	57	Marcus Aurelius cum Lucio Vero.	19
Tyberius-Cæsar.	23		

Commodus

Commodus.
Ælius Pertinax. menſ.3
Septimius Seuerus. 20
Antoninus Caracalla.
Macrinus. 1
M. Aurelius Antoninus.
Alexander. 13
Maximinus.
Gordianus.
Philippus Chriſtianus cum filio etiam Philippo.
Decius. 2
Gallus cum Voluſiano.
Valerianus cum Gallieno.
Claudius. 3
Quintillus. diebus 17
Domit. Aurelianus. 7
Tacitus. menſ.6
Florianus. menſ.2
Valerius Probus. 4
M. Aurelius Carus. 1
Carinus & Numerianus. 2
Diocletianus & ſimul.
Maximianus. 19
Conſtantius Chlorus & Galerius Maximianus. 2
Conſtantinus Magnus. 31
Conſtantinus, Conſtans & Conſtantius. 24
Iulianus Apoſtata. 2
Iouianus. menſ.8
Valentinianus & Valens. 12
Gratianus & Valentinianus 18.
Theodoſius. 16
Arcadius & Honorius. 28
Theodoſius II. & Valentinianus III. 27
Marcianus cum Maximo & Auito. 7
Leo Magnus cum Maioriano, Seuero, Anthemio, Olibrio & Glyſſerio ſucceſſiuè. 17
Zenon Iſauricus. 17
Anaſtaſius cum Iulio nepote, Oreſte, & Momilio. 27
Iuſtinus. 9
Iuſtinianus. 38
Iuſtinus II. 17
Tyberius. 4
Mauricius. 16
Phocas. 8
Heraclius. 31
Conſtantinus III. m.4
Heracleonas. m.6
Conſtans II. 4
Conſtantinus IV. 15
Iuſtinianus II. 9
Leontius. 3
Philippicus. 3
Anaſtaſius II. 1
Theodoſius III. 2
Leo Iſauricus. 25
Conſtantinus V. 34
Leo IV. 5
Conſtantinus VI. cum Irene matre. 22
Nicephorus. 9
Stauratius. m. 2.
Michaël Curopalata. 2
Leo V. Armenus. 7

Michaël II.	9
Theophilus.	13
Michaël III.	25
Baſilius.	9
Leo VI.	23
Alexander II. cum Conſtantino VII.	49
Romanus.	3
Nicephorus.	6
Ioannes Zemiſca.	5
Baſilius II. cum Conſtantino VIII.	54
Romanus Argyrophilus.	6
Michaël IV.	7
Michaël V.	5
Conſtantinus IX.	8
Michaël VI.	1
Iſaac Comnenus.	2
Conſtantinus X.	8
Romanus Diogenes.	3
Michaël VII.	7
Nicephorus III.	2
Alexius Comnenus.	38
Ioannes Comnenus.	22
Emmanuel.	38
Alexius II.	3
Andronicus.	2
Iſaac Angelus.	10
Alexius III.	8
Alexius IV.	1
Alexius V.	1
Baldoinus.	2
Henricus.	10
Petrus.	6
Robertus.	7
Baldoinus II.	30
Michaël VIII.	24
Andronicus.	49
Andronicus II.	9
Ioannes.	43
Emmanuel II.	34
Ioannes.	23
Conſtantinus XI.	12

Hoc à Turcis occiſo deſiit in Oriente Imperium. In occidente verò cœpit anno 800.

Carolus Magnus.	1
Ludouicus Pius.	26
Lotharius.	15
Ludouicus II.	20
Carolus II.	2
Ludouicus III.	2
Carolus III.	9
Arnulphus.	11
Ludouicus IV.	5
Lambertus.	20
Conradus I.	
Henricus I.	
Otho I.	
Otho II.	10
Otho III.	19
S. Henricus I.	10
Conradus.	12
Henricus II.	10
Henricus III.	22
Henricus IV.	14
Lotharius II.	5
Conradus II.	14
Federicus I.	38
Henricus V.	8

Otho.

Otho.	18	Robertus.	10
Federicus II.	27	Sigismundus.	26
Henricus.		Albertus II.	2
Guillelmus.		Federicus.	53
Conradus.		Maximilianus.	25
Richardus.		Carolus V.	39
Rodulphus.		Ferdinandus I.	6
Albertus I.	9	Maximilianus II.	10
Henricus.	6	Rodulphus II.	36
Ludouicus.	33	Matthias.	7
Carolus.	13	Ferdinandus II.	29
Venceslaus.		Ferdinandus III.	9
Federicus.		Leopoldus.	

SERIES IVDICVM, REGVM, ET Ducum Iudæorum.

Iudices.		*Iudices.*	
Moyses.	40	Iair.	22
Iosuë.	17	Iephte.	6
Othoniel.	40	Abesan.	7
Aod.	80	Ahialon.	10
Debbora.	40	Abdon.	8
Gedeon.	40	Samson.	20
Abimelech.		Heli.	40
Thola.	23	Samuël.	30

Hic fundatur Regnum.

Reges.		*Reges.*	
Saül.	18	Salomon.	40
Dauid.	40	Roboam.	17

Hic scinditur Regnum.

Reges Iuda.		*Reges Israël.*	
Abias.	3	Ieroboam.	22

Aſa.	41	Nadab.	2
Ioſaphat.	25	Baaſa.	24
Ioram.	8	Ela.	2
Ochozias.	1	Zambri.	dies 7
Ioas.	40	Amri.	12
Amaſias.	29	Achab.	22
Ozias ſeu Azarias.	52	Ochozias.	2
Ioatham.	16	Ioram.	12
Achaz.	16	Iehu.	28
Ezechias.	29	Ioachaz.	17
Manaſſes.	55	Ioas.	16
Amon.	2	Ieroboam II.	41
Iozias.	31	Zacharias.	menſ. 6
Ioachaz.	menſ. 3	Sellum.	menſ. 1
Ioakim.	11	Manahen.	10
Ioachin ſeu Iechonias.	m. 3	Phaceia.	2
Sedecias.	11	Phacee.	20
		Oſee.	9

Hic vtrumque Regnum deſinit.

Duces.		*Duces.*	
Salathiel.		Ioannes Hircanus.	17
Zorobabel.		Mathathias.	
Reſa Meſulam.		Iudas.	
Ioannes.		Ionathas.	
Iudas Hircanus.	14	Simon.	
Ioſeph.	7	Ioannes Hircanus.	31
Semei.	11	Ariſtobulus.	1
Mathathias.	12	Iannæus.	27
Moath.	9	Alexandra.	9
Nanges.	10	Hircanus & Ariſtobulus.	
Helli.	8	Antigonus.	
Nahum.	7	Antipater.	
Amos Sirach.	14	Herodes Idumæus.	
Mathathias.	10	Archelaus.	
Ioſeph.	60		

Poſthac

Posthac Iudæa redacta est in Prouinciam Imperij Romani. Deinde occupatur à Saracenis. Liberata à Christianis regitur.

Godifredus.	1	Almericus.	11
Balduinus I.	18	Balduinus IV.	12
Balduinus II.	13	Balduinus V.	1
Fulco.	12	Ioannes de Brenna.	
Balduinus III.	20	Federicus II. Imperator.	

Rediit Iudæa tandem ad Saracenorum captiuitatem & nunc Sub Turcis gemit.

SERIES DVCVM, REGVM AC Imperatorum Francorum in Galliis.

Gomer primogenitus Iaphet filij Noë post diluuium.		Paris.	2583
Samothes anno mundi 1939 Diluuij 287. Nini 4.		Lemanus.	2610
Magus filius.ann.mundi	1986	Olbius.	2650
Sarron filius.	2029	Galates II.	2700
Dryius filius.	2072	Namnes.	2740
Bardus.	2116	Rhemus.	2759
Longhus filius.	2168	Francus seu Francion filius Hectoris & nepos Priami Troiani adueniens Troia destructa, factus gener Rhemi anno 2800	
Bardus II. filius.	2202	Sicamber.	
Lucus.	2258	Priamus.	
Celtes.	2270	Hector.	
Galates filius Herculis.	2324	Troius.	
Narbon filius.	2339	Targot.	
Lugdus filius.	2354	Tungris.	
Belgius filius.	2404	Teuton.	
Iasius consanguineus.	2434	Agrippa.	
Allobrox.	2482	Ambron.	
Romus.	2560		

Thuringus.
Cimber.
Camber.
Melbrand filius.
Sermius frater.
Ambigat ſub Nabuchodonoſor & Tarquinio Priſco anno mundi 3388. Hic Germaniam, deinde Græciam inuadit, vbi perſeuerant ſub Belgio & Brenno Ducibus ſucceſſores eius anno 3718. & poſtea ſub Leonorio & Lutario.
In Gallo-prouincia præfuit Senan, cuius filia Gyptis nubet Perano Phocenſi aduenæ, qui cum ſuis Maſſiliam condidit.
Marcomerus filius Antenoris Troiani anno ante Chriſtũ natum 440. regnat ann. 28
Antenor filius. 30
Priamus filius. 26
Helenus filius. 19
Diocles filius. 39
Helenus II. filius. 14
Baſanus frater. 36
Clodomerus filius. 18
Nicanor filius. 34
Marcomerus II. filius. 28
Clodius ſeu Clouis filius. 11
Antenor II. filius. 16
Clodomerus II. filius. 20
Merodac filius. 28
Caſſander filius. 21

In Aruernia regnabat Bituit potentiſſimus anno mundi 3882. & poſtea Vercingentorix. 3950
Antharius filius. 25
Francus filius. 28
Clogion filius tẽpore Chriſti. 30
Hemerus filius. 12
Marcomerus frater. 18
Clodomerus filius. 12
Antenor III. filius.
Rhaterus filius. 21
Richimerus filius. 24
Odemarus filius. 14
Marcomerus IV. filius. 21
Clodomerus IV. filius. 17
Farabertus filius. 28
Sunnus filius. 28
Childericus filius. 40
Bartherus filius. 18
Clodius ſeu Clogion filius. 27
Valterus filius. 8
Dagobertus filius. 11
Clodius ſeu Clogion. 2
Clodomerus V. frater. 18
Richimerus filius. 13
Theodomerus filius. 10
Clodius III. filius. 18
Marcomerus V. filius. 16
Dagobertus frater. 15
Genebaldus filius. 16

Hic incipit Regnum.

Pharamundus filius Marcomeri. 11
Clodius ſeu Clogion. 18

Meroueus.	10
Chilpericus.	27
Clodoueus.	29
Childebertus.	51
Cherebertus.	7
Chilpericus.	15
Clotarius.	44
Dagobertus.	14
Clodoueus seu Ludouicus.	17
Clotarius.	6
Childericus.	3
Theodoricus.	17
Clodoueus.	4
Childebertus.	17
Dagobertus II.	5
Chilpericus.	5
Theodoricus.	15
Childericus.	10

Hic incipit secunda Regum familia.

Pepinus.	18

Hic Imperium Occidentis vt hæreditarium Regibus Galliæ confertur.

Carolus Magnus.	47
Ludouicus Pius.	27
Lotharius.	15
Ludouicus II.	20
Carolus II.	2
Ludouicus III.	2

Hic Imperium Regibus Galliæ ademptũ traufertur ad Germanos, apud quos hactenus perseuerat.

Carolus III.	37
Ludouicus IV.	19
Lotharius.	32
Ludouicus V.	1

Hic incipit tertia Regum familia.

Hugo Capetus.	11
Robertus.	35
Henricus.	28
Philippus.	45
Ludouicus VI.	20
Ludouicus VII.	44
Philippus II.	44
Ludouicus VIII.	3
S. Ludouicus IX.	34
Philippus III.	15
Philippus IV.	28
Ludonicus X.	2
Ioannes.	diebus 8
Philippus V.	5
Carolus IV.	7
Philippus VI.	22
Ioannes.	14
Carolus V.	21
Carolus VI.	37
Carolus VII.	38
Ludouicus XI.	23
Carolus VIII.	14
Ludouicus XII.	17
Franciscus I.	33
Henricus II.	13
Franciscus II.	1
Carolus IX.	13
Henricus III.	15
Henricus IV.	22

Ludouicus XIII. 33 Ludouicus XIV.

SERIES REGVM ÆGYPTI.

De quorum nominibus & numero dissentiunt authores: vnde præter seriem eorum positam in historia, hanc magis diffusam hic appono sub generali nomine Pharaonis.

Sores. *Sub quo Abraham.*
Osyris.
Isis.
Themosis seu Amasis. *Sub quo Ioseph.* ann. 25
Chebron eius filius. 13
Amenophis. 21
Mephres seu Ephren seu Mitres. 32
Themosis II. 10
Amenophis II. Dictus Mennon, qui Hebræos paruulos iussit occidi. 31
Orus seu Busyris, qui Thebas & pyramides Hebræorum opera fundauit. 37
Acenchres eius filia. 12
Achoris seu Athoris aut Rathotis eius frater. 9
Cenchres seu Acécheres eius filius submersus per Moysen.
Acheres seu Acencheres eius filius. 12
Armais seu Danaus. 4
Remesses frater. 2

Armesesmiam. 6
Amenophis III. 2
Sethos seu Ægyptus. 3
Rhampses seu Rhapsace eius primogeuitus. 6
Amenophis Protheus. 2
Rameses seu Ammosis au Amasis. 6
Ammenemes.
Thuoris seu Polybius.
Smendes. 2
Psusennes seu Sesac. 4
Cécheres aut Nephercheres.
Amenophis. 9
Oscor filius. 6
Spinaches.
Psusennes II.
Nileus dictus Mictabis.
Cheops.
Cephres frater. 56
Mycerin seu Chrin.
Oschor seu Asychis.
Sesoncoris aut Secac aut Susakin. 21
Osorthon. 9
Tachellotis.

Zara.

Zara.
Perubaſte. 40
Oſorthon dictus Hercules. 9
Pſammus. 10
Bocchoris ſeu Babochorus aut Sua filius Technaris. 43
Sabacon aut Scabő Æthiops. 12
Sibechus aut Seneche filius.
Thrachus ſeu Tarach. 20
Nechepſos ſeu Merres. 12
Pſammitich ſeu Stephinatis 38
Nechao ſeu Nechus.
Pſammeticus aut Pſammitich filius. 12
Vaphres ſeu Apryes & Hophrta filius.
Amaſis.
Pſamenit filius.
Cambyſes filius Cyri.
Amitteus ſub Dario notho. 6
Nephres ſeu Nepherites. 6

Achoris frater. 12
Pſammites. 1
Nepherites. menſ. 2
Nectanebis. 18
Tachos ſeu Theos. 3
Nectanebis. 11
Filius eius. 18
Darius Ochus Perſa.
Alexander Magnus. 6
Ptolomeus Lagi filius. 40
Ptolomeus Philadelphus. 38
Ptolomeus Euergetes. 26
Ptolomeus Philopator. 7
Ptolomeus Epiphanes. 24
Ptolomeus Philometor. 20
Ptolomeus Euergetes II. 20
Ptolomeus Sother. 17
Ptolomeus Lathurus. 8
Ptolomeus Alexander. 10
Ptolomeus Dionyſius. 30
Cleopatra. 22
Regnarunt poſtea Romani, quibus ſucceſſerunt Mahometani.

SERIES REGVM NVMIDARVM.

Numida.
Maſſiniſſa.
Mycipſa.
Iugurtha.

SERIES REGVM ÆTHIOPIÆ à Chriſto nato.

Baazena.
Candaces.
Baazena.
Meſuë.

Sectua.
Agdala.
Agba.
Mali.
Akle.
Didima.
Autetes. Alda.
Zeahim.
Gafelas.
Besescoch.
Azgua.
Agua.
Hherch.
Besazene.
Guachena.
Hadas.
Sachel-Affe.
Asgheba.
Samra.
Aiba.
Stendhem.
Zacham.
San. Iggaan.
Alamda. Achinna
Abraham & Azba.
Asfa. Azba.
Albamedan. Abra.
Sahel. Ghebez.
Sekul. Azba.
Abram & Adaxana.
Zahan.
Amida.
Sahan.
Azba.
Zahan.
Gabez.

Iacob & Dauid.
Arına & Zittahana.
Iacob.
Constantinus.
Beth-Esraël.
Gabra-Maschal.
Nalex.
Brazen.
Senzaghed.
Bahar-Saghed.
Ghermaafer.
Saliuba.
Callula-Sion.
Sargue.
Zarai.
Bagaharnai.
Gianscheda.
Zeonochis.
Malgeres.
Sepharad.
Agdai.
Abraham.
Asbaa.
Asfa.
Afra.
Amsi.
Ahan.
Arcada.
Aladana.
Alameda.
Tabena.
Caleb.
Gabra Maschel.
Constantinus.
Beza-Agher.
Asfa.

Arma.
Gianasfa.
Gianaſcheda.
Freſennai.
Adaſahaz.
Aizar.
Delnahadan.
Madai.
Sahata.
Ambaſandin.
Ghemoasfare.
Girgas.
Degua-Michaël.
Bedeguaz.
Arma Cullandin.
Sbinahanni.
Tredda Gabez.
Filius eius & Nepos.
Zalibala.
Zimra ſeu Imra.
Naakutolab.
Icum Nuamlach.
Iacba Hazeon.
Baazarda.
Esbrahad.
Saghed.
Cadem.
Raab.
Vdim.
Amdeſeon.
Sepharad.
Vdma.
Asfan.
Dauid.
Theodorus.
Iſaac.
Andreas.
Hesbinaam.
Zaram Iacob.
Bethenariam.
Alexander.
Andeſeon.
Nahud.
Dauid.
Aſnaſagher.
Adamaſtus.
Sequeda.

SERIES PRINCIPVM SARACENORUM ſeu Arabum.

MAhomet.
Abbabucker.
Omar.
Oſtman.
Ali.
Haſſen.
Moaxias.
Moabias ſeu Mahomet.
Iezid ſeu Hirid.
2 Maula.
9 Muthar.
12 Maruan cum Abdalla.
5 Abdelmelech.
Vlid.
Suleiman.
Omar.

Iezid ſeu Hirid.
Huiam ſeu Iſcan.
Walid ſeu Vlid.
Abraham.
Maruan.
Mahomet.
Abdalla.
Abdalla II.
Aaron.
Mahomet.
Abdalla III.
Mahomet.

Ob factionum confuſionem integro ſæculo non habentur determinati Principes.

Sadoc.
Dogriz.
Aſpalam.
Melechla.
Belchiator.

Hoc mortuo Principatus Arabum diuiditur. In Ægypto & Syria dominantur.

Norandinus.
Saladinus.
Saphandinus.
Bondegar.

Rursùs vnitur ſub Ottoman Turca filio Ertucul, cuius progenitores ſunt.

Lecra.
Cutluzeac.
Carachan.
Ogus.
Giokelpe.
Varſaiob.
Toctemur.
Ciaces-Aga.
Bακis-Aga.
Baiſunber.
Oicoluc.
Bainder.
Cuſulbug.
Cabielpe.
Soliman.
Ertucul.

SERIES SVLTANORVM Turcarum.

OTtoman.		Moyſes ſeu Muſa.	4
Orcam.	30	Mahometh.	8
Soliman.	2	Amurath II.	30
Amurath.	33	Mahomet II.	31
Bajazeth.	7	Bajazeth II.	30
Iſa ſeu Ioſue.	4	Selim.	8
Soliman.	7	Soliman II.	46

Selim

Selim II.	9	Mustafa.	1
Amurath III.	10	Amurath IV.	16
Mahometh III.	8	Ebrahim.	
Achmeth.	14	Soliman.	
Osman.	5		

SERIES MAGNORVM MOGOrum in Indiis Orientalibus.

Tamerlan.		Homayon.	30
Pir Mahamed.		Gelaladin.	43
Abusayd.	4	Selim.	
Hamed.	28	Peruis.	
Babor.	38	Corron.	

SERIES REGVM CHINÆ.

Regnum Chinarum ab hinc quatuor mille quinquaginta & vno annis cœpisse traditur: cuius Rex primus nomine Vitey vir miræ politicæ 100. regnauit annis: centum ac septemdecim ex sua progenie successores habuit spatio 2257. annorum: quorum vltimus nomine Tzintzom ingentes illos Chinæ muros contra Tartarorum inuasionẽ extruxit.

Huic simul cum filio Agutzi trucidato populi seditione substituitur Anchosam.

Post 12. annos successit filius nomine Futey.

Post 7. huius mater successit, & 18. annis regnat.

Substituitur priuignus filius Anchosan ex alia fœmina, & 23. annis regnat.

Cuius filius Cuntey succedens regnat 16. annis & 8. mensibus.

Huntey eius filius regnat 54. annis.

Chantey successor & filius 13.

Ochantey filius 25. & 3. mensibus.

Coantey

Coantey filius 16. & 2. mensibus.
Tzentzey filius 26. & 4. mensibus.
Authey eius filius annis 6.
Pintatey eius filius 5.
Successit Txintzumi frater,
Post 3. annos ac 7. menses alter frater nomine Huyhamon, qui sex annis regnauit.
Cuius filius Cubum regnauit 32. annis.
Post ipsum Bentey 18. eiusque filius Vnthey 13.
Huius successor Othey regnauit annis 17. ac 5. mensib.
Deinde eius filius Yanthey 8. tantùm mensibus regnauit.
Huius filius Anthey 19. annis regnauit: sed eius filius Tantey tribus solùm mensibus, eiusque frater Chitey vnico anno; alter eorum frater Quantey 21. annis regnauit.
Cui successit Linthey & 22. annis regnauit: huius autem filius Yanthey 31.
Cuius nepos nomine Laupy rebellis regnum inuadit, & 40. annis regnauit: huius filius Guithey 26. annis regnauit: & filius eius Fontey 17.
Post ipsum quindecim alij Reges ex eadem progenie regnarunt annis 176. quorum vltimus fuit Quiontey.
Tunc Tzobu tyrannicè regnum inuadens habuit octo successores ex sua familia spatio 62. annorum.
Vltimus eorum nomine Sutey debellatur à Cotey, qui cum aliis quinque sui sanguinis succedētibus regnauit 24.an.
Fostremus fuit Othey occisus à Dian, qui suis vsque ad quartam generationem regnum parauit per 56. annos.
Tunc rebellis Tym regnum vsurpans quinque ex sua domo successores habuit spatio 31. annorum
Insurgens postea Tzui cū tribus suis succ. 37. an. regnauit.
Deinde Tonco regnum inuadit, ac ex sua familia successores habuit viginti & vnum per 294. annos.
Vltimus nomine Troncon nouercam nomine Bausam desponsauit, cum esset monialis, à qua trucidatur, ipsaqae regnum 40. annis administrauit.
Sed ob crudelitatem eius, etiam in proprios filios quos occidit,

cidit, vt regnũ Nepoti traderet, & publicam eius incontinentiá, vocatus primi eius Mariti filius illegitimus nomine Tauzon ſublimatur ad thronum, qui nouercam rigorosè puniit, & ſeptem ex ſua progenie ſucceſſores habuit ſpatio 120. an.

Vltimus nomine Couchau expellitur à Dian, qui duos habuit ſucceſſores ex ſua familia per ſpatium 18. annorum.

Tunc rebellis Outon regnum inuadit, quod in tribus ſuis ſucceſſoribus 15. annis retinuit.

Poſtea Outzim illud vſurpat, & duos ex ſuis reges habuit 9. annis, & 3. menſibus.

Exinde Tozo, ac filius eius regnant 4. annis; hic occiditur ab Anchiu, qui cum duobus aliis ſucceſſoribus regnat 10. an.

Tunc Zaytzon Princeps ſanguinis ex progenie Vitey primi regis regnum inuadit occiſo prædeceſſore, & ſeptemdecim habuit in ſua familia ſucceſſores regni ſpatio 23. an.

Vltimus nomine Tepim ſeu Fanſur ab irruentibus Tartaris deponitur, quorũ magnus Dux ſeu Imperator nomine Vzou ſeu Cublay Kan regnum Chinæ ſubiicit an. Chriſti 1206. in cuius ſucceſſoribus perſeuerauit vſque ad ann. 1368.

Tunc eximius Dux Chinenſis nomine Homuu ex familia Ciu ipſos expulit, regnũque aſſumens Tamin denominatur. Succeſſorẽ habuit Yunlo ex filio nepotem, cui duodecim alij ex ſua familia ſucceſſerunt vſque ad an. Chriſt. 1580.

Tunc regnabat Bonog, inde Vuoutay, & Haumion an. 1590.

Paulò ante annum 1600. Vanle ſeu Vanlie cœpit regnare, qui cum ann. 1609. Nepotem ex primogenito ſucceſſorem haberet, ab irruentibus Tartaris impetitur, eius ſucceſſor anno 1622. regnabat.

SERIES MAGNORVM KAN TARTARORVM.

ANno Chriſti milleſimo octauo reperitur apud Tartaros magnus Dux ſeu Imperator Kader kam in regno Catay propè Chinam (cuius progenitores & prædeceſſores tradũtur aſcendendo, Tomin Kan, Bukahkan, & Buzaniax.

Kaderkan ſeu Kayduhkan filium habuit ſucceſſorem Bayſangorkan, cui ſucceſſit filius Thomanahkan, & huic Filkan

eius

eius filius,& pater Partan Badur,qui ſuccedens patri ſucceſſorem habuit filium Sukyh Budur.

Hic fuit pater magni illius Cingis ſeu Chinguis, qui ſolet poni primus Tartarorum Imperator : ab ipſis enim vniuerſaliter aſſumptus anno Chriſti 1161. imperium dilatauit deuicto Tenduc rege Vncan,cuius filiam deſponſauit,ac ſubactis pluribus prouinciis ; tandem moritur ſagitta in genu vulneratus , dum obſidet Caſtrum Thaingin , & in monte Altaÿ ſepelitur anno 1228. in principio vocabatur Tomachin, ſed vbi ditionem ampliauit vicinos ſubiugando reges, voluit vocari Chinguis-Kan,id eſt Rex Regum.

Huic ſucceſsit Oκtaÿ Kan filius,quem alij vocant Hoccora, qui nimio moritur vino anno 1242.

Succeſſorem relinquit filiolum Gayuhκan ſeu Cinoκan, qui ſub tutela matris 4. annis imperauit,& vnico ſolus,fuit amicus Chriſtianorum & moritur anno 1247. ſucceſſorem habuit Manchu ſeu Mangu-Kan germanum ſuum , filium Tuli - Kan quarti filij Cingis ſeu Chinguis Kan:hic Chriſtianis & Mahometanis fauit,perſequens Iudæos , moritur anno 1256.

Frater eius , Kablay - Kan ſeu Cublay aut Cobila ſucceſſit cum eſſet 27. annorum ; hic Chinam inuaſit,deuicto rege Fanfur anno 1269. dicitur 21. filios ex quatuor coniugibus, & 25. ex concubinis habuiſſe :

Inter quos fuit Cingis,quem vidit morientem,& ex quo nepotem ſuſcepit Themur ſeu Thamar Kan quem ſucceſſorem reliquit moriens anno 1316.

Poſt ipſum inuenimus Magnum illum Tamerlam ex prædictorum progenie oriundum,qui penè in toto oriente imperauit, poſſedit enim Chinam,Indias, Perſidem,& alia regna deuicto Bajazet Turcarum imperatore:cœpit imperare anno 1369.& moritur anno 1404 ſucceſſorem imperij relinquens filium Mirza - Xaroκ ſeu Tarok qui moritur in Perſide anno 1447.

Tunc diuiditur imperium Tartarorum,& rari nominantur eorum Imperatores, vt pote minùs potentes.

Anno

Anno 1514. vsque ad annum 1524. nominatur Sabbakan, & anno 1570. alius nomine Daimir Kan.

Diuisi sunt nunc Tartari in plures principatus, quorum præcipuus est in regno Catay, cuius ciuitas regia dicitur Cambalu, seu ciuitas Domini aut Regis, traditur esse maxima ad quinquaginta milliaria circuitus, & palatium Imperatoris magnificentissimum, cum siluis & viridariis ad octo milliaria.

SERIES REGVM ARMENIÆ.

ARmenia Monarchis Assyriorum & Persarum, sicut & Græcorum ac Romanorum subiecta fuit: non semel rebellantibus Armeniæ Principibus.

Pompeius magnus constituit Tigranem tributarium regem: cui successit filius Artauasde, qui cum Marcum Antonium prodidisset, ab ipso captus ducitur Alexandriam in triumphum, & tempore belli Actij occiditur.

Cuius filius Artaxias regnum assumens, & auxilio Parthorum contra Romanos defendens à suis occiditur.

Cui à Romanis sub Tyberio substituitur Tigranes, qui paulò post mandato eiusdem Tyberij trucidatur: eique sufficitur Artauasde.

Sed hoc pulso creatur Rex Ariobarzane Medus Armenis consentientibus.

Cui successit quædam mulier nomine Erato.

Deinde eligitur ab Armenis Vonon filius Phrahartis regis Parthorum.

Huic successit Artaxias, postea Arsaces filius Artabani.

Deinde Mithridates Iberus, cui Rhadamistus ex fratre Pharasmane nepos regnum & vitam ademit.

Hunc expulit Tiridates frater Vologesis regis Parthorum, contra quem Romani Tigranem Cappadocum regem electum miserunt, sed postea Tiridatem sibi reconciliatum restituerunt, qui suos habuit successores vsque ad Exedarum.

Hic Cosroëm Parthorum regem timens regnum dimisit,

& tunc ipse Cosroas Parthamiserum suum ex fratre nepotem constituit regem, ac deinde inter Romanos & Persas fuit de hoc regno dissentio, quod modo illis, modo istis parebat.

Anno Christi 1253. inuenitur Hayton rex Armeniæ, qui Mangu-Kan Tartarorum Imperatorem ad fidem conuertit, & aduersùs Saracenos in Terram Sanctam allexit.

Postquam 45. annis regnasset, fit Monachus anno 1270. & vocatur Macarius, regnumque Liuon eius filius sumpsit, & vltra annum 1305. administrauit, quod postea Persis, nunc partim illis, partim Turcis obedit.

SERIES REGVM CYPRI.

REgnum Cypri plures in principio habuit regulos, qui tam Assyriis quam Persis mundi monarchis paruerunt.

Mortuo Alexandro Ptolomeus rex Ægypti illud vsurpauit, suisque reliquit vsque ad vltimum huius nominis patruum Cleopatræ, sub quo reducitur in prouinciam Imperij Romani, quãuis ad Cleopatram redierit dono Marci Antonij.

Sub Imperatoribus Constantinopolis gubernatores habuit, quorum vltimus nomine Isaac prohibens Anglis ad bellum sacrum venientibus accessum, ab eorum rege Richardo pellitur capta insula: qui eam in regnum concessit Guidoni de Lusignano Regi Ierusalem anno 1193. inde pulso, per commutationẽ assumens titulum regis Ierusalem.

Guidonis successores fuerunt Petrus & Perinus fratres, hic cognomento Crassus cœpit regnare anno 1370.

Successit patruus eius Iacobus de Lusignan; cum captus à Genuensibus teneretur.

Huic anno 1422. successit Ianus filius, ipsi ex Ciua d'Iblin Genuæ seu Ianuæ natus, & ideo Ianus nominatus.

Filium habuit successorem eiusdem nominis, hic parum regnauit captus à Sulthano Ægypti, duas habuit proles, Agnetem nuptam Ludouico Duci Sabaudiæ, & Ioannem eu Ioannem Iacobum su um successorem.

Hic

Hic ex ſecunda coniuge Helena Paleologa ſuſcepit filiam nomine Charlottam primò nuptam Ioanni filio Regis Luſitaniæ, deinde ſuo germano Ludouico Sabaudiæ prædicti Ludouici ex Agnete filio: ſuſceperat ex concubina filium nomine Iacobum, quem Cypri Archiepiſcopum creauerat.

Hic anno 1457. regnum inuadit auxilio Sulthani Ægypti, recedente Romam Charlotta & fruſtra ſubſidium implorante.

Iacobus vt regnum conſeruet, ſociatur Venetis, à quibus Catharinam Cornariam Reipublicæ filiam vxorem accipit, ex qua poſthumum ſuſcepit filium nomine ſuo Iacobum, quo poſt duos annos moriente Catharina regnum tradit Venetis anno Chriſti 1470. quod 100. annis retinuerunt, donec anno 1571. à Selino Turcarum Imperatore rapitur: cuius tamen titulum Dux Sabaudiæ ſub VIII. Summo Pontifici obtinuit.

SERIES REGVM PERGAMI

Philetrus.	20	Attalus Philometor.	26
Eumenes.	20	qui Romanos regni hæredes moriens reliquit.	
Attalus.	43		
Eumenus II.	49		

SERIES REGVM DARDANIÆ ſeu Trojæ.

Teucer.
Dardanus.
Erichthonius.
Tros.
Ilus.
Laomedon.
Priamus.
Hector.
Anthenor.
Filij deinde, & Nepotes Hectoris vſque ad Romanos.

SERIES REGVM LYDORVM.

ARdiſius.	36	Ardas.	37
Aliactes.	14	Saliates.	15
Meles.	12	Aliates.	49
Candaules.	17	Crœſus.	15
Gigius.	36		

SERIES REGVM ARGIVORVM.

INachus.	50	Crotopus.	21
Phoroneus.	60	Stenelus.	11
Apis.	35	Danaus.	50
Argus.	70	Linceus.	41
Criaſſus.	54	Abbas.	23
Phorbas.	25	Prohetus.	17
Triopas.	64	Acriſius.	31

SERIES REGVM MYCENARVM.

PErſeus.
Stenelus.
Euriſtheus.
Atreus.
Thyeſtes.
Agamennon.
Ægiſtus.
Horeſtes.
Criſamenes.
Pentillus.
Cometes.

SERIES REGVM SICYONIORVM.

Ægiateus.	50	Apis.	25
Europs.	45	Thaleſion.	52
Selchin ſeu Stelchin.	20	Egidius.	34

Thurimaüs ſeu Thurimacus.	45	Epopeos.	35
		Laomedon.	40
Leucippus.	53	Sycyon.	45
Meſappus	47	Polibus.	40
Eratus ſeu Haractus.	46	Inachus.	41
Plemeus,	48	Feſtus.	8
Ortopolis.	61	Adraſtus.	4
Maratus.	30	Polyphides.	31
Maratus II.	20	Pelaſgus.	20
Echireus.	55	Leucippus.	31
Chorax.	30		

SERIES REGVM MACEDONIÆ.

CArnaus.	28	Ptolomæus.	4
Cenus	12	Perdicas III.	6
Tyriamas.	38	Philippus II.	27
Perdicas.	15	Alexader Magnus.	12
Argeus.	38	Philippus Aridæus.	9
Philippus.	38	Caſſander.	18
Eutropius.	16	Antipater.	4
Alcetas.	29	Demetrius.	6
Amyntas.	50	Pyrrhus.	menſ.6
Alexander.	43	Lyſimachus.	5
Perdicas II.	28	Ptolomæus II.	1
Archelaus.	24	Maleagrus	menſ.2
Oreſtes.	3	Antipater.	1
Archelaus II.	4	Soſthenes.	2
Amyntas II.	1	Antigonus I.	36
Pauſanias.	1	Demetrius II.	10
Amyntas III.	6	Antigonus III.	15
Argeus II.	28	Philippus III.	40
Amyntas IV.	10	Perſeus.	10
Alexander II.	1		

SERIES REGVM LACEDEMONVM.

EVristheus.	42	Deristhus.	29
Agis.	1	Agesilaus.	44
Archestratus.	35	Theleucus.	40
Labotes.	37	Alcmenes.	37

SERIES REGVM CORINTHIORVM.

AThelętes.	35	Eudemus.	35
Ixion.	37	Aristomades.	35
Agesilaus.	37	Egemon.	16
Prymmas.	35	Alexander.	25
Bachis.	35	Thelestes.	12
Agelas.	30	Antomenes.	1

SERIES REGVM ATHENIENSIVM.

CEcrops.	50	Theseus.	30
Granaus.	9	Mnestheus.	23
Amphitryon.	10	Demophoon.	32
Erictonius.	50	Medius, dictus etiam.	
Pandion.	40	Oxyntes.	12
Eristeus.	50	Aphidas.	1
Cecrops II.	52	Thimoëtes seu Tymeotes.	8
Pandion II.	25	Melantus.	37
Egeus.	48	Codrus.	21

SERIES REGVM LATINORVM.

IAnus.	5	Picus.	200
Saturnus.	5	Faunus.	

Latinus

Latinus.
Æneas. 3
Ascanius. 38
Iulius Syluius. 29
Æneas Syluius. 31
Latinus II. 50
Alba Syluius. 39
Athis.
Ægyptus Syluius. 24
Capis. 28
Carpentus. 13
Tyberinus Syluius. 9
Agrippa. 40
Aremulus. 19
Auentinus. 37
Procas. 23
Amulius. 44
Numitor. 1

SERIES REGVM ITALIÆ.

ODoacer.
Theodoricus. 33
Athalaricus. 8
Theodatus. 3
Vitiges. 3
Theodebaldus. 2
Totila. 11
Theia. 15
Alboinus. 3
Clephis. 2
Antaritus. 5
Agilulphus. 25
Adaluualdus. 10
Arioualdus. 12
Rotharis. 16
Rodoaldus. 5
Aripertus. 4
Grimoaldus. 10
Bertarid. 18
Dunibertus. 12
Luithbertus. 1
Regemgert. 1
Aripertus. 8
Asprandus. 1
Luithprandus. 31
Hildebrandus. 1
Rachis. 6
Aistulphus. 6
Desiderius. 18

SERIES REGVM NEAPOLIS ET SICILIÆ.

RObertus Guiscardus.
Boëmundus & Rogerius.
Guillelmus.
Rogerius.
Guillelmus II.

Tancredus.
Henricus Imperator.
Federicus.
Federicus II. Imperator.
Manfredus.
Carolus I.
Carolus II.
Robertus.
Ioanna I.
Ludouicus I.
Ludouicus II.
Carolus Hungarus.
Ladiſlaus.
Ioanna II.
Ludouicus III.
Renatus.
Carolus.
Alphonſus I.
Ferdinandus I.
Alphonſus II.
Ferdinandus II.
Federicus.

Hoc debellato diuiditur regnum inter Gallos & Aragonios; nunc paret Hiſpanis.

SERIES REGVM HISPANIÆ.

Alaricus.	3	Luiba II.	2
Ataulphus.	3	Vitericus.	7
Sigericus.	1	Gundimarus.	2
Vuallia.	22	Siſebutus.	9
Theoredus.	14	Recaredus II.	1
Turiſmundus.	3	Suintilla.	10
Txeodoricus.	13	Richimerus.	1
Erricus.	17	Siſenandus.	1
Alaricus.	23	Suintilla.	4
Siſalittus.	4	Tulga.	2
Theodoricus.	20	Cindaſvindus.	7
Amalaricus.	10	Reciſvindus.	4
Theodius.	17	Bamba.	8
Theodiſtus.	2	Eringius.	7
Aquila.	4	Egica.	10
Attanagildus.	16	Vitiſa.	10
Luiba.	5	Rodericus.	4
Leouigildus.	18	S. Pelagius.	22
Recaredus.	15	Fauilla.	3

Alphonſus.	19	Alphonſus VII.	35
Froila.	11	Alphonſus VIII.	53
Aurelius.	7	Sanctius III.	1
Silus.	9	Ferdinandus II.	35
Alphonſus.	41	Alphonſus IX.	32
Ramirus.	7	Henricus.	11
Ordonius	31	Ferdinandus III.	17
Alphonſus	49	Alphonſus X.	10
Ordonius II.		Sanctius IV.	28
Froila II.	1	Ferdinandus IV.	
Alphonſus IV.	7	Alphonſus XI.	
Ramirus II.	19	Petrus.	19
Ordonius III.	5	Henricus II.	10
Ordonius IV.	12	Ioannes I.	11
Santius.	1	Henricus III.	16
Ramirus III.	15	Ioannes II.	43
Verecundus I.	18	Henricus IV.	20
Alphonſus V.	29	Ferdinandus V.	31
Verecundus II.	18	Philippus I.	2
Ferdinandus Magnus.	27	Carolus V.	50
Sanctius II.	8	Philippus II.	43
Alphonſus VI.	43	Philippus III. 23	Philip. IV.

SERIES REGVM ARAGONIÆ.

Ramirus.	31	Alphonſus II.	6
Sanches Ramirus.	27	Iacobus II.	36
Petrus.	10	Alphonſus III.	9
Alphonſus.	30	Petrus IV.	52
Ramirus.	3	Ioannes.	7
Petronilla.	10	Martinus.	15
Ildefonſus.	34	Ferdinandus.	6
Petrus II.	17	Alphonſus IV.	40
Iacobus	69	Ioannes II.	23
Petrus III.	3	Ferdinandus II.	31

SERIES REGVM LVSITANIÆ.

ALphonſus I.	46	Ioannes.	50
Sanctius I	28	Edoardus.	5
Alphonſu s II	13	Alphonſus V.	44
Sanctius II.	24	Ioannes II.	14
Alphonſus III.	32	Emmanuël.	40
Dionyſius.	46	Ioannes III.	36
Alphonſus IV.	32	Sebaſtianus.	21
Petrus.	10	Ioannes IV.	15
Ferdinandus.	6	Alphonſus VI.	

SERIES REGVM NAVARRÆ.

GArcias Ximenes.an.	716	Sanches filius.	1150
Garcias Inigo filius.	758	Sanches filius.	1194
Fortun Garcias filius.	802	Thibaldus Gomes Campaniæ.	1234
Sanches Garcias filius.	814.	Thibaldus filius.	1238
Ximen Garcias filius.	832	Henricus frater.	1270
Inigo Sanches Comes Bigorræ.	855	Philippus pulcher rex Galliæ.	1283
Garcia Inigo filius.	888	Cum tribus ſucceſſoribus.	
Fortun filius.	905	Philippus Comes Ebroicenſis.	1328
Sanches Abarca frater.	910	Ioanna vxor.	1343
Garcia Sanches filius.	926	Carolus filius.	1349
Sanches Garcias filius.	966	Carolus filius.	1387
Garcias Sanches filius.	995	Ioannes Aragoniæ.	1425
Sanches Magnus filius.	1000	Gaſton de Fuxio.	
Garcias filius.	1035	Eleonora vxor.	1472
Sanches filius.	1053	Gaſton filius.	1479
Sanches Ramires Arag.	1076	Franciſcus Phœbus filius.	
Petrus filius.	1094	Catharina, ſoror.	1483
Alphonſus frater.	1104		
Garcias Ramires.	1134		

Ioannes d'Albret. 1493. qui anno 1512. à Ferdinando Aragoniæ pellitur.
Henricus filius. 1517
Ioanna filia.
Henricus Borbonius Rex Galliæ, eiusque successores.

SERIES REGVM ANGLIÆ.

EGbertus.	37
Eteluuolfus, dictus etiam Adilulphus.	20
Edelbaldus.	mens. 5
Eldobertus.	5
Edelcedus.	9
Alfredus.	28
Edoardus.	24
Adolstam.	16
Edmondus.	6
Elfredus.	9
Eduinus.	4
Edgarus.	16
S. Edoardus II.	3
Ethelbredus.	36
Edmondus.	3
Canutus.	20
S. Edoardus III.	31
Haraldus.	1
Guillelmus I.	21
Guillelmus II.	13
Henricus I.	35
Stephanus.	19
Henricus II.	35
Richardus.	9
Ioannes.	17
Henricus III.	56
Edoardus IV.	35
Edoardus V.	19
Edoardus VI.	51
Richardus.	49
Henricus IV.	13
Henricus V.	11
Henricus VI.	38
Edoardus VII.	22
Richardus.	4
Henricus VII.	24
Henricus VIII.	38
Edoardus.	6
Maria.	5
Elizabeth.	45
Iacobus.	22
Carolus.	20

SERIES REGVM SCOTIÆ.
à Christo nato.

MEtellanus.	34
Caractacus.	24
Corbredus.	17
Dordanus.	4

Galdus.	28
Lugtacus.	3
Mogallus	42
Conarus.	14
Ethodius.	32
Satrahel.	3
Donaldus Christianus.	6
Ethodius II.	13
Athitcus.	5
Natholocus.	21
Findochus.	11
Donaldus II.	10
Donaldus III.	1
Crathlintus.	9
Fincormacus.	46
Augusianus.	3
Fetelmacus.	2
Eugenius I.	3
Fergusius.	8
Eugenius II.	30
Dongaldus.	5
Constantinus.	17
Congallus.	19
Conranus.	34
Conuallus.	13
Kinnatillus.	10
Aidan.	28
Kennetus.	1
Eugenius.	14
Ferquardus.	6
Donaldus.	6
Ferquardus.	14
Malduinus.	32
Eugenius.	20
Eugenius.	4
Ambirkelethus.	9
Eugenius.	17
Mordacus.	16
Ethfinus.	31
Eugenius.	3
Fergusius.	3
Soluathius.	20
Achaius.	31
Conuallus.	5
Dongallus.	5
Alpin.	6
Kennetus II.	4
Donaldus V.	26
Constantinus II.	5
Ethus.	10
Gregorius.	1
Donaldus VI.	21
Constantinus III.	39
Malcolnius.	16
Indulphus.	9
Dufus.	4
Culenus.	6
Kennetus III.	21
Constantinus IV.	1
Grimus.	8
Malcolmus II.	30
Duncanus.	6
Machabæus.	15
Malcolmus III.	36
Donaldus VII.	6
Edgarus.	6
Alexander.	11
Dauid.	29
Malcolmus.	10
Guillelmus.	
Alexander.	33
Alexander.	34

Ioannes

Ioannes. 2
Robertus. 24
Dauid. 40
Robertus. 20
Robertus. 16
Iacobus. 12
Iacobus. 24
Iacobus. 28
Iacobus. 25
Iacobus. 29
Maria. 43
Iacobus, *sub quo vnitur Angliæ*

SERIES REGVM DANIÆ.

HVmel primus Rex.
Dan filius.
Lother filius.
Skiol Gram.
Hadding filius.
Froton.
Haldan filius.
Rhoë filius.
Helgo frater qui subiecit Sueuos.
Rulfo victus ab Attila Sueuo.
Biardo Rex vtriusque regni.
Hothere filius Attilæ.
Roric.
Vuiclet.
Bermund.
Vffo.
Dan II.
Huclet filius.
Froton II. filius.
Dan III.
Fridlef.
Froton III. tempore Christi.
Hiar filius.
Fridlef. II.
Froton IV.
Iagelle filius.
Olaus.
Harald filius.
Froton V. filius.
Haldan II.
Harald II. filius.
Haldan III. frater.
Vnguin rex Gothiæ.
Sigar aut Siuuard.
Haldan IV.
Harald III.
Olaus nepos ex filia.
Emund filius.
Siuuard II.
Buchle frater.
Iarnieric filius Siuuard
Brodar filius.
Siuuard III.
Harald IV.
Gormo.
Goltric tempore Pepini.
Olaus III. filius.
Hemming filius.
Siuuard IV. rex Sueciæ.
Gottric ex filia nepos.
Regner filius.
Siuuard V. filius Christian.
Eric II.

Eric

Eric III. nepos Regner.
Canut filius idololatra.
Froton V. Christianus.
Gormo II. filius.
Harald VI.
Gormo III.
Harald VI. filius qui moritur anno 980.
Suenon 1004.
Canut II. filius cognomento magnus 1036.
Canut III. 1045.
Magnus filius S. Olai regis Noruegiæ.
Suenon Canuti ex sorore nepos 1074.
Harald filius. 1076.
Canut IV. frater. 1088.
Olaus 1095.
Eric IV. frater. 1102.
Nicolaus filius.
Suenon III. 1135.
Eric V. 1139.
Eric VI. fit monachus. 1149.
Suenon filius Erici V. 11
Valdemar. 1182.
Canut V. filius. 1209.
Valdemar II. 1240.
Eric VII. filius. 1250.
Abel fratricida. 1252.
Christoforus frater. 1268.
Eric VIII. filius. 1286.
Eric IV. filius. 1321.
Christoforus II. frater. 13
Valdemar III. filius. 137
Olaus ex filia nepos.
Margarita mater. 1412.
Ericus Dux Pomeraniæ. 14
Christoforus Bauarus. 144
Christiernus. 1485.
Ioannes filius. 1513.
Christiernus II. filius Luth-ranus. 1535.
Christiernus III. Germa-nus. 1559.
Federicus II. filius. 1588.
Christiernus IV. filius.

SERIES REGVM SVECIÆ & GOTHIÆ.

MAgog filius Iaphet, à quo Gothi.
Suenon filius, à quo Sueui.
Vbbo frater, à quo Vpsala ciuitas moritur post diluuium anno 246.
Siggo.
Vddo.
Alo.
Ochen.
Carolus.
Biorno.
Gethur.
Gert.
Betico moritur post diluuium 836.
Humulphus filius.
Humel paruus filius.

Gothilas filius.
Sigthun aut Sigelug.
Scarin.
Sibdager.
Asmund filius.
Huffo filius.
Hunding frater.
Regner filius.
Hothebrot filius.
Attila filius.
Hottile frater seu Nothere.
Rodericus filius.
Attila II. filius.
Botuild filius.
Carolus II. paruus filius.
Grimer tyrannus.
Tordo filius.
Gothar nepos.
Adulphus filius.
Algot nepos.
Ericus filius.
Lidor aut Lindorm filius.
Alaric nepos.
Gestille.
Ericus tempore Christi.
Gerric filius.
Vilmer filius.
Nordian filius.
Siuard.
Carolus nepos Nordian.
Ericus nepos Siuard ex filia.
Haldan Caroli nepos ex filia.
Vnguin consanguineus.
Ragnald.
Amund filius.
Hacho filius.

Ingo electus.
Nearche filius.
Frothon frater.
Vrbra electus.
Osten filius.
Attila electus.
Digner.
Dager filius.
Ingemar electus.
Ingelle filius.
Germund filius.
Haquin Ringo filius.
Egille filius.
Gothar filius.
Fasto.
Gudmund filius.
Adel nepos Gotear.
Osten filius.
Ingemar filius.
Holstan filius.
Biorno gener.
Rauald filius.
Suuatman aut Snattman.
Tordo filius.
Rodulphus.
Hathin.
Attila.
Tordo.
Algot.
Gostag tyrannus.
Arthus filius Algot.
Haquin filius Gostag.
Carolus filius.
Garolus alter filius.
Bierger.
Eric filius.

Totilla

Totila.
Biorno electus.
Alaric filius.
Biorno gener anno Chriſti 800.amicus Caroli magni.
Bratemund Fro.
Siuard Fro frater.
Nerot frater.
Carolus.
Biorno filius.
Ingeual.
Olaus filius.
Ingo filius.
Ericus filius.
Ericus Segerſel.
Ericus Aorſel Chriſtianus.
Olaus filius.
Amund filius.
Amund nothus.
Haquin.
Stenchille Olai nepos.
Ingo.
Halſtan frater.
Philippus filius.
Ingo filius.
Raguald.
Magnus filius Nicolai regis Daniæ.
Suercher.
Carolus filius.
S. Ericus moritur 1151.
Canut filius.
Suuercher filius Caroli.
Ericus filius Canuti.
Ioannes Suuercher filius.
Ericus Erici filius.
Valdemar moritur 1251.
Magnus frater. 1277.
Birger.
Magnus Smerch. 1319.
Albertus Mechlebourg.136
Margarita Regina Noruegi 1395.
Ericus Dux Pomeraniæ.13
Engilbertus.
Carolus Canutus.
Chriſtophorus nepos Eri Dux Bauariæ. 1442.
Carolus Canutus ex cui odio vocatur Chriſtiern Daniæ.
Steno Sturus Caroli nep 1470.
Suanto. 1503.
Steno-Sturus filius. 1512.
Chriſtiernus Rex Danię.15
Guſtauus Steno-Sturi nep
Ericus filius.
Ioannes frater 1509.
Sigiſmundus filius 1594.
Carolus patruus primus Lu theranus. 1608.
Guſtauus Adolphus filiu 1611
Chriſtina filia facta Catho lica.
Carolus Guſtauus Guſtau Adolphi ex matre nepos.

SERIES

SERIES REGVM BOHEMIÆ.

PRæcesserant in regno Bohemiæ Reges & Duces minùs nominati: anno 894. die 23. Iunij baptizatus Borziuuogius seu Boriuoyus à Cyrillo Alexandrino cœpit florere: sed post decem annos ob infidelium persecutionem regnum dimisit.

Cui successit filius Spithineus seu Spirineus anno 907. & eodem anno moritur.

Successorem habuit Vvratislaum fratrem, qui moritur anno 916.

Post ipsum vxor Drahomira Christianis infensa regnum administrat, & viua absorbetur terræ hiatu anno 924.

Iam ab anno 921. Vvenceslaus eius primogenitus regnum assumpserat: sed à fratre Boleslao trucidatur in ecclesia anno 929.

Hic crudelis & impius fratricida regnum inuadens idololatriam à matre susceptam restituit, & moritur anno 967.

Cui successit Boleslaus pius eius filius, qui debellauit idololatras, Poloniam capta Cracouia deuastauit, & moritur anno 999.

Successorem habuit filium Boleslaum mansuetum, qui Cracouiæ dolo excæcatur, & moritur anno 1037.

Sufficitur ei filius Iaromir, qui priùs excæcatus sequenti anno trucidatur.

Cui successit Vlricus frater, qui Polonos ex Bohemia expulit, & moritur anno 1039.

Suffectus ipsi Boleslaus filius Polonos in Morauia deleuit, Henricum Imperatorem debellauit, & moritur an. 1056.

Successorem habuit Spitihneum filium, priùs crudelem, deinde modestum, qui moritur anno 1061.

Successit ei Vvratislaus frater, qui Leopoldum Austriæ Marchionem debellauit, & anno 1086. primus rex Bohehemiæ, ac simul Poloniæ coronatur Moguntiæ ab Henrico IV. Imperatore, & moritur anno 1093.

Cui Conradus frater post interregnum 56.annorum successit,sed vix septem mensibus regnauit.

Post cuius mortem regnat Breztislaus eius nepos & Vratislai regis filius, qui pulsis de regno ariolis, & ex vrbe Praga Iudæis, ac reddita Polonia tributaria noctu sagitta trucidatur in venatione anno 1100.

Tunc subintrat Borziuuogius seu Boziuogius ex fratre nepos,qui cum Vlricum Conradi filium de regno competentem vicisset, ab alio germano suo nomine Suuatopluc Othonis patrui filio superatus pellitur à regno anno 1104.

Qui regnum inuadit, postque debellatos Hungaros & debellatam Silesiam trucidatur anno 1107.

Tunc assumitur Vvladislaus frater Borsiuuogij, qui fratrem rebellem debellauit, vixit, ac moritur anno 112

Successorem habuit Sobieslaum fratrem, qui patruum Othonem & Polonos debellauit, & moritur anno 1140.

Successit illi Wlatislaus, qui Conradum Morauiæ Ducem vicit & moritur anno 1474.

Substituitur Sobieslaus II. Sobieslai I. filius, qui prius depositus, postea restitutus obiit anno 1184.

Subintrat Conradus II. Conradi I. ex filio Leopoldi nepos,qui post annum moritur.

Hunc sequitur Wenceslaus II.Sobieslai I. filius,qui post tres menses pellitur à Premislao Vuladislai II. filio: & hic breui fugiens Ratisbonæ vilis moritur.

Tunc assumitur Brestislaus qui regnat 11. annis & moritur anno 1196.

Successorem habuit Vuladislaum, qui eodem anno regnum dimisit fratri Premislao, & hic moritur anno 1230.

Cuius filius Vuenceslaus moritur anno 1253.

Successor eius & frater Premislaus regnum à Balthico ad Adriaticum dilatauit, Prussiam victis Tartaris subiugauit, Hungaros debellauit, & recusato sibi delato imperio pugnans contra Rodulfum Imperatorem occiditur anno 1278.

Cuius

Cuius filius Vuenceslaus adhuc iuuenis captus in pugna custoditur ab Othone Marchione Brandeburgensi, sed pecunia redemptus duxit Iuditham Rodulfi filiam, à quo creatur Elector & Pincerna sacri imperij anno 1290. oblatum postea recusat imperium, sicut & regnum Hungariæ, sed admittit regnum Poloniæ, vnde Albertum Imperatorem expulit, & moritur anno 1305.

Successorem habuit filium Vvenceslaum, priùs electum regem Hungariæ, qui sequenti anno per assassinum trucidatur: Et tunc prima illa familia regum Bohemiæ finiuit,

Eligitur Henricus Duc Carinthiæ & maritus Annæ sororis vltimi Vvenceslai, qui breui pellitur ab Alberto Imperatore, à quo substituitur Rodulfus Austriæ ipsius Alberti filius, sed hoc decedente anno 1307. rediit Henricus & regnauit vsque ad annum 1311. quo propter crudelitatem à Bohemis pellitur, substituto in eius locum Ioanne de Luxemburgo Henrici VII. Imperatoris filio, qui Elizabetam Annæ sororem duxit vxorem, factus tam Vvenceslai quàm Henrici cognatus: moritur in conflictu Creciensi tempore Philippi Valesij anno 1346.

Cui successit filius Vuenceslaus, dictus postea mutato nomine Carolus IV. qui fuit Marchio Morauiæ, deinde rex Romanorum & Bohemiæ, denique Imperator: nouam Pragam ædificauit, ibi fundans vniuersitatem, Marchionatum Brandeburgensem subiugauit, Bullam auream publicauit, & mortuus est anno 1378.

Cui successit tam in regno quàm imperio filius eius Vvenceslaus cognomento desidiosus, qui propter tyrannidem spoliatur imperio, & moritur anno 1419.

Successit Sigismundus frater Marchio Brandeburgensis, designatus rex Hungariæ, & electus Imperator, qui post subiugatos Hussitas moritur anno 1437.

Successor eius & gener Albertus Austriacus moritur anno 1439. Successorem relinquens filium Ladislaum, qui moritur anno 1457.

Sufficitur Georgius Podiebradski. Baro Constadij.

Cui mortuo ann.1471.subſtit. Vvladiſlaus filius Caſimiri regis Polon.& hic etiã factus rex Hũgariæ moritur an.1516.

Succeſſorem habuit in vtroque regno Ludouicum filium, qui debellatus à Turcis moritur anno 1526.

Cui Ferdinandus Auſtriacus Annæ ſororis eius maritus ſucceſſit.

Vt huic filius Maximilianus anno 1564.

Deinde Rodulfus Maximiliani filius anno 1575.

Succeſſorem habuit Matthiam fratrem anno 1611.

Et hic Ferdinandum II. conſanguineũ anno 1617. contra quem Bohemi crearunt eodem anno regem Federicum Comitem Palatinum Rheni,ſed hic debellatus aufugit an.1620.

Ferdinando ſucceſſit filius Ferdinandus III. Et huic ſucceſſit filius, & iſti frater Leopoldus nunc Imperator.

SERIES REGVM POLONIÆ.

Zemouilus.		Præmiſlus.
Mieſlaus.		Vvaladiſlaus IV.
Boleſlaus.		Vvenceſlaus.
Mieſlaus II.		Caſimirus III.
Caſimirus.		Ludouicus.
Boleſlaus II.		Vualadiſlaus V.
Vvaladiſlaus I.		Caſimirus IV.
Boleſlaus III.		Albertus. Alexander
Vvaladiſlaus II.		Sigiſmundus I.
Boleſlaus IV.		Sigiſmundus II.
Mieſlaus III.		Henricus Valeſius.
Caſimirus II.	Leſcus.	Stephanus Bathorius.
Vualadiſlaus III.		Sigiſmundus III.
Boleſlaus V.	Leſcus II.	Vadiſlaus. Caſimirus

SERIES REGVM HVNGARIÆ.

CVm regnum Hungariæ Imperio Romano ſubiectum fuiſſet vſque ad annum Chriſti 401. ab Hunnis Scythiæ

thiæ populis vſurpatur, & eorum Dux Attila primus rex creatur, qui Galliam inuadens ab Ætio Duce Romano & Meroueo rege debellatur, rediens & Coloniam capiens S. Vrſulam cum vndecim millibus Virginũ trucidauit:reparato rursùs exercitu Italiã ingreſſus captã Aquileiam euertit, ductaq; Honoria Imperat. Honorij filia rediit in Hungariã, vbi noui matrimonij incontinentia moritur an. Chriſti 445.

Succeſſit Czaba ſfilius, qui rediit in Scythiam; hic habuit filium Ed, & hic habuit Elend, cuius filius Almos anno 744. cum exercitu rediens in Hungariam occiditur in Tranſſiluania.

Filius eius Arpad vincit Svvalthem in Hungaria regnantem, & moriens reliquit Zolth filium ſuum ſucceſſorem.

Huic ſucceſſit Toxus filius, & iſti Geyza quoque filius, qui moriens anno 997. ſucceſſorem habuit filium Stephanum, qui conuerſus ad fidem fit ſanctus, & moritur an. 1038.

Cui ſucceſſit Petrus eius ex ſorore nepos: ſed moritur anno 1047. excæcatus ab Andrea filio Ladiſlai filij Michaelis fratris Geyza regis: qui ſucceſſit in regno, ſed à fratre Bela pellitur anno 1059.

Quo moriente anno 1062. Salomon filius Andreæ ſufficitur, qui contradicentibus Geyza & Ladiſlao filiis Bela receſſit & factus eſt in Iſtria monachus.

Vnde ſucceſſit Geyza, qui tertio regni anno & Chriſti 1076. moritur.

Poſt ipſum regnauit 19. S. Ladiſlaus eius frater; qui Dalmaciam & Croaciam acquiſiuit, Bulgaros & Ruthenos debellauit, & moritur anno 1095.

Cui ſucceſſit Colomanus eius ex Geyza fratre nepos, crudelis in fratrem Almos, quem cum filiis excecauit & in exilium miſit: moritur anno 1114. regni 26.

Succeſſorem habuit Stephanum fratrem cognomento Fulgur, qui moritur anno Chriſti 1131. regni 18.

Sufficitur Bela filius Almos, etſi cœcus, qui decem regnauit annis & moritur anno 1141.

Succeſſorem habuit Geyzam filiũm, qui 20. annis regna-

uit, & moritur 1161.

Cui successit Ladislaus consobrinus filius Belæ, sed vix dimidio regnat anno & moritur anno 1162.

Cui sufficitur Stephanus III. Geyzæ filius, qui spatio quinque mensium competitorem regni habuit Stephanum IV. patruum, & moritur anno Christi 1173. regni 11.

Successit Bela frater eius, qui moritur anno 1199. successorem relinquens Emericum ex Margarita Franciæ filium, qui moritur sub finem anni 1200.

Cuius filius & successor Ladislaus III. post sex menses moritur.

Cui successit Andreas II. frater Emerici, qui ad bellum sacrum profectus est in terram sanctam & rediens moritur anno 1235.

Successit filius Bela IV. hic Tartaris inuadentibus fugit, sed restitutus moritur anno 1275.

Successorem habuit Stephanum V. filium, qui Bohemos & Bulgaros vicit, Misiam effecit tributariam, & moritur anno 1277.

Eius filius & successor Ladislaus IV. passus est Tartaros inuasores, à quibus occiditur anno 1291.

Successit Andreas III. filius Stephani fratris Belæ IV. qui vltimus suæ familiæ moritur anno 1301.

Tunc Vvenceslaus siue Ladislaus filius Vvenceslai regis Bohemiæ eligitur, competitore Carolo Roberto filio Caroli Martelli regis Siciliæ, vnde reuocatur in Bohemiam anno 1307.

Cui sufficitur Othon Dux Bauariæ nepos Belæ IV. ex Elizabetha filia in eadem Caroli concurrentia, & sic post coronationem rediit in Bauariam. Vnde idem Carolus ex Stephani V. ex Maria filia nepos pacificè regnat ab anno 1310. Dalmaciam, Croaciam, Seruiam, Bulgariam, & Bosniam adiungit regno, ac moritur anno 1342.

Cui successit filius Ludouicus ex Maria Poloniæ, iam factus rex Poloniæ propter demissionem aui Cassimiri, & moritur anno 1382.

Cui

Cui filia Maria ſuccedens duobus annis regnat: in cuius excluſionem vocatur Carolus rex Neapolis,qui anno 1385. à factione contraria captus ſtrangulatur pulſis Italis,in cuius vindictam capta Maria carceri mançipatur; ſed adueniente Sigiſmundo rege Bohemiæ eius marito cum potenti exercitu liberatur, & cum ipſo coronato regnat vſque ad annum 1392. ſuperuiuens Sigiſmundus eligitur Imperator, & regnat vſque ad annum 1437.

Cui anno ſequenti ſufficitur in vtroque regno Hungariæ & Bohemiæ Albertus Dux Auſtriæ maritus Elizabeth filiæ Sigiſmundi, qui moritur anno 1439.

Succeſſit filiolus eius Vvladiſlaus ſub regimine matris & Ioannis Coruini Huniadi, contra quem Ladiſlaus Dux Lithuaniæ & frater regis Poloniæ competitor regni ſurrexit: ducta in matrimonium Magdalena Caroli regis Galliæ filia, moritur anno 1458.

Cui anno ſequenti ſufficitur Matthias Coruinus prædicti Ioannis filius vir eximius,qui Morauiam & Sileſiam acquirit,ac rex Bohemiæ coronatur,victoriis contra Turcam glorioſus moritur anno 1490.

Tunc Vvladiſlaus filius Caſimiri regis Poloniæ rex eligitur, qui cum Ludouicum filium biennem coronaſſet,moritur anno 1516.

Ludouicus à Solymano Turca vexatus Belgradum,aliaſque regni ciuitates amiſit, & debellatus deleto exercitu moritur 1526.ſubmerſus in Caraſſo fluuio.

In cuius locum eligitur Ioannes Comes Szepuſe princeps Tranſſiluaniæ à parte Hungarorum, ſed ab alia parte vocatur Ferdinandus Auſtriæ frater Caroli V. Hi duo ſibi regnum diuidunt.

Poſt mortem Ioannis, cum Ferdinandus totum regnum appeteret, Ioannes Sigiſmundus filius Ioannis ad Solymanum recurrit, qua occaſione Turca maiorem ac meliorem regni partem vſurpat, & nunc retinet: Alia verò pars in filiis & ſucceſſoribus Ferdinandi domus Auſtriacæ ſubiecta hactenus perſeuerat.

SERIES MAGNORVM DVCVM MOSCOVIÆ.

RVrich primus ex Dania vel Suecia oriundus nono Christi sæculo.
Igor filius.
Olga eius vidua, quæ fit Christiana.
Suestoslaus Igor & Olgæ filius à Græcis occisus.
Ieropolck filius.
Volodimer frater moritur anno Christi. 1015
Seuold filius.
Volodimer filius. 1146
Cui filius & nepos innominati successerunt.
Hos sequitur Gregorius aut Georgius Seuoloditz an. 1237
Michaël frater.
Alexander filius qui curiam ex Volodimer in ciuitatem Moskou transtulit.
Gregorius aut Georgius fil.
Ioannes filius.
Ioannes II. filius.
Demetrius filius.
Basilius filius.
Gregorius frater.
Basilius cœcus Basilij I. filius.
Ioannes filius moritur. anno Christi 1492. regni 66.
Gabriel filius, qui se Basilium nominauit, moritur. 1532
Ioannes filius crudelissimus moritur. 1584
Theodorus filius optimus moritur. 1597
Boris auunculus, 1605
Theodorus filius regnat tantùm duobus mensibus.
Tunc Grisκa Trepeja fingens se Demetrium filium Ioannis filij Basilij Ducatum inuadit auxilio Polonorũ: sed detectus occ. 1606. 17. Maij.
Successit Basilius filius Ioannis author coniurationis.
Et anno 1613. Michael filius Theodori, excluso Vuladislao Sigismundi regis Poloniæ filio priùs vocato.

SERIES DVCVM VENETIARVM.

CIuitas Venetiarum ab initio suæ conditionis vsque ad annum 706. formam regiminis sub Tribunis & Centurionibus habuerat, quo anno cœpit Duces creare hoc ordine & annorum Christi computo sibi succedentes.

Paulus

Paulus Lucius Eradianus. 706
Marcellus. 713
Vrſus Ippatus. 721
Adeodatus eius filius. 737
Gabanus. 746
Dominicus Mongarius. 747
Mauricius Chalbius. 752
Ioan. Chalbius eius filius. 768
Obelerius Ancierus. 788
Beatus Obelerij german. 790
Angelus Baduarius. 792
Iuſtinianus Angeli filius. 810
Ioannes Iuſtiniani frater. 813
Petrus Gradenicus. 836
Vrſus Particiacus. 865
Ioannes Vrſi filius. 884
Petrus Candianus. 893
Petrus Tribunus.
Vrſus Particiacus. 915
Petrus Candianus. 933
Petrus Vrſi Particiaci fil. 938
Petrus Candianus prædeceſſoris Candiani filius.
Petrus Candianus frater. 958
Petrus Vrſeolus. 971
Vitalis Candianus. 975
Tribunus Memnius. 987
Otho Vrſinellus prædeceſſoris frater. 1007
Petrus Gradenicus. 1016
Vrſus Particiacus. 1030
Dominicus Vrſeolus. 1031
Dominic. Gradenicus. eod. an.
Dominicus Contarenus. 1042
Dominicus Siluius. 1068
Vitalis Falero. 1082
Vitalis Michael. 1095
Ordelaphus Falero. 1098
Dominicus Michael. 1115
Petrus Pollanus. 1130
Dominicus Maurocenus. 1147
Vitalis Michael. 1154
Sebaſtianus Zianus. 1171
Laurus Maripertus. 1180
Arricus Dandalus. 1194
Petrus Zianus Sebaſtiani filius. 1203
Iacobus Tepulus. 1225
Marinus Maurocenus. 1247
Raynerius Zanus. 1250
Laurent. Tepulus Iac. fil. 1267
Iacobus Contarenus. 1271
Ioannes Dandulus. 1281
Petrus Gradenicus. 1290
Marinus Georgius. 1312
Ioannes Sorancius. 1313
Franciſcus Dandulus. 1329
Bartholo. Gradenicus. 1340.
Andreas Dandulus. 1343.
Marinus Falleranus. 1354
Ioannes Gradenicus. 1355
Ioannes Delphinus. 1356
Laurentius Celſus. 1360
Marcus Cornelius. 1365
Andreas Contarenus. 1367
Michaël Maurocenus. 1383
Antonius Venetus. eod. anno
Michaël Sten. 1400
Thomas Mocenicus. 1413
Franciſcus Foſcarus. 1424
Paſchalis Maripertus. 1452
Chriſtophorus Maurus. 1647
Nicolaus

Nicolaus Tronus. 1471
Nicolaus Marcellus. 1473
Petrus Mocenicus. 1474
Andreas Vendraminus. 1476
Ioãnes Mocenicus Petri germanus. 1478
Marcus Barbadicus. 1485
Augustinus Barbadicus Marci germanus. eod.anno
Leonardus Lauredanus. 1501
Antonius Grimanus. 1523
Andreas Gritti. 1539
Petrus Lando. 1545
Franciscus Donat. 1553
Marcus Anthon. Treuis. 1554
Franciscus Venier. 1556
Laurentius Priuli. 1559
Hieronymus Priuli frat. 156
Petrus Loredanus. 157
Ludouicus Mocenigo. 157
Sebastianus Venier. 157
Nicolaus de Ponte. 158
Paschalis Cicogna. 159
Marinus Grimani. 160
Leonardus Donatus. 161
Anthonius Memo. 161
Ioannes Memo. 161
Nicolaus Donat moritu post 33. dies.
Antonius Priuli. 162
Franciscus Contarinus. 162
Ioannes Cornarus.

SERIES DVCVM SABAVDIÆ REGVM CYPR

Progenitores Ducum Sabaudiæ sunt.
Amedæus Saxo.
Humbertus filius.
Hugo filius Italiæ Marchio.
Beraldus filius, Dux Rodulphi Regis Burgundiæ.
Quo mortuo & diuiso regno Sabaudia cessit
Humberto Beraldi filio consensu Conradi Imp. success.
Amedeus filius.
Amedeus I I. filius.
Humbertus II. filius.
Amedeus III. filius.
Humbert. III. fil. morit. an. 1188
Thomas filius. 1233
Amedeus IV. filius. 1253
Bonifacius filius. 1263
Petrus Patruus. 1268
Philippus frater. 128
Amedeus V. nepos d. mag. 132
Edoardus filius. 132
Aymon frater. 134
Amedeus VI. filius. 139
Amedeus VII. filius. 139
Amed. VIII. fil. Basil. elect. Pap
Ludouicus filius.
S. Amedeus IX. filius. 147
Philibertus filius. 1481
Carolus frater. 1490
Carol. Ioan. Amedeus fil. 1496
Philip. II. Patruus Lud. fil. 1497
Philibertus II. filius. 1504
Carolus III. frater.
Emmanuël Philibertus fil. 1580
Carolus Emmanuël filius. 1630
Victor Amedeus filius.
Franciscus Hyacintus filius.
Carolus Emmanuel frater.



LIBER PRIMVS CHRONOLOGIÆ.

PRIMA MVNDI ÆTAS, SIVE INFANTIA.

PROLOGVS.

SIngulas mundi ætates ab aliquo illustri principio incipimus (Deus enim totius mundi generale principium est) : Et meritò; si namque mundus ad Dei gloriam, tanquam ad vltimum finem; & ad multiplicationem electorum, tanquam ad finem proximum creatus est, conuenienter singulos eius status ab inclytis denominamus electis. Primam igitur eius ætatem siue Infantiam à creatione mundi vsque ad diluuium à primo parente mortalium Adam deducimus, qui post pœnitentiam suæ præuaricationis sanctus illustris euasit. Secundam à iusto Noë generis humani reparatore. Tertiam à fideli Abraham electi populi principe. Quartam à dilecto Deo & hominibus Moyse populi fidelis legislatore. Quintam à Dauid mansueto, quem Deus inuenit secundùm cor suum. Sextam denique à Iesu Christo primo electorum, sancto sanctorum, mundi redemptore, vnigenito Dei, qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & à quo omnis sanctitas, gratia & gloria deriuantur. Septimam non habet mundus ætatem in tempore, habebit pro electis fœlicem in æternitate, vbi perpetuo quietis ac beatitudinis æternæ sabbatho perfruentur.

Prima hæc mundi ætas mille sexcentis & quinquaginta sex annis decurrit à principio, quando creauit Deus cœlum & ter-

ram, vsque ad diluuium vniuersale; non enim mundum à se ipso existere velut ens necessarium admittimus, sed à Deo optimo maximo productum ãlibi contra Atheos demonstramus; nec rursùm ab æterno processisse quadam necessitate recipimus ab Aristotele, sed à principio temporis indicati liberrimè conditum à Deo fatemur.

Non ex indigentia, sed connaturali sua bonitate Deus mundum produxit; ipse namque bonorum nostrorum non eget sibique ad propriam beatitudinem sufficientissimus est, cum sit summum bonum, cuius perfectissima & connaturali possessione ab æterno in comprehensiua sui visione & fruitiua dilectione gaudet. Vnde vt esset, & vt beatus esset, mundi creatione non indigebat: dicit enim Tertulianus; Ante omnia erat Deus solus, & ipse sibi & mundus, & locus, & omnia: & Bernardus lib. 5. de Consideratione, cum dixisset mundum Dei præsentia & maiestate plenum, subdit; Aliàs verò vbi erat antequam mundus fieret, ibi est; non est quòd quæras vltra vbi erat, præter ipsum nihil erat, ergo in seipso erat.

Cum Deus sit ipsa natura bonitatis, & bonum sit sui diffusiuum & communicatiuum; non solùm se naturaliter ac necessariò ad intra, in Diuinarum Personarum processione communicauit; sed etiam liberè, iuxta suæ voluntatis beneplacitum, ad extra in creaturarum productione temporali diffudit: creaturæ siquidem sunt participatæ Diuinitatis emanationes, ac limitatæ diffusiones. Est igitur Deus mundi principium vniuersale & primum: est & vltimus finis omnium, vniuersa quippe propter semetipsum operatus est Dominus, vt scilicet in creaturis Diuinas suas perfectiones demonstraret, quarum sunt participationes. Finis autem proximus creationis mundi est multiplicatio electorum; Deus enim ordinem naturæ ad ordinem gratiæ direxit. Nullam habuit mundus causam materialem, ex qua fieret: creauit enim Deus cœlum & terram, creatio autẽ fit ex nihilo, siue ex nullo præsupposito subiecto. Causam formalem extrinsecam seu exemplarem habuit idæas omnium creaturarum in mente Diuina existentes, siue exemplar sui à Deo formatum, quod perfectissimè imitatur. Si loquamur de

causa

causa tam materiali quàm formali intrinseca mundi, ex quibus constat: causa materialis sunt omnes creaturæ, formalis autem est ipse pulcherrimus ordo, quem Deus inter creaturas constituit, quæ enim sunt à Deo ordinata sunt.

Emenso iam tempore infinito iuxta nostram imaginationem, cum ad illud virtuale punctum æternitatis deuentum est, quod primæ ac exercitæ creationis durationi correspondet, cœpit Deus factum ab æterno mundi condendi decretum exequi. Nihil ante creauerat, nec se ad extra communicauerat: Vnde meritò reiicitur quidam modernus, qui libellum nuper de præadamitis perniciosum edidit, contra sacram Scripturam, doctrinam Ecclesiæ ac sanctorum Patrum, quo leuibus argumentis probare nititur fuisse homines Adamo priores, & plures alia absurda inde sequentia.

CREATIO MVNDI.

IN principio creauit Deus cœlum & terram: in principio vtique veræ ac realis creatæ durationis, quæ creata materialia ex tunc cœpit mensurare, & dicitur tempus. Hæc mundi creatio in æquinoctio veris sub finem mensis Martij communiùs creditur facta, ita quòd eadem anni parte conditus & reparatus dicatur.

Prima die, quæ nostræ respondet Dominicæ, creauit Deus cœlum, & terram. Per cœlum intelligitur tota natura cœlestis quantùm ad corpora cœlestia elementis superiora, sicut & Angeli, quorum specialem mentionem noluit Moyses facere populo rudi & ad idololatriam inclinato, ne audiens creaturas tam nobiles, illas vt Deos coleret more gentilium Ægyptiorum, quorum consuetudine deprauatus nondum in vnius Dei fide stabilis erat, vt constat ex cultu vitulorum in deserto. Per terram intelligitur non sola terra, sed tota natura elementaris, inferior cœlis & terræ contermina. Vnde prima die statim à principio quatuor differentia inter se creata sunt, natura scilicet angelica, natura cœlestis, natu-

ra elementaris, & tempus quod est numerus motus primi mobilis secundùm prius & posterius, cœli quippe in motu creati sunt. Angeli sunt substantiæ penitus immateriales nobilissimæ ac purè intellectuales, in tres hierarchias & nouem ordines distinctæ: Prima hierarchia in sima continet Angelos, Archangelos, & Virtutes, qui ad particularia mundi huius inferioris ministeria destinantur: Secunda hierarchia media continet Potestates, Principatus & Dominationes, qui vniuersalibus tantùm huius mundi ministeriis deputantur, vt conseruationi specierum, regnorum directioni, & similibus: Tertia hierarchia suprema continet Thronos Cherubin & Seraphin, qui in sola Dei contemplatione versantur, nisi aliquando in aliquibus gratiæ muneribus occupentur, vt in Ecclesiæ totius protectione. Cœlestes hi Spiritus in cœlo empyreo creati sunt in gratia, Deus enim in eorum productione erat largiens naturam infundens gratiam: omnes simul in primo instanti ad suum creatorem conuersi sunt ex propria contemplatione: In secundo instanti boni Angeli in debita illa conuersione perstiterunt, mali verò plus nimio sibi in sua pulchritudine complacentes à debita conuersione cessarunt: vnde illi per suum meritum statim gloriam consequuti sunt, isti verò propter demeritum æternis inferni suppliciis addicti sunt. Cœli sunt substantiæ quidem materiales, sed tamen perfectissimi: quidam eos faciunt liquidos, alij probabiliùs solidos, pluribus constantes partibus, quas cœlos partiales vocant, quorum alij sunt concentrici, alij excentrici, quibus adsunt epicicli. Circa numerum cœlorum variant authores, quidam pauciores, quidam plures ponunt: communius recipitur esse vndecim, ex planetis, stellis fixis, & motibus distinctos: Primum ordine ascensus est cœlum Lunæ, Secundum cœlum Mercurij, Tertium est cœlum Veneris, Quartum est cœlum Solis, Quintum est cœlum Martis, Sextum est cœlum Iouis, Septimum est cœlum Saturni, Octauum est Firmamentum, Nonum est cœlum Chrystallinum, Decimum est primum mobile, Vndecimum est cœlum Empyreum sedes beatorum

beatorum : De horum natura, motibus ac multiplici influentia ex professo in Philosophia egi, sicut & de Angelis in Theologia; Vnde his dimissis ad creationem & ad opus primæ diei redimus. Quatuor sunt elementa, quæ cum cœlis sunt præcipuæ situales mundi partes, Videlicet Terra infima, Aqua superior, Aër eleuatior, & Ignis supremus: de quorum natura, proprietatibus, ac simultanea ad generationes concurrentia disseruimus in Philosophia. Prædictæ naturæ cœlestes & elementares creatæ sunt informes & absque ornamento: Vnde dicitur; Terra autem erat inanis & vacua, id est non fœcunda fructibus, nec repleta animalibus; & tenebræ erant super faciem abyssi, totius scilicet molis visibilis, maximè Aquæ & Terræ; quarum fit tantùm hic specialis mentio rudi populo, qui alia non nouerat elementa quantùm ad situalem locum, nisi secundùm aliquos & cum fundamento in sacra scriptura per spiritum Domini intelligatur Aër, dum dicitur *spiritus Domini ferebatur super aquas.* Facta sic informi rerum, seu præcipuarum mundi partium situalium creatione, cœpit Deus per aliquam transmutationem ornamenta creatis addere: Vnde hac ipsa prima die creauit lucem, Et ita dixit Deus, *Fiat lux*: Et vidit Deus lucem quòd esset bona, & diuisit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem; factumq; est vespere & mane dies vnus, siue primus. Nomine lucis quidam intelligunt nubem lucidam de nouo creatam, alij quandam illustrationem in determinata cœli moti parte, alij denique solem quantum ad hunc specialem effectum illuminandi: Vnde ex particularibus creaturis esset prima producta tanquam ornamentum mundi præcipuum, vniuersalis omnium sublunarium causa, & perfectissima omnium insensibilium creatura, in qua Deus dicitur posuisse tabernaculum suum.

Secunda die fecit Deus firmamentum in medio aquarum, & diuisit aquas ab aquis, vt sic enuntiat Moyses: dixit quoque Deus, *fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*; & fecit Deus firmamentum, diuisit-

que aquas quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum; & factum est ita, vocauitque Deus firmamentum cœlum: & factum est vespere & mane dies secundus. Hic locus est valde difficilis intellectu, propterea variant authores in eius expositione. Quidam volunt prima die creatam fuisse penitùs immensam aquarum copiam, & hac die secunda ex earum substantia formatum fuisse firmamentum in medio ipsarum: & quòd veræ elementares aquæ nostris similes supra firmamentum perseuerent ad delicias saltem beatorum, iuxta illud Apocal. 22. Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tanquã Crystallum, procedentem de sede Dei & Agni: In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem Gentium. Alij volunt nomine firmamenti debere intelligi partem mediam aëris siue secundum regionem firmam, vbi nubes condensantur, quæ est in medio aquarum pluuialium. Sed vtrumque dictum suam habet difficultatem: primum quidem, quia Deus perfectissimus artifex non hæsitauit in mundi creatione, vnde statim à principio perfectissimum illum produxit quantùm ad partium situalium ordinem, quas postmodum in seipsis perfecit ornamentis vnicuique superadditis; Et ita credendum est, sic prima die productum fuisse mundum, vt terra locum infimum & centrum teneret, quam circumquaque circundabat Aqua, & hanc ambiret Aër, & Aërem complectebatur Ignis: Postea sequebantur cœli prædicto ordine super hæc corruptibilia eleuati. Secundum etiam dictum est difficile: nam Scriptura pro firmamento verum cœlum intelligit, in quo dixit quarta die facta fuisse luminaria. Vnde probabilius dicendum videtur, quòd omnes cœli inferiores empyreo, vt pote diaphani & aquæ similes, aquarum nomine populo rudi proponuntur: & quòd nomine firmamenti intelliguntur omnes cœli astriferi. Vnde hac secunda die, productis stellis fixis in cœlo firmamenti, quod priùs in sua diaphaneitate vniformi consistens sub nomine aquarum comprehendebatur

prehendebatur,cœpit in ſuis aſtris apparere lucidum,& illis vt partibus denſionribus conſtans vocari firmamentum: quod dicitur diuidere aquas ab aquis, ſcilicet ſeperiores importantes cœlum Chryſtallinum & primum mobile ad inſtar aquæ diaphanum ab inferioribus his elementaribus fluidis: Aquas enim ſupra cœlos eſſe ſæpiùs habetur in ſcriptura; vnde Auguſtinus in hunc locum ait, maior eſt ſcripturæ huius authoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas; Vnde quomodo & quales aquæ ibi ſint,eas tamen ibi eſſe minimè dubitamus.

Tertia die duo fecit Deus: Primum eſt detegere ſuperficiem terræ, congregando aquas in vnum locum:ſecundum eſt communicare fœcunditatem terræ ad producendos fructus vſui hominum neceſſarios. Creauerat Deus mundum in prima die, iuxta ſuarum partium exigentiam, ita quòd Terra elementorum infima ſubiaceret & operiretur circumfuſo Aquæ elemento: ſed quia creauerat propter electos, ad quorum multiplicationem humana generatio & vita requirebatur,quæ ſub aquis fieri non poteſt,nec ſine fructibus Terræ conſiſtere; ideò neceſſe fuit propter finem creationis,quòd pars Terræ detegeretur:vnde cum ſola Terra ſuum globum efficeret quaſi perfectè ſphærica, & ſimiliter Aqua ſuum; partem Terræ eleuauit Deus in montes toto orbe diffuſos, & ſic concauitates & ſinus in ea parauit, quæ forent aquarum receptacula:& vtrumque ad pulchritudinem ac vtilitatem mundi conducit.Congregationes autem aquarum vocauit Deus maria, quia plures & diuiſæ ſunt; cum Terra ſeu arida ſit vnica abſque ſeparatione, partim ſub aquis, partim ſuper aquas. Primum inter aquarum congregationes mare dicitur Oceanus, qui ſecundùm varias Terræ partes adiacentes nomina variat: : Deinde eſt mare Mediterraneum, ſic dictum, quia Medium inter tres antiquas mundi partes,Europam,Aſiam,& Africam: ſequuntur maria particularia, quæ potiùs Oceani ſinus dicuntur, vt mare Perſicum, mare Rubrum, mare Balthicum &c. Denique ſunt alia maria,vel totaliter ab Oceano ſeparata,quale eſt

le est mare Caspium, mare paruum Armeniæ; vel quæ influunt in oceanum nullum ab eo refluxum habentia. Ab his aquarum congregationibus mediatè vel immediatè procedunt pluuiæ, fontes, & flumina, quæ terram fœcundant, commerciumque inter mortales mutuamque communicationem adiuncto mari conseruant. De hoc primo huius tertiæ diei opere habetur: Dixit verò Deus; *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum vnum, & appareat arida*; Et factum est ita, & vocauit Deus *aridam Terram*, congregationesque aquarum appellauit *Maria*; Et vidit Deus quòd esset bonum. De secundo autem opere dicitur: Et ait (scilicet Deus) *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram*; Et factum est ita, & protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundùm speciem suam: Et vidit Deus quod esset bonum; Et factum est vespere & mane dies tertius. Vix omnes seminum, fructuum, herbarum, arborum, & florum species dinumerari possunt, quæ Deus ad vtilitatem, imò & ad delicias hominis produxit: nostrates, vt pote cunctis notas, prætermitto; extraneas, & pluribus ignotas, in meo orientali Itinerario partim descripsi. Hac tertia die factus creditur Paradisus terrestris postea describendus, quem Deus à principio condiderat quantùm ad solum, & plantauit hac die quantùm ad ornatum, vt homini mox producendo conueniens habitaculum præpararet.

Quarta die produxit Deus luminaria mundi in firmamento, maximè septem Planetas: Vnde in textu habetur; Dixit autem Deus, *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos; vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram:* Et factum est ita, fecitque Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præesset diei; & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas: Et posuit eas in firmamento cœli vt lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & diuiderent

rent lucem ac tenebras: Et vidit Deus quòd esset bonum, & factum est vespere & mane dies quartus. Sunt, qui luminaria cœli non simpliciter facta die quarta confirmant, saltem omnia, sed tantummodò quantùm ad aliquos actus & effectus; cum aliqui solem prima die sub nomine lucis factum, & stellas fixas secunda die sub nomine firmamenti productas asserant. Dicendum igitur probabilius, Deum prima die non lucem solis permanentem, sed aliam quasi mutuatam produxisse, secunda die produxisse firmamentum modo descripto per astrorum, quæ stellas fixas nominant, additionem: Et hac quarta die produxisse Planetas septem, quos stellas errantes vocant: Inter quas duo sunt luminaria magna; vel absolutè, vt sol luminare maius realiter cæteris; vel apparenter, vt luna luminare minus sole, sed maius apparens cæteris astris, cùm tamen ferè omnibus aliis sit minus: de quorum omnium magnitudine in nostra Philosophia disserui. Per hanc autem Planetarum creationem, qui mixti stellis fixis apparent, cœli inferiores sunt firmamento velut incorporati: Vnde hæc luminaria dicuntur facta in firmamento; quæ terram illuminant gyrantia, successiuè diem ac noctem causantia motu diurno; per accessum autem & recessum quatuor anni partes, Ver scilicet, Æstatem, Autumnum, & Hyemem distinguentia, ac generationibus sublunarium influentia. Mira de hoc influxu docent Astrologi, quorum multa retulimus in Philosophia.

Quinta die produxit Deus pisces in aqua, & volucres in aëre. Vnde habetur in textu: Dixit etiam Deus; *Producant aquæ reptile animæ viuentis* (vita scilicet sensitiua) *& volatile super terram sub firmamento cœli:* Creauitque Deus Cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundùm genus suum: Et vidit Deus quòd esset bonum, benedixitque eis dicens; *Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris; auesque multiplicamini super terram:* Et factum est vespere & mane dies quintus. Quantùm ad pisces infinitæ propemodum sunt ipsorum species: sunt aliqui magni-

tudinis prodigiosæ, quos Scriptura Cete grandia nominat: sunt alii, qui terrestria imitantur animalia; imò quod mirabilius est, inter ipsos apparent aliqui velut homines, & alij quasi mulieres; & inter homines marinos alij mitra videntur insigniti: ita quòd mare varietate suorum piscium superare videatur terram in speciebus animalium. Denique inter pisces sunt aliqui miræ virtutis; vt Ostrea, quæ producunt vniones; Remora, quæ nauim ingentem velociter currentem sistere dicitur; Et Torpedo, quæ manum piscatoris immobilem reddit. Quantùm ad aues, plurimæ sunt species, inter quas Aquila censetur Regina: Pauo tanta nitet pulchritudine, quòd intuentium oculos & mentem raperet, ni quotidiana visionis assiduitate viluisset. Inter aues aliquæ sunt pulchritudine spectabiles, aliæ cantu delectabiles, aliæ simulata loquela mirabiles, ac ferè omnes vtilitate commẽdabiles: quarum omnium industriam tam in sui educatione, quàm in pullorum propagatione mirabile est intueri.

Sexta die produxit Deus omnia animalia terrestria, ac tandem hominem omnium animalium, seu volatilium, seu aquatilium, seu terrestrium principem, vt eis omnibus præsideret ac dominaretur. De hoc opere sextæ diei habetur: Dixit quoque Deus, *Producat terra animam viuentem in genere suo; iumenta & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas:* factumque est ita, & fecit Deus bastias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo: Et vidit Deus quod esset bonum, & ait; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, vniuersæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra.*

CREATIO HOMINIS.

CVm homo sit paruus quidam mundus, seu epilogus totius mundi, quatenus omnium creaturarum habet aliquid, vt statim dicetur; conueniens est, vt post creationem magni mundi, creationem huius parui mundi, non confusè

cum

cum aliis; sed distinctè, vt pote mirabilem & mysteriosam describamus. Prosequitur sacer textus: & creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam creauit eos: benedixitque illis Deus, & ait; crescite & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Dixitque Deus: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuersis quæ mouentur in terra: in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Et factum est ita: Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; Et factum est vespere & mane dies sextus.

Quantùm ad modum quo Deus produxit hominem, sciendum est non fuisse vniformem aliarum creaturarum productioni: nam alias creaturas solo verbo imperij produxit, dicens; Fiat, & factum est. Productio autem hominis sic describitur cap. 2. Genesis: Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Et hoc de formatione Adam primi hominis: quantùm verò ad formationem Euæ primæ mulieris postea subditur: Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius; immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea: & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam; Dixitque Adam, hoc nunc ex ossibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est: Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.

Igitur spatio sex dierum; (siue naturalium, quales nunc habemus, vt docent communiter authores; siue mysticorum per ordinem ad distinctas cognitiones Angelicas, vt interpretatur

pretatur Augustinus, qui totum mundum perfectum in instanti creatum docet) perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum: tribus enim primis diebus produxit & distinxit partes mundi, ac intrinsecè perfecit: tribus autem sequentibus eas ornauit, seu ornamento extrinseco perfecit; cœlos scilicet astris, aquam & aërem piscibus ac volatilibus, & denique Terram animantibus omnis generis, ipsoque homine, quem vniuersarum creaturarum principem constituit.

Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat (scilicet quantùm ad creationem mundi, quoad omnes eius partes situales, & alias primò productas; nunc enim continuat sua opera non solùm ex præexistente materia nouos effectus producendo, eosque conseruando; sed etiam de nouo animas creando in assidua hominum generatione, absque vlla distinctione sabbathi) & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat: & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret.

Circa productionem hominis notandum, quòd in præcedentibus operibus simpliciter nominatur Deus &c. Sed post hominis productionem Deus dicitur Dominus, vt ostendatur quòd est Deus æqualiter respectu omnium, sed propriè non est Dominus nisi respectu hominis; Dominus enim est correlatiuus seruo, & solus homo inter creaturas sensibiles est proprie seruus Dei, cuius præceptum sibi intimatum discernit & voluntariè exequitur; cum tamen alia sensibilia tale præceptum non agnoscant, sed solo impetu naturæ exequantur.

Deinde notandum, quòd in eiusdem hominis productione mysterium Sanctissimæ Trinitatis indicatur, dum Deus loquens inducitur nunc in singulari, nunc in plurali; in plurali quidem, dum ait, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, quo denotatur Trinitas Diuinarum Personarum; in singulari autem, dum ait, *& creauit Deus hominem ad imaginem suam*, quo denotatur vnitas essen-

tiæ

tiæ & virtutis creatiuæ in tribus personis.

Dicitur autem homo creatus ad imaginem & similitudinem Dei præ aliis sensibilibus creaturis, quia naturæ intellectualis particeps effectus perfectiùs Deum intellectualem repræsentat, quàm alia sensibilia quæ licet viuentia, à gradu intellectualitatis excluduntur: & insuper suis potentiis intellectiuæ partis, memoria, intellectu & voluntate Trinitatem Diuinarum Personarum aliqualiter exprimit; memoria quidem Patris fœcunditatem, intellectu Filij sapientiam, & voluntate Spiritus sancti dilectionem. Propterea cum cæteræ creaturæ sensibiles appellentur Dei vestigia, solus homo dicitur imago Dei, vtique imperfecta; Vnde non tam imago Dei, quàm factus ad imaginem Dei dicitur.

Quantùm ad corpus, ex vilissima factus est homo materia: licet enim ad eius corporis formationem quatuor inseruierint elementa, cum sit mixtum perfectum, specialiter tamen exprimuntur Terra & Aqua, quæ sensibiliter lutum componunt, & in eo prædominantur: dicitur autem homo factus de luto siue limo terræ, quam fuisse ruffam asserit Iosephus. Ex limo igitur formauit Deus primi hominis corpus, non tantùm extrinsecè membra adaptando, quod solent statuarij seu figuli efficere; sed etiam interiùs cum infusione animæ perficiendo & viuificando: quam differentiam explicat S. Gregorius Nissenus in hunc locum dicens; Nunquid formauit hominem, quemadmodum è luto figuli aliquid effingunt, aut quemadmodum ex Ære conflant aliquid statuarij? minimè verò; nam statua quidem extrinsecus tantùm speciem ac similitudinem præfert, at opus formatum à Deo non est huiusmodi, sic enim hominem conflauit, vt omnes illius partes intus etiam formaret, atque distingueret. Fuit autem productus Adam, sicut & Eua, in iusta magnitudine corporis, quæ tunc satis erat procera; in ea quidem dispositione, quasi forent in florenti seu virili ætate, qualem habent homines circa trigesimum ætatis annum; & cum eximia pulchritudine in apta partium dispositione cum suauitate coloris, qualem decebat habere corpora speciali mo-

do à Deo formata. Docent aliqui formatum fuiſſe primum parentem in campo Damaſceno iuxta Hebron in Terra ſancta, docent alij formatum fuiſſe iuxta ſitum Paradiſi terreſtris poſtea deſcribendi.

Quantùm ad animam primi hominis, ſicut & aliorum, docet ſacra Scriptura eſſe ſpiraculum vitæ à Deo inſpiratum in facie eius. Per hoc communiter authores intelligunt animam ſpiritualem & intellectiuam, quam Deus creando infundit corpuſculo pueri vltimatè diſpoſito nunc in ſingulis generationibus, & tunc in formatione Adam, & paulò poſt in ædificatione Euæ. Hæc eminens anima ſuper alias continet tam eminenter quàm formaliter rationes ac perfectiones inferiorum animarum, imo & cæterarum formarum ſubſtantialium. Vnde dat eſſe ſenſitiuum, loco motiuum, eſſe vegetatiuum, & eſſe corpus ac ſubſtantiam: Propterea homo habet eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, & intelligere cum Angelis, ac proinde eſt quodammodo omnis creatura, & paruus mundus, vt ſupra dicebamus; maximè quia ſunt in ipſo quatuor qualitates elementorum, ratione quarum elementa ſunt virtualiter in homine, & reſident in quatuor eius humoribus cum proportionali combinatione ad illas quæ ſunt virtutes elementorum. In flaua bili ſiue cholera eſt calor & ſiccitas, ſicut in Igne. In ſanguine eſt calor & humiditas, ſicut in Aëre. In pituita ſiue phlegmate eſt humiditas & frigiditas, ſicut in Aqua. In atra bili ſiue melancholia eſt frigiditas & ſiccitas, ſicut in Terra. Hæc ſpiritualis anima plures habet potentias ſecundùm omnes gradus eſſendi quos continet, & maximè ſecundum tres gradus viuentium: in eſſe vegetatiuo habet potentias, nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam: in eſſe ſenſitiuo habet potentias tam externas quàm internas; externæ ſunt, viſiua, Auditiua, Olfactiua, Guſtatiua, & Tactiua; Internæ verò ſunt, ſenſus communis, Imaginario ſiue phantaſia, Æſtimatiua ſiue cogitatiua, & memoria ſiue reminiſcentia: in eſſe intellectiuo habet intellectum & voluntatem; mediantibus his potentiis, & adiuncta

loco

loco motiua suas omnes habet anima operationes tam immanentes quàm transeuntes.

Quia fuit homo Dei bonitate ad finem supernaturalẽ eleuatus, scilicet ad visionẽ ac fruitionem ipsius Dei beatificam: Inde est, quòd cum in Adam & Eua nulla fuerit repugnantia, in ipsa eorum productione fuit illis communicata gratia sanctificans cum omnibus infusis virtutibus, ac donis Spiritus sancti, qua Diuinæ simus consortes naturæ ac hæredes gloriæ. Quæ supernaturales communicationes merito posteris Adæ denegantur ordinariè in ipsa generatione, propter peccatum originale quod cum natura ab ipso primo parente contrahunt, vt infra dicetur: Et tantùm in regeneratione baptismatis ob merita Christi Redemptoris conceduntur.

Insuper ratione status innocentiæ ac iustitiæ originalis, in quo fuerunt primi parentes conditi, sic omnia erant in ipsis ordinata, quòd pars superior esset perfectè Deo subiecta, & pars inferior superiori, seu appetitus rationi: Vnde nullus motus inordinatus insurgebat in eis; cuncta erant tranquilla & pacifica, quæ ipsos in perfecta Dei conditoris sui contemplatione continebant immobiles, & in virtutum exercitio sine impedimento perseuerantes.

Denique ratione ætatis perfectæ tali statui coniunctæ, in qua fuerunt formati, liberaliter acceperunt à Deo scientias omnes acquisitas ex suo genere, & naturalem rerum omniũ, quæ cum homine & propter hominem factæ sunt, perfectam cognitionem, quantùm videlicet vel ad animæ eruditionem, vel ad corporalis vsus necessitatem pertinere videatur. Acceperunt etiam cognitionem supernaturalem mysteriorum fidei, vt Sanctissimæ Trinitatis, & Sacrosanctæ Incarnationis, etsi aliquæ eorum circunstantiæ illos latuerint.

Conditus igitur fuit primus homo cum Eua in hoc fœlici statu, in quo nihil eos poterat molestare vel lædere, quandiu subiecti Deo remanerent: Omnia animalia, singulæ creaturæ ipsos venerabantur, tanquam suos principes. Qui ex hac perfecta conditione pulchritudinem mundi mirabiliter augebant. Et ex ipsis ac aliis in suo ordine consideratis tanta

mundi

mundi pulchritudo consurgebat; vt dicatur *quòd Deus vidi cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, cum priùs sigillatim vnamquamque creaturam considerans, bonam, & non valde bonam diceret.

PONITVR ADAM IN PARADISO TERRESTRI.

PLantauerat autem Dominus Deus, die scilicet tertia, vt iam dictum est, paradisum voluptatis, in quo posuit hominem quem formauerat, dicit sacer textus: Et sic describit situm & amœnitatem huius paradisi voluptatis conuenientis habitationi primi hominis, quem in tanto honore condiderat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phison, ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibi inuenitur bdelium & lapis onychinus. Et nomen fluuij secundi Gehon, ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen verò fluminis tertij Tygris, ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus ipse est Euphrates.

De Paradiso autem terrestri sic descripto, quem aliqui vocant Adamicum, quia primus eius colonus fuit Adam, multæ sunt apud authores sententiæ, non obstante tam accurata illius in sacra Scriptura descriptione. Quidam dicunt Paradisum terrestrem esse totum mundum, fontem illius esse oceanum, ex quo quatuor illa celeberrima flumina dimanant; sed hæc opinio est Scripturæ dissona, nam ex illa habetur, quòd illa quatuor flumina exeunt de Paradiso, & tamen constat non exire de mundo; deinde Scriptura docet Adamum de Paradiso post peccatum fuisse eiectum, quem tamen constat per nongentos & amplius annos in mundo perseuerasse.

Alij dicunt hunc Paradisum Adamicum esse locum secretissimum, & in concauo Lunæ collocatum: sed hi etiam Scri-

pturæ diſſentiunt, cum ſcriptura dicat arbores in eo fuiſſe, præcipuè lignum ſcientiæ boni & mali: deinde in eo fuiſſe fluuium,qui in quatuor capita diuidebatur, quæ ſingula demonſtrant illum eſſe terreſtrem,non aëreum aut cœleſtem.

Alij denique aliis in locis Paradiſum terreſtrem collocant,in alia terra nobis incognita,vel in Paleſtina circa Iordanem in terra Sodomorum,vel in inſula Taprobana:ſed hi quoque deuiant à veritate,non enim ex aliquo horum locorum emanant quatuor illa flumina, quæ ſcriptura docet ex Paradiſo oriri.

Vnde aptiùs alij conſtituunt Paradiſum terreſtrem in Meſopotamia & Armenia; quia ex Scriptura Paradiſus fuit in Eden,Eden verò fuit iuxta Haran , Haran autem ſecundùm Hebræos idem eſt ac Meſopotamia. Quod efficaciter ex eo probatur, quòd Cain ante diluuium,& poſteri Noë poſt diluuium has terras incoluerunt , vt patet ex Geneſis 4. & 8. Credibile autem eſt,quòd Cain non ſtatim tranſiit ad remotas regiones,ſed ſtetit iuxta regionem , in qua Adam eius ac omnium mortalium primus parens illum procreauit,maximè quia ex montibus Armeniæ ac Meſopotamiæ fluuij Tygris & Euphrates oriuntur,quorum origo ad fluuium illum paradiſi reducitur.

Sed nouæ circa hoc difficultates oriuntur; nam ex ſcriptura habetur fluuium illum Paradiſi in quatuor capita diuidi ſiue flumina, ſcilicet Phiſon,Geon,Tygrim,& Euphratē:nomine autem Phiſon intelligunt aliqui Gangem, & nomine Geon intelligunt Nilū ; conſtat autem quòd Nilus & Ganges non ex Meſopotamia & Armenia , ſed Nilus ex montibus Lunæ iuxta promontorium bonæ ſpei in regno Congo, Ganges verò è monte Caucaſo Indiæ dimanat. Aliqui ſe ab hac expediunt difficultate,dicentes hęc duo flumina ſub terra abſcondi , & per meatus ſubterraneos defluentia ex variis poſtea naſci regionibus;ſed tamen incredibile videtur, quòd hæc flumina tanto ſpatio ſub terra lateant,& tam diſſitis oriantur regionibus,vt ex mundi Mappa conſtat. Qua propter alij per Phiſon & Geon non Gan-

gem & Nilum, sed alia flumina, vel etiam ramos ipsius Tygris & Euphratis volunt intelligi : Per Æthiopiam autem, quam dicit Scriptura Geon circuire, intelligunt non Æthiopiam Abissinorum, sed aliam Assyriorum, quam iuxta sinum Persicum constituunt; ibique etiam terram Heuilath collocant propè Arabiam fœlicem cum authoritate sacræ Scripturæ, vt patet ex Genesis 25. & 1. Regum 15.

Probabilius iudico Paradisum terrestrem in Mesopotamia & Armenia conditum fuisse, vt ex dictis constat; valde probabile ipsum adhuc perseuerare in amœna aliqua planitie montis Armeniæ, quem nunc Armeni montem Noë vocant. Hic mons est in Armenia maiori propè ciuitatem Eriuan, olim Albaniam, excelsus admodum, vicinis aliis eminentior, & procul apparens, in quo successiua auorum & proauorum traditione ac simul authoritate Scripturæ referunt Armeni decrescentibus aquis diluuij arcam Noë requieuisse, & ad hæc vsque tempora perseuerare; hunc propterea maximè venerantur, & mihi quondam in Armenia iteragenti à longè comparentem indicauerunt. In eo semper præ altitudine conspiciuntur niues; est inaccessibilis, nullus enim ad eius verticem hactenus ascendere potuit licet id multi tentauerint, siue hoc ex naturali montis arduitate procedat, vt experimur in monte inaccessibili Delphinatus in Gallia propè ciuitatem Diam, siue potiùs ex speciali prouidentia Dei, vt certa plurium Armenorum relatione didici; De vno præsertim Religioso nationali dicunt, quòd deuotionis causa, vt mysticam ac venerandam illam Noë videret archam, ad summitatem montis magno labore voluerit penetrare; sed cum tota nocte, qua potuit celeritate, fuisset progressus ascendendo, se in ipsis montis radicibus redeunte sole conspexit, Angelumque vidit deferentem Arcæ particulam, sibique eam tradendo dicentem audit; *accipe quas cupis reliquias, supra montem ascendere nulli mortalium licet*; his dictis euanuit. Hunc montem quidam ex antiquis authoribus vocant *Periardem*, alij *Gordianum*, Armeni verò nunc vocant *montem Noë*.

Dicimus

Dicimus igitur esse plurimum probabile Paradisum terrestrem in aliqua planitie amœna montis huius perseuerare, peculiari prouidentia Dei præseruatum ab aquis diluuij supra ipsum eleuatis ad instar fornicis, propter Henoch præsentem, & S. Prophetam Eliam nostrum Patriarcham tunc futurum incolam: Qui ad hunc voluptatis Paradisum ac deliciarum locum à frigoris rigoribus & solis ardoribus diuinitus temperatum translati, gaudiis penè cœlestis Paradisi affluentes, ad finem vsque sæculi præseruantur, vbi edentes fructum arboris vitæ, senectutis & infirmitatis molestias ignorant.

Sic autem probatur Paradisum terrestrem in hoc assignato esse loco (supposito quòd fuerit præseruatus & hactenus perseueret, vt ex eo suadetur, quòd nullus alius aptior videtur locus horum Prophetarum conseruationi tam longæ ac mirabili, maximè quia legitur ad illum translatus Henoch, vt infra dicetur.) Ad huius montis radices nascitur Euphrates, de quo nullus dubitat eũdem esse, quem proprio nomine Scriptura inter quatuor flumina quarto loco nominat: non longè inde nascitur Tygris, quem etiam Scriptura proprio describens nomine de illo sic ait; *ipse vadit contra Assyrios.* Ad radices eiusdem montis nascitur fluuius ab Armenis vocatus Araxes, qui Chulpham ciuitatem antiquam nunc penè destructam alluens versùs orientem procurrit: Alius etiam fluuius dictus Cyrus nõ procul inde dimanat, qui Armeniam præterlabitur. Hi fortè Physon & Geon olim nominabantur? & nomen mutarunt, sicut & prouinciæ quas irrigant defluendo; nisi dicamus Gangem esse Phison, & Indum esse Geon, egredientes è Paradiso terrestri, quia Ganges & Indus è mari Caspio creduntur oriri, in quod influunt Araxes & alij fluuij ab hoc monte Armeniæ profluentes. Vel Phison est ramus fluuij Tygris, dictus à Plinio *Pasitygris* corruptè, siue *Fisotygris*, Arabes enim carent littera P. & mutant in F. Geon autem forte est Geon fluuius in Perside nominatus, qui regnum Korasson à regno Vzbech separat; licet autem eius origo distet ab hoc monte Armeniæ, dici posset hoc ex

diluuio ſucceſſiſſe, quod multa in orbe terrarum immutauit.

Hanc aſſertionem noſtram duo confirmant. Primum eſt, quòd impoſſibilis eſt ad ſummitatem huius montis aſcenſus, vt iam dictum eſt; Et ſic impenetrabilem eſſe voluit Deus Paradiſum terreſtrem, poſtquam inde poſt peccatum originale primum parentem expulit, vt conſtat ex Scriptura. Secundum eſt, quòd ſanctus Elias illis in locis non ſemel apparuit, vt plures Armeni fide digni noſtris Religioſis in Perſide commorantibus retulerunt. Et aliunde hic locus eſt in Meſopotamia & Armenia: omnis enim ille tractus terræ inter fluuios Tygrim & Euphratem medius, Græcè *Meſopotamia* dicitur, & ab Hebræis *Haran* ſiue *Charan*; & partem Armeniæ, partem etiam Aſſyriæ ſiue Chaldææ complectitur: Vnde ab hoc monte deſcripto Armeniæ, vnde Tygris & Euphrates naſcuntur, incipit ab Aquilone Meſopotamia, quæ versùs auſtrum procurrit, de qua ſuo loco plura dicentur.

Poſtquam ſacer textus in deſcriptione Paradiſi terreſtris dixit in eo fuiſſe productum omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, cuius ſcilicet fructus naturali virtute vires corporis humani debilitatas reparare poterat, & ſic vitam prolongare: lignumque ſcientiæ boni & mali, ſic dictum quia primi parentes per eſum fructus illius, non ſolùm bonum vt ante, ſed etiam malum de nouo in ſeipſis didicerunt; exinde deſcribit fluuium illum primitiuum ſiue magnam aquarum originem in ipſo Paradiſo erumpentem ad irrigandum ipſum locum voluptatis, quem è Paradiſo diffluentem in quatuor capita ſiue flumina diuidi affirmat. Quia de duobus primis, Phiſon & Geon vix aliquid certi reperitur apud Authores, in duobus aliis deſcribendis ſolum immemorabimur.

Nobiliſſimi, & à multis iam ſæculis in ſacra ſcriptura nominatiſſimi fluuij Tygris & Euphrates, vere fratres vnitiſſimi; ab eodem patre, ſacro ſcilicet fonte Paradiſi terreſtris, ſimul nati, ſimul pari curſu non longè ab inuicem verſus Aſſyrios

Aſſyrios tendentes, iterum vniti ſimul in ſinu Perſico moriuntur: Quia ipſos in principio, in medio, & in fine curſus vidi & nauigaui,poſſum exactam ipſorum deſcriptionem hic apponere,qualem in meo Orientali Itinerario feci.

Tygris,qui ab incolis Arabibus *Dagella* nominatur,in Armenia maiori non procul ab origine Euphratis fluuij ortum habet: In toto curſu, qui versùs Aſſyriam tendit, candidis rapidiſque decurrit aquis, quæ licet ad bibendum ſuauiſſimæ, non ita tamen ſalubres eſſe quotidiana conſtat experientia; ob nimiam quippe ſubtilitatem fluxum ventris hominibus cauſant non aſſuetis.

Multas, eaſque celeberrimas in ſuo curſu pertranſit vrbes. In ſuo ferè principio mœnia Diarbequir nobilis Meſopotamiæ ciuitatis aluit: ibi tenuiſſimus adhuc eſt, nec latior quam ſit iactus lapidis, nec altior duobus palmis; ſed facile & ſæpe intumeſcit, maximè quando niues montium Armeniæ liqueſcunt, vel magni ingruunt imbres, quod ex eius lecto plurimùm coram prædicta ciuitate diffuſo apparet;tunc autem ponte ad vnum milliare infra dictam ciuitatem inter anguſtias duorum montium fabricato pertranſitur. Ex his autem paruis principiis in magnum excreſcit fluuium; omnes enim fluuiolos, qui paſſim ex Armeniæ montibus profluunt,in ſe recipiens, cum Babylonem peruenit, ipſum Euphratem à ſuis magnum principiis, & tantùm vna die diſtantem adæquat.

Ciuitate Diarbequir relicta, à dextris vaſtiſſimas Meſopotamiæ planities, à ſiniſtris verò radices montium Armeni alluens, primò ciuitatem Merdin, deinde Moſſul, olim maximam & magnificentiſſimam Aſſyriorum curiam Niniuem, receptis plurimùm auctus fluuiis attingit. Ingentibus eius, quæ adhuc apparent, ſuperatis ruinis ad nominatiſſimam Babylonem,Chaldæorum olim Regiam decurrit,eiuſque pontem ligneum ſupra nauiculas fabricatum præterfluens,Perſidemque paulò inferiùs à Chaldæa diuidens, ad Arabiæ fœlicis initium fratrem ſuum Euphratem propè oppidum Cornar attingit. Tygris ripæ ripas Euphratis amœ-

na viriditate ac vtilitate superant; cum enim per habitata vt plurimùm pertranseat loca, plurimos hortos & campos palmis consitos irrigat, rotis impetu fluminis continuò voluentibus & aquam effundentibus. Piscium etiam delicatissimorum est feracissimus.

Euphrates, qui ab Arabibus *El-farat*, à Turcis verò *Morat* dicitur, à monte Noë supra descripto ducit originem. Versùs meridiem cursum suum dirigens, mediam primò præterlabitur Armeniam, deinde Syriam Arabiamque à Mesopotamia & Chaldæa diuidens, longo satis tractu sinum influit Persicum.

In suo decursu ciuitates aliquas, pluraque oppida suis exhilarat aquis, agros fœcundando: Primò enim Armeniæ finibus egressus, inuenit vrbem Birtham castello munitam, in Mesopotamiæ littore proximo Syriæ ædificatam, non longè ab Vr Chaldæorum dissitam. Qua relicta emenso pluriū dierum itinere, pluribus adaquatis oppidis attingit Annam ciuitatem olim celebrem, cui postquam plurima suis aquis saluberrimis ac fœcundissimis contulit beneficia, procedens vltra ripis iam palmarum viriditate identidem decoratis, frequentiora etiam præteriens oppida, peruenit Hellam itinere plusquam vnius diei Babylone distantem, apud Mahometanos ob sepulchra aliquorum Pseudoprophetarum ipsorum plurimùm commendatam. Digressus inde vrbem Arja peruenit, vbi lentus connaturalis eius cursus, refluentibus vndis propter æstum sinus Persici (quamvis adhuc plusquam triginta distet leucis) perturbatur: Ac tandem ad oppidum Cornar viginti distans à mari leucis fratri suo Tygri sociatur.

Est Euphrates in suo cursu iucundissimus: non enim inter scopulos, sed per immensas diffluit planities, ripis vndequaque virentibus. Sunt eius aquæ non solùm gustui bibentium depurato iam limo suauissimæ, verùm & saluberrimæ; vnde credunt Arabes se ab omni morbo etiam pestifero eius potu sanandos: Sunt tamen turbidissimæ, imò dum ad medium deserti perueniunt, plurimo mixtæ limo

mo ibidem reperto flauescunt, ac tali colore per multa milliaria in ipso mari Persico dignoscuntur. Lento fluens cursu quietissimo, non est admodum profundus, nisi pluuiarum aut niuium Armeniæ liquefactarum intumescat aquis: Abundat piscibus delicatissimis, præsertim iis qui ab illo pisces Euphratis nominantur, ad duos palmos longi, ad proportionem crassi, vix vllam habent spinam præter maiorem, vt parentur ad esum, extrahitur pellis.

Postquam Tygris & Euphrates ad Arabiam fœlicem peruenerunt, viginti millibus supra ciuitatem Bassoram simul confluentes maximum efficiunt fluuium, Ambo proprium deperdunt nomen, & flumen Arabum deinceps vsque ad mare nominantur. Propter fluxum & refluxum maris, suum similiter fluxum patitur & refluxum, qui ad centum ferè contra fluminis impetum ascendit milliaria. Ex illo hinc inde prope infiniti deriuantur fluuioli, qui illo propter maris refluxum intumescente aquis repleti circumuicinas irrigantes terras efficiunt fertiles, & ad singulas diuisis riuulis palmarum arbores attingunt: inter quas, mirabile dictu, reperiuntur mares & fœminæ; mares producunt semen candidum, quod nisi determinato tempore hiantibus fœminarum immitatur ramis, ex quibus Dactilorum botri procedunt, non pingues Dactilos, sed nucleos sola pelle contectos producent.

Totus fluuius à flauis Euphratis aquis flauescit, & dum mare refluit in seipsum, flauæ illius aquæ ad multa milliaria intra mare pertingunt. Aliquæ in medio fluuio sunt insulæ, elatis palmarum comis, sicut & vtraq; fluminis ripa, decoratæ. Sed antequam ad mare cõsociatas effundat aquas, in tria diuiditur capita, quorum primum & maximum recto fluit tramite; aliud à dextris valde magnum versùs Baren & Catiffam decurrit, formata satis ampla insula inter vtrumque caput, quæ Kader id est viridis nominatur; aliud denique paulo minus flumen Gaban vocatur, quod solum inter alia capita vsque ad mare dulces suas conseruat aquas, nec æstum maris patitur, cum tamen alia duo capita salsas intumes-

 centis

centis maris aquas ad duodecim intus milliaria recipiant; vnde per illud ſpatium nullæ naſcuntur arbores.

STATVS HOMINIS INCOLÆ PARADISI TERRESTRIS.

STatim ac Adam fuit à Deo formatus, tranfertur ad Paradiſum terreſtrem, tanquam ad condignum innocentiæ ac iuſtitiæ originalis habitaculum, ac colonus illius loci deliciarum conſtituitur: habetur enim in ſacro textu; *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum.* Sed ſua inobedientia parum in illo perſeuerauit: Aliqui paucas horas, alij paucos dies incolatus concedunt.

Iam dictum eſt, quàm perfectus erat Adam, & quantùm ad animam & quantùm ad corpus. Erat autem ſi non immortalis, ſaltem non moriturus, mors enim per peccatum introducta fuit in mundum: & ſi primus parens non peccaſſet, ſic omnia Dei prouidentia diſpoſuerat; quòd etſi foret mortalis, non tamen moreretur; etſi paſſibilis, non pateretur; ſed poſt longam & fœlicem vitam transferendus eſſet ad cœleſtem gloriam.

Prouiſit igitur primum Deus in Paradiſo de conuenienti eius ſuſtentatione: & ad victum illi conceſſit eſum herbarum & fructuum ſingulorum qui erant in paradiſo, præter fructum ſcientiæ boni & mali, quem illi prohibuit: ſic enim habetur in ſacro textu; Præcepitque ei (Dominus ſcilicet Adamo) dicens, *ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Non dubium, quin in Paradiſo terreſtri eſſent omnes fructus pulcherrimi & ſuauiſſimi, qui nunc in toto reperiuntur orbe, ac plures alij, cum Paradiſus eſſet locus voluptatis & deliciarum; herbæ erant ſaluberrimæ ac delicatiſſimæ, cum terra adhuc eſſet vigoroſa & optima, qualem Deus produxit, nullis hactenus malignis cœlorum influentiis vitiata.

Cum

Cum autem Deus, quatenus Creator & Conseruator hominis, esset eius Dominus, conueniens fuit vt statim à principio supremum suum dominium duplici præcepto demonstraret; vno quidem positiuo & indulgentiæ, quo præcepit ei de aliis fructibus Paradisi comedere; alio autem priuatiuo ac prohibitionis, quo prohibuit ei ne comederet de fructu scientiæ boni & mali: quod vtrumque præceptum fuit postea mulieri iam formatæ intimatum, vt ipsamet fatetur dum tentaretur à diabolo.

Præceptum indulgentiæ de esu cæterorum fructuum & herbarum ad alios cibos postmodum creditur extensum, scilicet ad esum lactis ex pecoribus, & mellis ex apibus, etiam mannæ è cœlo fluentis; nec defuit saccharum in suis arundinibus degustatum. Nec erat insudandũ Adamo, vt sibi cibũ præpararet, nã vltrò terra velut prodiga iustis eius desideriis inseruiisset: quòd si terrã coluisset, hanc terræ culturam delectationis potiùs quã necessitatis causa libenter assumpsisset.

Nudus erat Adam, sicut & Eua postmodum: in illo namque statu innocentiæ nihil inhonestum apparebat, & sic omnia decorabat originalis iustitia, sicut & gloria in beatis. Vnde sicut beati sola luce gloriæ sunt amicti in cœlo, sic & primi parentes candore originalis iustitiæ refulgebant; nec alio tunc indigebant amictu, vel propter honestatem, vel propter necessitatem, cum homini in sua perseueranti innocentia nihil nocere posset.

Cum Deus gloria & honore coronasset hominem, & principem futurum super omnes alias creaturas decreuisset, adduxit ad ipsum omnia terræ animantia & volatilia cœli, quæ sunt nobiliores creaturæ infra hominem. De piscibus nulla fit mentio, quia non sunt animalia, quorum vsu & societate indigeat homo, sicut aliorum animantium, nec facile possunt dimittere aquam: quamuis autem non fuerint adducti, fuerunt tamen Adamo subiecti: vel potest dici, quòd sub nomine animantium terræ comprehenduntur etiam pisces. Adduxit autem hæc omnia ad Adam velut ad suum principem, vt in signum dominij quodammodo

connaturalis ex parte hominis, & ſubiectionis ex parte animantium, eis propria nomina imponeret, quæ ſubiectio animantium ad hominem perfectè erat duratura, quam diu ipſe homo in ſtatu iuſtitiæ originalis perfectè Deo ſubiectus remaneret; de hoc ſic loquitur ſacer textus: *Dixit quoque Dominus Deus; non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*: formatis igitur Dominus Deus (die ſcilicet quinta & ſexta, in qua hoc contigit) de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea; omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius; appellauítque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ.

Non ſolùm hæc omnia animalia fuerunt adducta in conſpectum Adam, ob adductam rationem ſubiectionis eorum ad ipſum; ſed etiam vt Adam experientia diſceret, quòd ex iam creatis animalibus nullum ſibi ſufficiebat ad ſapientialem colloquutionem, nec ad amicitiam ſocialem, nec ad Dei laudem; & ideò deſideraret ſociam ſimilem. Cum enim animalia diuino inſtinctu ſigillatim ad Adam acceſſiſſent, & externa ſubmiſſione ipſum principem ſuum faterentur, agnouit Adam practicè quàm inferiora ſibi forent hæc omnia: vnde dicitur; *Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius.*

Vt Deus naturale & iuſtum Adæ votum de ſocio eiuſdem humanæ naturæ habendo impleret, *immiſit ſoporem in Adam*, ait ſacer textus, *cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam in mulierem, &* adduxit eam ad Adam, dixítque Adam; *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt: Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.*

Quia voluit Deus primum hoc coniugium Adam & Euæ perfectiſſi

perfectiſſimum ſtabilire, non ſeorſim produxit mulierem, quaſi de aliena ſubſtantia, ſed ipſam eduxit ab Adamo, formans illam de eius ſubſtantia, vt Adam teneriùs illam amaret velut aliquid ſui. Non autem eduxit illam de capite, ne mulier ſe caput hominis eſſe crederet, cum potiùs ex Apoſtolo homo ſit caput mulieris; nec ex pedibus, ne deſpiceretur vt quid vile & de infimo productum; ſed de coſta eduxit cordi vicina, quo demonſtraret ipſam eſſe diligendam. Sumpta igitur dormientis Adami coſta, per additionem nouæ materiæ corpus mulieris formauit, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, creans ſcilicet & infundens animam rationalem.

Produxit Deus mulierem pulcherrimam, in multis Adamo ſimilem, tum quoad naturales animæ qualitates, tùm quoad corporis perfectionem, tùm etiam quoad dona virtutis & ſcientiæ gratuita. Vnde mulier tunc producta fuit in ætate nubili, Adamo proportionata, ac in omnibus perfecta. Cum illam Dominus adduxiſſet ad Adam, in vxorem tradidit ei, benedixítque illis Deus, & ait; *Creſcite, & multiplicamini & replete terram.*

Deinde tradidit ambobus dominium vniuerſæ terræ, & authoritatem ſuper omnia animantia, ac poteſtatem vtendi ad cibum fructibus & herbis omnibus, vt præmiſerat ſacer textus capite 1. dicens: *Subiicite eam (ſcilicet terram velut domini) & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram.* Dixítque Deus: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omníque volucri cœli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, & in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum.* Et factum eſt ita, vidítque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona: Et factum eſt veſperè & manè dies ſextus.

Adam & Eua iam rato inter ipſos matrimonio deſponſati à Domino, ſe mutuo & puro diligebant amore; qui ex multiplici

multiplici capite augebatur : ſed in illo ſtatu innocentiæ n
fuit conſummatum tale matrimonium. Erant autem vt
que nudus,Adam ſcilicet & vxor eius, & non erubeſceba
quia erant innocentes & iuſti. Tempus illud breue,quod
ipſorũ ortu vſque ad lapſum decurrit, in creaturarũ conte
platione impẽdebant, & ab ipſis ad Deum creatorem ani
eleuabant, & vt par eſt credere,gratias illi de ſua creatio
conſeruatione, ac tot aliis beneficiis referebant, quam
non legatur in Scriptura ſacrificium vllum externum D
obtuliſſe. Plures inter ſe pios & honeſtos contulere ſerm
nes de mirabilibus ſex dierum operibus quæ ſuis ſpectaba
oculis, & de Deo eorum authore, ac deliciis Paradiſi fru
bantur. Et ſi concedatur, quòd per aliquot dies in illo v
luptatis loco perſtiterunt, diem ſeptimum mira pietate c
lebrarunt, cuius celebritatem tam exactè Deus illis iniu
xerat, vt ceſſantes ab operibus externis ſeruilibus in D
cultu totaliter perſeuerarent, cum aliis diebus homines n
gotiis multiplicibus rerum terrenarum ſic occupentur,qu
vix de Deo cogitare poſſint. De huius diei ſanctificatio
ſæpius in Scriptura præceptum iteratur, fundatum in h
quod dicitur capite 2. Geneſis : Igitur perfecti ſunt cœli
terra, & omnis ornatus eorum ; compleuítque Deus d
ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requieuit die ſeptim
ab vniuerſo opere quod patrarat : Et benedixit diei ſep
mo, & ſanctificauit illum, quia in ipſo ceſſauerat ab om
opere ſuo quod creauit Deus vt faceret.

PECCATVM ET PVNITIO
PRIMORVM PARENTVM.

FOelix erat Adami & Euæ in Paradiſo terreſtri commo
ratio ; ſiue fuerit vnius tantùm diei, & adhuc non inte
græ, ſicut aliqui volunt, qui docent Adamum in principi
diei ſextæ formatum poſt aliorum animantium creationem
ſtatim ad paradiſum terreſtrem fuiſſe tranſlatum,deinde ad

duct

ducta ad ipſum animantia, & Euam productam,ac impoſita præcepta, exinde hora ſexta tentatum peccaſſe, hora nona iudicatum & punitum à Deo, ac tandem veſperi de Paradiſo eiectum: Siue fuerit ſex dierum,vt alij docent, affirmantes vnica die & incompleta tot negotia commodè non potuiſſe expediri: Siue fuerit quadraginta dierum, vt docet Cæſarius: ſiue fuerit annorum triginta, vt alij minus probabiliter aſſerunt. Sed diabolus, quem Deus propter ſuperbiam cum aliis apoſtaticis Angelis de cœlo in infernum deiecerat, coniiciens hominem ſibi ſubrogatum ad beatitudinem, inuidia percitus de ruina & perditione ipſius cogitat, volens etiam hac via conceptum odium contra Deum manifeſtare: Vnde primos parentes aggreditur tentare, Deo ſic permittente, qui diſpoſuerat ex diaboli malitia & peccato hominis maximum bonum Incarnationis Verbi elicere; Tam bonus enim eſt Deus, quòd nunquam malum permitteret, niſi foret ſimul omnipotens, & omnipotentia ſua bonum de malo faceret.

Sciebat diabolus impoſitum à Deo fuiſſe præceptum primis parentibus, quo prohibebatur ipſis ne de fructu ſcientiæ boni & mali comederent, ſub pœna mortis tam animæ quàm corporis, & indignationis Diuinæ: nouerat inconſtantiam & fragilitatem mulieris, ac connaturalem eius curioſitatem: Aliunde nouerat, quàm tenerè Adam amaret illam, tùm propter alias rationes, tùm quia ſola particeps erat humanæ naturæ, & comes vnica familiaris eius; & quòd propterea nollet Adam ei diſplicere.Vnde cœpit ab ipſa tentationem, vt ea priùs victa & mediante hominem ſuperaret, & à curioſis interrogationibus fraudem ſuam orditur. Sic totum tentationis negotium narrat Scriptura capite 3. Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem; *cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno Paradiſi?* cui reſpondit mulier: *De fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo, veſcimur; de fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne*

& ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem : *nequaquam morte moriemini : scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectúque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit; dedítque viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum, cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.

Sic igitur diabolus suam aggreditur tentationem. Efformauit ex vaporibus sibi corpus serpentis, fortè habentis faciem mulieris, vt asserit Beda, & sic depingitur; vel ex diuina dispositione, qua solùm diabolo permissum est vt sub horridi illius animalis specie hominem tentaret, qui naturali hoc horrore suasionem eius statim reiiceret. Mulierem aggressus curiosam proponit quæstionem, cur Deus eis præcepisset ne comederent de omni ligno paradisi. Cognouit mulier non esse verum aut purum serpentem, qui secum loqueretur, sed esse Angelum quemdam maximè ex eo quòd loquebatur de rebus mysticis & altissimis. Respondítque interroganti fuisse sibi prohibitum, ne lignum scientiæ boni & mali comederent, vel etiam tangerent[1]; tactus enim rei illicitæ quoad vsum, si ad vsum ordinetur, est etiam illicitus : Et respondens dubitat de punitione sequuturà, dicens, *ne fortè moriamur* : Potuit enim credere iuxta Anselmum Diuinam mortis sententiam non esse penitùs irremissibilem, sed misericorditer remittendam. Vel iuxta Augustinum seducta fuit mulier, quia iam peccauerat elatione propter reuerentiam Angeli secum blandè loquentis, quæ elatio excæcauit intellectum eius. Diabolus videns mulierem incautam & curiosam, & aliunde dubiam de punitione delicti : suasit nequaquam forè morituram ; Et insuper ambitionis motu titillat dicens, *scit enim Deus quòd in quocumque die comederetis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum.* Cum omnis

nis homo naturaliter ſcire deſideret, & ad maiora ſemper aſpiret: hoc duplici deſiderio pulſata mulier cœpit conſentire peccato: oculos eleuauit reſpiciens fructum prohibitum, eius pulchritudine ac bonitate apparenti allecta; maximè quia nitimur in vetitum cupimúſque negata: tulit illum, & comedit peccatum conſummans: Et illud aggrauans, dedit de tali fructu viro ſuo, qui comedit: obtulit autem fructum viro ſuo; vel bona fide, ex carnali ſcilicet & naturali affectione, quia dulcedinem fructus probauerat, & quod erat bonum & dulce voluit ſocio communicare; vel etiam ex vitioſa & corrupta voluntate, quia iam in aliquo ſe peccaſſe ſenſit, & ex ſocietate viri in crimine excuſationem ſui criminis quæſiuit. Mirum eſt, quòd Adam ita citò conſenſit peccato, cum ſic eſſet illuſtratus: ſed hoc accidit, quia Diuinæ ſeueritatis inexpertus, ait Auguſtinus 14. de Ciuitate Dei 11. æſtimauit ſe in Dei oculis ita charum, quòd ſententiam de morte non exequeretur ſuper eum; ac ideò Eua multipliciter fortè ſuadente comedit, quia cum multum eam diligeret, & aliam ſociam non haberet, noluit eam contriſtare.

Hoc eſt infœlix Adæ peccatum, quod ipſum gratia Dei, iuſtitia originali, ac cæteris donis ſpoliauit, vt poſtea dicetur; & multis etiam in corpore cumulauit malis, totámque eius poſteritatem infecit, ſaltem quantùm ad pœnalitates corporales. Sed potiùs fœlix illa culpa, vt canit Eccleſia, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum; Deus enim filium tradidit, vt ſeruum redimeret. Ex tunc cœpit Adam cum Eua peccati ſui pœnas luere, dum differentiam prioris ſtatus innocentiæ boni, & poſterioris mali velut apertis de nouo oculis intuetur: Cúmque ſe nudos viderent, ac rebellionem carnis cum verecundia ſentirent, ad honeſtatem folia ficus conſuerunt iunco, vel alia tenui materia ad inſtar fili; ficus autem vel eſt noſtra cunctis cognita, vel alia quam in Indiis orientalibus & Berilhi in Syria vidi, cuius folia ſatis dura ſunt, longa ad ſex & ſeptem palmos, & lata

ad duos, quam ficum Adami vocant, quia primum pare tem eius folia sumpsisse credunt, velut aptiora & simul su uiora ad fouendum corpus, quàm folia ficus ordinariæ.

Deus autem, qui & iustus iudex, & misericors pater el vt pater voluit Adamum reparare miserum, vt iudex vo luit punire rebellem: Attendamus priùs punitionem iux seriem textus, infra videbimus reparationem. Accessit ig tur Deus ad Adam & Euam peccatores, & seruata recti iu dicij forma de delicto inquirit: illi eius præsentiam sens bilem præsentientes, abscondunt se in medio lignorum pa radisi, tandem vocati & comparentes, ac culpam fatente quamuis excusantes & in alios referentes, debita pœna pu niuntur. Audiamus textum: Et cum audissent vocem D mini Dei deambulantis in paradiso ad auram post me diem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini D in medio ligni paradisi. Vocauítque Dominus Deus Adan & dixit ei, *Vbi es?* Qui ait, *vocem tuam audiui in parad so, & timui eo, quod nudus essem, & abscondi me.* Cui d xit; *Quis enim indicauit tibi quòd nudus esses, nisi qu ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedis* Dixítque Adam: *mulier, quam dedisti mihi sociam, ded mihi de ligno, & comedi* (Ecce quodammodo in Deu culpam suam refert.) Et dixit Dominus Deus ad mulierem *Quare hoc fecisti?* Quæ respondit, *serpens decepit me, & comedi.* Non interrogauit serpentem illum phantasticu siue diabolum: quia constat obstinatum & induratum esse i malo: hoc autem examen fiebat ad correptionem.

Punit tamen Deus omnes huius delicti authores, & eo dem ordine quo concurrerant ad illud, serpentem etiam ve rum, (ad quem litteraliter ordinatur condemnatio, quam vis mysticè dirigatur ad diabolum) quia fuit instrumentun diaboli ad decipiendos primos parentes: Vnde vt hoc deli ctum redderetur execrabilius, omnia quæ quouis modo ad illud concurrerunt, sententiæ damnationis subiiciuntur. In cipiens igitur Dominus proferre sententiam ait ad serpen tem: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animan*

ti

tia & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ; inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Hæc sententia damnationis quantùm ad maledictionem serpentis fuit tantùm post peccatum, & tantus est horror illius & odium apud homines, & maximè mulieres, quod solo horrent & formidant aspectu illius præ cæteris animalibus, venenosis etiam qualis est lacertus, &c. Quamuis autem gradi supra pectus sit serpenti naturale, hæc tamen pœnalitas prædictæ maledictioni coniuncta est maior, & sub hac ratione est punitio.

Mulieri quoque dixit: *multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolere paries filios & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tuì.* In hac punitione mulieris quatuor includuntur pœnæ: Prima est multiplicitas ærumnarum in inopia & aliis miseriis humanis ex tunc occurentibus: Secunda est multiplicatio conceptuum, siue omnium incommodorum multiplices imprægnationes & grauidationes concomitantium, quæ patiuntur in tali statu mulieres; ad replendam enim terram necessarium fuit quòd Eua & aliæ mulieres, & maximè in principio mundi sæpiùs conciperent: Tertia est dolor maximus multiplicis partus, propter delicatam complexionem mulierum, teneritudinem & arctitudinem illarum partium respectu fœtuum egredientium, & abundantiam menstruorum sanguinum retentorum; quæ si non benè purgantur, plures generantur infirmitates & torsiones ex humorum huiusmodi corruptione: Quarta tandem est seruilis subiectio mulieris ad virum; prius quidem erat sub eius potestate ad regimen & vtilitatem suæ directionis & gubernationis, absque tamen omni pœna, vilitate ac displicentia; sed nunc in pœnam est in seruili vilitate, & cum eius displicentia ac multis incommoditatibus, onus coniugij consequentibus in statu naturæ corruptæ, sæpiùs enim homines sua solent abuti authoritate in mulieres, vel ex zelotypia, vel aliis titulis,

Tandem ſententiam concludens contra hominem, dixit Adæ: *Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes; maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ; in ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Fœlix erat Adam in ſtatu innocentiæ; terra fructus ſuauiſſimos non ſolùm ad neceſſitatem, ſed etiam ad delicias vltrò ei miniſtrabat, & abſque labore illis fruebatur; Erat non moriturus ex eſu ligni vitæ deperditas vires reparantis, etſi mortalis eſſet. Nunc virtute huius ſententiæ redditur miſer in his etiam materialibus: nam poſt multum laborem in terræ cultura ſuſceptum, ipſam experitur ingratam, ſæpiùs infœcundam bonis ſeminibus, & ſolis ſpinis ac tribulis abundantem ad ipſius nocumentum: Et poſt multas calamitates & afflictiones in toto vitæ decurſu, metu mortis & corruptionis terretur; quæ omnia ſi nobis ſunt grauia, fuerunt primis parentibus grauiſſima, qui de fœlicitatis extremo ſe ſtatim ad aliud extremum miſeriæ redactos viderunt: quia diuino præcepto fuerunt rebelles, Eua vocem ſerpentis audiendo, Adam verò vocem vxoris potiùs quàm vocem Dei ſequendo.

Poſt latam huius condemnationis ſententiam, ante primæuam eius exequutionem dúo facta leguntur in ſacro textu. Primum eſt impoſitio propria nominis facta ab Adam vxori ſuæ, quam vocauit Euam; Prius ipſam vocauerat *Viraginem* à ſuo principio, velut à viro ſumptam; nunc à ſuo effectu vocat *Euam ſeu vitam*, velut originem vitæ ſeu matrem primitiuam omnium viuentium. Secundum eſt, indutio Adami & Euæ tunicis pelliceis à Deo, quia compaſſione & miſericordia motus, vt ipſos ab aëris inclementia, nimióque calore & frigore præſeruaret, ex pellibus animalium tunicas eis confecit, quæ non tantùm ad hanc neceſſitatem, ſed etiam ad honeſtatem deſeruirent. Vtrumque ſic refert ſacer textus: Et vocauit Adam nomen

men vxoris suæ Heua, eo quòd mater esset cunctorum viuentium, (scilicet in specie humana.) Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Voluit autem Dominus his tunicis pelliceis eorum necessitati & verecundiæ subuenire, non quærens pretiosiores, sicut nunc à mortalibus quæruntur ad luxum & superbiam: ipsáque commiseratione Diuina concepit Adam spem suæ reparationis totiúsque generis humani.

Ex tunc autem cœpit Deus latam exequi sententiam, Adamum & Euam eiiciens de paradiso voluptatis ironica derisione, vt sic exules miseri magis sui erroris grauitatem agnoscerent, qui diaboli tentanti & suggerenti se futuros sicut Deos, vel crediderunt vel non restiterunt; Et iam erant experti se non acquisiuisse Diuinam similitudinem, sed potiùs gratuita ipsius Dei beneficia suo delicto perdidisse, & solas incurrisse miserias. Vnde sic inducitur loquens Deus: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum; nunc ergo, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*: Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est; Eiecítque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Adam in principio sui exilij propè paradisum mansit in Armenia, fortè vbi nunc est ciuitas Nacheuam, & idem sonat ac prima habitatio, vel ex hac Adami habitatione, vel postea ex habitatione Noë post diluuium, hæc enim ciuitas est propè montem, vbi requieuit Arca Noë. Sed cum Adam videret se non reuocari ad paradisum, ne diutiùs & grauiùs eiusdem vicini sæpiùs iterata recordatione torqueretur, dicitur in locum suæ productionis campum Damascenum, velut ad patriam recessisse, vbi multò temperatior est aër quàm in Armenia, & deinceps ibi mansisse, ac mortuum fuisse & sepultum in spelunca duplici, vbi postea Abraham, Isaac & Iacob Patriarchæ cum suis vxoribus sepulti sunt propter quod Ebron

ibi ædificata in tribu Iuda priùs vocata fuit Cariatharbe, seu ciuitas quatuor, videlicet prædictorum Prophetarum. Licet alij doceant Adamum in monte Caluariæ sepultum fuisse, vbi Christus Dominus Crucifixus est, & quòd caput eius sanguine Redemptoris è cruce fluente fuerit irrigatum.

REMEDIVM PECCATI ORIGINALIS.

DEus omnipotens & clemens, ait S. Leo Papa sermone 2. de Natiuitate Domini, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, statim vt nos diabolica malignitas veneno suæ mortificauit inuidiæ, prædestinata renouandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignauit, denuntians serpenti futurum semen mulieris, quod noxij capitis elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum, Deum hominémque signans, qui natus de Virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta natiuitate damnaret. Nam quia gloriabatur diabolus sua fraude deceptum hominem Diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de præuaricationis consortio inuenisse solatium; Deum quoque iustæ seueritatis exigente ratione erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam: Opus fuit secreti dispensatione consilij; vt immutabilis Deus, cuius voluntas non potest sua benignitate priuari, primam pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret: & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam contra Dei propositum non periret.

Vt redemptionis pretium, & remedium peccati originalis æstimare possimus, & vtriusque modum conuenientem percipere: necessarium est captiuitatis & humanæ miseriæ statum priùs ponderare. Primò igitur sciendum est, tunc Adamum totius humani generis authorem caput illius morale

tale fuisse constitutum, ac talem inter Deum & ipsum interuenisse contractum, quòd si Deo fidelis esset, tam ipse quàm totum genus humanum, concessis à Deo beneficiis ac immortalitate gauderet; quòd si è contra Dei præcepto rebellis ipse foret, tam ipse quàm omnes eius posteri secundùm legem ordinariam, concessis Dei beneficiis priuarentur, ac pœnæ mortis subiacerent. Qualiter accidit inter Principes & clientes: hi namque sua fidelitate erga Principes, tam sibi quàm suis successoribus, & nobilitatem, & dona collata confirmant; sicut tam sibi quàm suis successoribus sua rebellione talia deperdunt.

Fuerat homo conditus in gratia sanctificante, & virtutibus ipsam concomitantibus, per quæ factus est Diuinæ consors naturæ ac Diuinarum perfectionum. Fuerat conditus in iustitia originali, quæ vltra prædictam gratiam importat perfectam hominis compositionem, ita quòd pars superior perfectè Deo cuniuncta foret, & pars inferior superiori subiecta, quatenus nullum contra rationem motum exerceret, quandiu pars superior esset Deo subiecta. Fuerat constitutus Princeps omnium animalium, imò & omnium creaturarum; ita quòd omnia visibilia reuererentur hominem, ac nihil ei nocere posset. Fuerat conditus, non quidem immortalis, sed non moriturus, quia lignum vitæ fuerat à Deo prouisum, cuius fructus attritam poterat naturam reparare, ac deperditas vires restituere.

Per rebellionem peccati originalis hæc omnia Dei dona tam sibi quàm suis posteris Adam amisit; Primùm quidem sibi, quatenus hoc peccatum est eius propria voluntate commissum, & fuit actuale respectu ipsius: deinde suis etiam posteris secundùm seminalem originem, quibus eius voluntas imputatur, vnde hoc peccatum est illis originale, & cum natura contractum, quod importat priuationem culpabilem gratiæ sanctificantis, in qua concipiuntur omnes puri homines posteri Adam; excepta Beatissima Virgine Dei Matre, quæ speciali priuilegio suæ electionis meritisque filij sui de sententia communis damnationis fuit libera. Tandem

Adam demerito ſuæ præuaricationis in horribilem diaboli captiuitatem deciderat,qua diabolo ſic erat ſubditus, quòd diabolus ad libitum poterat eum tentare:& cum aliunde natura corrupta, propter peccati fomitem in illicita ſemper inclinetur, quia pars inferior ſuperiori rebellis tendit ad ſua commoda vt plurimùm rationi contraria: conſequens infallibiliter erat,quòd homo paſſim in varia caderet peccata, ac certò periret.

Solent originalis peccati vulnera quatuor aſſignari in ordine ad quatuor animæ potentias. Primum eſt vulnus ignorantiæ reſpectu intellectus: Primi parentes fuerant à principio ſuæ conditionis repleri ſcientiis omnibus infuſis, eius poſteri naſcuntur ignorantes, ſeu habentes intellectum velut tabulam raſam, multumque laborant vt ſcientias comparent, & adhuc cum multis erroribus. Secundum eſt vulnus malitiæ: Primi parentes in ſtatu iuſtitiæ originalis per dona ſanctificantis gratiæ rectam habebant ad Deum voluntatem, nos naſcimur cum malitia quodammodo connaturali. Tertium eſt vulnus concupiſcentiæ: Homo in ſtatu iuſtitiæ originalis habebat partem inferiorem perfectè ſuperiori ſubiectam,ita vt nihil appeteret niſi conforme rationi; ſublata nunc poſt peccatum huiuſmodi ſubiectione caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ad illicita pertrahit. Quartum eſt vulnus infirmitatis: Homo in ſtatu innocentiæ erat promptus & feruens ad bonum per peccatum ſic iacet infirmus,vt ſine gratia nullum morale bonum tantiſper arduum valeat aggredi.

Sed Deus miſericors videns tantā hominis lapſi miſeriā, ſua connaturali bonitate ſtatim poſt lapſum voluit illi ſuccurrere,& de tam miſero ſtatu paulatim educere,ac tandem ad beatiorem reducere, ſed gradatim. Decreuit vnigenitum ſuum in huius peccati remedium fore Incarnandum,& primis parentibus reuelauit, inſtruens eos ipſum mundi Redemptorem futurum, ac generis humani Reparatorem: cuncta gratiæ bona meritis ipſius illis concedenda; quòd in ipſum ſperarent, & hanc ſpem in ſuis poſteris firmarent,

ei

exqua tota mortalium beatitudo penderet. Multa de tam inclyto Redemptore prædixit, vt de eius perfectione, de mirabilibus eius operibus, de laboribus, passione ac morte crucis in remedium originalis peccati.

Reuelauit deinceps hoc peccatum ab omnibus ipsorum posteris cum natura contrahendum; Excepto tali Redemptore, qui non procederet ab ipsis secundùm seminalem originem, sed tantùm secundùm corpulentam substantiam; Excepta quoque sanctissima talis Redemptoris matre, quam intuitu huius dignitatis matris Dei volebat speciali priuilegio à generali hoc peccato præseruare. Reuelauit insuper medium, siue cæremoniã aliquam externam huius Redemptoris protestatiuam esse introducendam, qua paruuli de peccato originali liberarentur: quæ sacra cæremonia pro diuersitate gentium varia fuit, magistratus enim & principes indulto Dei illam instituebant; postea de iure Diuino determinata fuit, in lege quidem antiqua quantùm ad mares in sacramento Circuncisionis, in lege vero gratiæ quantùm ad omnes in sacramento Baptismi.

Instruxit ipsos qualis futura esset reparatio generis humani per Redemptorem: quòd licet copiosa foret eius redemptio ac infiniti valoris, ac proinde posset statim omnia ad pristinum statum restituere; non tamen ita futurum; sed gradatim in hoc negotio procedendum esse. Vnde quantùm ad ipsorum captiuitatem sub potestate diaboli; ex tunc esse valdè diminutam intuitu Redemptoris futuri, qui hostis humani generis ex hac parte coërcebatur ne miseros mortales ad libitum tentaret; post aduentum autem & mortem Redemptoris soluendam esse, ipso diabolo quasi ligato, qui iam latrare potest, sed mordere non potest nisi volentem.

Quantùm verò ad reparationem damni, reuelauit Deus gratiam quidem sanctificantem cum virtutibus infusis statim per pœnitentiam fore reparandam, cuius priuatio erat maximum malum. Quantùm ad iustitiam originalem non fore totaliter hic in terris reparandam, sed aliqualiter tantùm per passionum mortificationem, qua reformatur ap-

 petitus

petitus inferior & rationi conformatur:Hanc tamen parti inferioris rebellianem ad dictamen rationis plurimùm conducere ad meritorum augmentum, & ad experimentum fidelitatis: Vnde perperam quidam incognitus in nouo libello, cui titulus affigitur, *Triumphus Ecclesiæ in terra*, & creditur author esse libelli *Præadamitarum*, conatur probare contra sanctorum Patrum authoritatem & omnium fidelium sententiam, quòd post persecutionem Antichristi finitam fideles redibunt ad statum innocentiæ hic in terra, vbi sic per multos annos perseuerabunt. Sed fallitur, voluit Redemptor tempore vitæ præsentis suam crucem esse viam, & tantùm in cœlo perfectè reparandum esse statum innocentiæ.

Quantùm ad exclusionem à paradiso, dilata fuit eius reparatio vsque ad aduentum Redemptoris: Priùs enim omnium sanctorum animæ separatæ ad lymbum Patrum deducebantur, à quo tantùm per Redemptorem illuc descendentem fuerunt liberatæ, & in die Ascensionis Christi in triumphum deductæ ac in cœlum translatæ, iuxta illud scripturæ de Christo; *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Quantùm ad damnationem mortis temporalis in hac vita non fuit reparatio, tantùm erit in patria. Pro hac vita statutum est omni homini semel mori: Videretur enim inconueniens, quòd Redemptor ipse moreretur pro hominibus, & quòd homines ipsi mortem vitarent. Debent omnes Redemptori suo conformari in passionum continuarum & mortis tolerantia, qui de seipso dixit, *nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* quasi diceret solam crucem esse regiam Gloriæ viam. Quantùm denique ad reuocationem ad paradisum terrestrem nulla fuit pro primis parentibus indulgentia, nec communiter pro eorum posteris: solos ibi duos esse coniicimus, Henoch scilicet & Eliam nostrum Patriarcham, qui diuina prouidentia ad hunc locum deliciarum translati reseruantur vsque ad finem mundi, vt Christi vices gerant, & infensissimi eius hostis

Antichristi

Antichristi tyrannicum regnum dissipent & fideles tunc vexatos protegant.

MVLTIPLICATIO GENERIS HVMANI.

CReauerat Deus hominem, vt mundum repleret. Præceptum tunc necessariò implendum in benedictione nuptiali primis parentibus imposuerat dicens; *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Quæ diuina benedictio sic fuit efficax, vt in illo mundi principio nullus sterilis esset inter homines aut mulieres, sed tanta fuit in conceptione prolis fœcunditas, vt communiter credant authores hoc speciali concursu Dei, & robusta tunc parentum complexione, quolibet partu mulieres gemellos parere, masculum & fœminam, vt ita citò mediis connubiis genus humanum multiplicaretur. De primis parentibus Adamo & Eua dicitur, quòd vltra nominatos Cain, Abel & Seth, triginta alios habuit filios & filias, imò Methodius sanctissimus martyr eos docet centum filios aut filias genuisse. De quibus notandum est, quòd non omnes nominantur, nec etiam omnes primogeniti: sed illi solùm, in quibus latet aliquod mysterium, vel ex quibus descendit populus electus, & fuerunt progenitores Christi Domini Redemptoris mundi. Hos specialiter voluit Deus in Scriptura Sacra manifestare.

Adam igitur transacto sui lapsus mœrore, & de spe suæ redemptionis consolatus, suis rebus attendens, aliquam sibi formauit casulam, vel in aliqua montis cauerna, vel ex ramis arborum, vt se, coniugem, & nascituros filios ab iniuriis temporum & animalium liberaret, quæ ipsi rebellauerant in pœnam rebellionis eius contra Deum. Tunc Adam cognouit vxorem suam Euam, dicit sacer textus, tam modesta locutione vsus in re pudenda; quæ concepit, & peperit Cain, dicens: *Possedi hominem per Deum*, Cain enim

idem est ac *possessio seu acquisitio.* Ex quo constat Cain esse primogenitum Adæ & Euæ; cum enim Eua vidit se genuisse hominem, hæc dixit, non autem esset specialis ratio hoc dicendi in aliis partubus, & hanc filiorum productionem Deo tanquam primo principio retulit. Hoc eodem partu produxit Eua filiam, quam aliqui Sauen, alij Asüam, alij verò & communiùs ex traditione Hebræorum vocauit Calmanam, & asserunt postea coniugem fuisse fratris sui Cain; tunc enim mulieres eodem partu geminos, & tergeminos producebant, & fratres ex necessitate omnimoda naturæ ducebant in matrimonium sorores.

Cain & sororis natiuitas circa principium Ianuarij nostri, nondum enoluto primo mundi anno contigit: Certum enim est, paucis diebus post eiectionem Adami & Euæ de paradiso fuisse conceptos, id est circa principium Aprilis, cum dictum sit creationem mundi accidisse in Veris æquinoctio, quod correspondet vigesimo primo Martij, & decem decurrere dies vsque ad Aprilem: Certum etiam est moraliter, nono post conceptionem mense natos fuisse, cum tali cursu mensium pueri nunc nascantur, & tunc natura potiùs robustior quàm debilior esset. Mirabitur aliquis, cur Cain malus & reprobus vt creditur, natus sit primus & ante Abel iustum: Cui respondet Augustinus libro 15. de Ciuitate Dei, quòd sicut in vno homine non prius quod spiritale est, sed quod animale gignitur, sic in mundo non prius processit quod bonum, sed quod malum; vel vt ostendatur quòd bonitas morum non est ex natura & primogenitura, sed ex Dei gratia.

Cum mirabilis esset naturæ fœcunditas in principio mundi, vt colligitur ex eo quòd Cain ex suis tantùm posteris ciuitatem à se ædificatam compleuit: Et tunc diuinum de propagatione præceptum instaret: Hoc eodem anno Eua concepit Abel filium, & filiam Delboram ex Methodio & aliis, ita vt mater Eua simul esset lactans Cain cum Calmana, & prægnans de Abel & Delbora; robusta tunc complexio sufficiebat vtrique officio naturæ: Illos verò peperit

perit circa Octobrem anni secundi à mundo condito. Abel idem est ac luctus, fortè quia in eius natiuitate, vel ipsa Eua parturiens, vel filius genitus nimium luxit, vel quia sua morte nefaria ex parte Cain fratricidæ luctum primis parentibus attulit. Hanc successionem immediatam natiuitatis Abel ad natiuitatem Cain indicare videntur hac verba scripturæ, quæ narrata natiuitate Cain, statim subiunxit; Rursúmque peperit fratrem eius Abel.

Certum est primos parentes in primis illis mundi annis, postquam hos & alios filios ac filias genuerunt, in illis educandis attendisse; instruendo scilicet illos in timore Domini, mysteria sibi diuinitùs reuelata manifestando, maximè de futuro Redemptore, suúmque miserabilem casum de fœlici statu innocentiæ cum lachrymis declarando; ac simul omnia tam ad victum quàm ad vestitum necessaria prouidendo: specialiter autem ipsos instruebant, vt Deum colerent eíque sæpiùs sacrificia tanquam supremo Domino offerrent, & assiduè laudes eius canerent: multa quoque tam de scientiis naturalibus, quàm de artibus illos edocebant.

Cain, vt ex eius gestis colligitur; erat fictus, inuidus, ambitiosus, & crudelis: Et quamuis fortè dum erat paruulus, parentibus obtemperaret; vt tamen cœpit esse sui iuris, omnia naturæ ac Dei præcepta contempsit plenus dolo & mendacio, ita quòd omnia vitia in ipso tanquam in primo hominum reproborum euidenter apparerent, de cuius malignitate ac incorrigibilitate plurimùm dolebant pij parentes; maximè quia malas sui filij inclinationes suo imputabant peccato.

Abel è contra erat mitis, simplex ac rectus corde, vultu verecundus, gestis modestus, deuotus erga Deum, pius erga parentes, obseruans erga Cain natu maiorem, & amabilis erga reliquos, de cuius bona indole ac conuersatione parentes multum gaudebant. Et quia finis sequitur principium, & mors vitam, de salute Cain diffidebant, & rectè sperabant de Abel, quem Christus Dominus sanctum & iustum vocat,

vocat, Cain autem dicitur à S. Ioanne de maligno fuisse.
Cum primorum parentum familia pluribus & fœcundis generationibus creuisset; Et iam Cain & Abel maiores filiorum firmam haberent ætatem laboris patientem, Adam vt toti subueniret familiæ, horum in rebus magis arduis opera vsus est Cain Agriculturæ quasi robustiorem deputauit, vt agros suæ mansioni proximos coloret ad triticum & cæteras fruges percipiendas; Abelem verò pascendis pecoribus pro lacte & lana, & pro offerendis Deo sacrificiis destinauit: sic suum subleuauit laborem, ipse namque priùs hæc omnia solus præstabat: sicut & mater Eua suum subleuauit laborem in operibus domesticis, vbi grandiores habuit filias, quæ ipsam in afferenda aqua, in excitando igne, & in ministerio culinæ possent adiuuare. Et quia tunc paucis ad victum & vestitum indigebant, quibus lac, fructus & herbæ, & tunicæ pelliceæ sine telis & calceis sufficiebant ad imitationem parentum, quos Deus sic vestierat; Inde est, quòd non opprimebantur labore, & poterant contemplationi diuinorum vacare.

FRATRICIDIVM CAIN IN ABEL.

PRædictis vacabant exercitiis duo fratres, Cain quidem agriculturæ, Abel autem pascendis gregibus: sed diuersimodè, nam Abel totum sui gregis emolumentum bonis afferebat parentibus, & Deo offerebat; parentibus quidem lac quotidie, & lanam quotannis; Deo autem agnos & adipes pacificorum: Cain verò optima quæque agriculturæ emolumenta suis reseruabat deliciis, & ordinaria Deo offerebat; Cum pij parentes filios ad commune sacrificium vocabant. Vnde contrariis versibus, sed iisdem verbis constantibus suam intentionem declarantes sic introducuntur.

Abel quidem: *Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo.*

Cain

Cain verò : *Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum.*

In his erant occupati exercitiis Cain & Abel, multíque decurrerunt anni, cum in his perseuerarent, dum accidit fratricidium Cain in Abel circa annum mundi centesimum trigesimum paulò antequam nasceretur Seth, quem Adam sibi datum à Deo fatetur in locum Abel. Vtrum tam Cain quàm Abel iam duxissent vxores, suas vtique sorores, ille Calmanam, iste Delboram, nihil certi habetur, quidam affirmant, alij negant dicentes Abel mortuum esse Virginem, vtrique suas habent & rationes & authoritates.

Causa fratricidij sic describitur in sacro textu,& refertur ad impietatem ac inuidiam Cain. Factum est autem post multas dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino : Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum : Et respexit Dominus ad Abel & ad munera eius , ad Cain verò & ad munera illius non respexit. Cur Dominus sacrificium Abel approbauerit,& sacrificium Cain reprobauerit : hæc distinctio prouenit tam ex parte personarum offerentium, quàm rerum oblatarum ; Abel erat sanctus & iustus, vnde grata erant Deo quæ sancta intentione & mira pietate offerebat ; Cain autem de maligno erat, vnde quæ ex mala offerebat conscientia ,non erant accepta Deo, concurrentibus aliis malis circumstantiis: Offerebat Abel primitias gregis sui, referens illas Deo bonorum omnium authori , & insuper offerebat optima quæquæ; Cain verò primitias frugum & optima suis reseruans deliciis ,communia tantùm Deo offerebat quasi pro cæremonia (si namque primitias & optima in sacrificium obtulisset, non tacuisset Scriptura, sicut non tacuit de Abel. Quamobrem, ait noster Cyrillus Alexandrinus,*ad munera Abel ignem cœlitus emissum consumere sacrificium effecit : Ad Cain autem & ad sacrificia eius non respexit, non enim ignem assuetum oblatis emisit*, signum ergo approbatiuum sacrificij fuit tunc ignis de cœlo demissus, qui consumeret oblata ; signum autem reprobationis sacrificij fuit denegatio talis

ignis,

ignis, vt etiam docet S. Hieronymus, & alij communiter. Et tali signo Deus postea sæpiùs est vsus, vt constat in sacrificio S. P. Eliæ & Pseudoprophetarum Baal in Carmelo.

Vt Cain se cum suo sacrificio reprobatum vidit, & Abel fratrem cum suo sacrificio approbatum, propter confusionem suæ hypocrisis, liuore contra fratrem concepto, & impatiens contra Deum iratus est vehementer, & concidit vultus eius. Deus qui non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat, visibiliter apparet Cain, ipsum arguit de peccato iam cœpto, vult impedire consummationem illius; monet non fore secretum sibi qui cor intuetur nec aliis; suadet coërcendum appetitum dum tendit ad malum, cum eius motus subsint libertati; hortatur quoque ad bonum spe remunerationis. Vnde habetur in sacro textu: Dixitque Dominus ad Cain; *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? nonne si benè egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* (per aperta videlicet signa) *sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

Sed peccator, cum in profundum malorum venerit, contemnet: Talis erat Cain, qui despecta Dei correctione, voluit iræ suæ malitiam conuertere in fratrem optimum, innocentem, humilem & sanctum. Dixitque ad eum: *Egrediamur foras*: volebat enim quod explendum scelus fratricidij lateret suos parentes, & suas sorores, ne possent eum videre, nec impedire crimen, nec accusare, nec punire. Cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel, & interfecit eum. Vtrum nulla præcedente quærela percusserit, ignoratur: Paraphrastes Hierosolymitanus asserit Cain inter colloquendum in illo egressu, multas protulisse fratri propositiones Athei, scilicet non esse iudicium, neque iudicem, neque sæculum aliud, nullam iustis mercedem repositam, nullam impiis pœnam, mundum neque Dei bonitate creatum esse, neque prouidentia gubernari, quando ipsius oblatio reiecta fuisset, Abelis autem suscepta. Quæ cum Abel sancto Dei zelo improbaret, atque refelleret, rixa nata insurrexit ille in fratrem, atque interfecit; vel gladio

iuxta

iuxta Chrysostomum, vel sarculo iuxta Prudentium, vel alio ferreo instrumento agriculturæ, quod de more gestans nullam fratri suspicionem mali intenti excitauit. Alij volunt morsibus dilaniasse, alij lapidibus oppressisse.

Occisi fratris corpus fratricida Cain operuit terra, vt crimen suum celaret. Potuit per aliquod tempus parentes, fratres & sorores decipere, dum de fratris Abelis absentia Deo & hominibus dilecti apud eum conquererētur, & plurimùm lugerent, nescientes quid ei acciderat, coniicientes tamen aliquid sinistri: sed Deum fallere non potuit. Vnde Dominus, iam vt iustus iudex (qui priùs apparuerat vt misericors pater) visibiliter iterum apparens ait ad Caim; *Vbi est Abel frater tuus?* Qui respondit, *nescio; num custos fratris mei sum ego?* Videtur hac responsione miser ille diuinam negare prouidentiam, quasi Deus ignoraret crimen ipsius. Sed breui conuincitur eius obstinatio sequentibus verbis Dei dicentis ad eum. *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

Sic autem à Deo damnatur tam immane fratricidium. Dixit enim Deus ad Cain: *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua; cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos; vagus & profugus eris super terram.* Quia reprobus erat Cain, ad hanc damnationis sententiam, non petit veniam de sua culpa, sed sua iam inueterata malitia desperat de misericordia Dei, solúmque cogitat quomodo gladium vitaret, instinctu naturæ sciens quòd qui ferit gladio, gladio peribit, & hoc maximè timens post diuinam maledictionem. Vnde dixit ad Dominum; *maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear: Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra; omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Ecce statum tam impij peccatoris, qui timet ab omnibus instinctu conscientiæ. Sed tamen Dominus pro sua misericordia miseriam eius solatur, dicens: *Nequaquam ita fiet; sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur:* Posuítque Dominus Cain

Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis qui inueniſſet eum; ſcilicet tremorem capitis, qui etiam in pœnam ipſius cedebat & in opprobrium, ex hoc enim apparebat iudicatus & punitus à Domino.

VITA, ET MORS FVNESTA CAIN VAGI, EIVSQVE POSTERITAS.

INtimata perpetui exilij à Domino ſententia; Egreſſus eſt Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden. Rediit ad illas partes, vnde primus parens eiectus de paradiſo terreſtri receſſerat: fortè motus bona patris relatione de illis Meſopotamiæ locis tam amœnis & fertilibus, illuc tetendit, volens à terra iam habitata recedere, ne poſſet ab alijs occidi. Locus autem, quem habitauit, vocatus eſt *Nod* ſiue *Naid*, qui interpretatur *motio*, quia Cain erat ibi vagus & profugus. Vnde ait Chriſoſtomus: *Et verò locus ille, in quo habitauit Cain, perpetua memoria fuit; non illi ſoli, ſed & ſæculis poſterioribus ob tremorem & motionem: nomen enim Naid Hebraica dictio eſt & vertitur motio. Itaque vt crimen illius notum eſſet, etiam à loco, quaſi in columna ærea ſcriptum, illic eum collocauit.* Non deſunt, qui dicant Cain vſque ad Indiam penetraſſe, vt terræ illius aromata & diuitias poſſideret; verùm hoc non ita conſonat ſcripturæ.

Cain exul & excommunicatus à Deo, recedens à piis parentibus & fratribus, cum ſola ſorore ac ſimul vxore Calmana, & aliquot filiis ac filiabus, quos iam genuiſſe creditur, habitauit in partibus illis Orientalibus ad ripas Tygris & Euphratis. Ibi cognouit vxorem ſuam, quæ concepit & peperit Henoch. Cumque iam eſſent filij plurimùm multiplicati; vel ante natiuitatem Henoch, vt dictum eſt, vel poſt Henoch, vt volunt alij dicentes Henoch primogenitum eius; cœpit cogitare de ciuitate ædificanda, duplici motiuo, cupiditatis ſcilicet & timoris, vt ait Ioſephus: cupiditatis

piditatis ſcilicet & timoris,vt ait Ioſephus : cupiditatis quidem, quia Cain & eius poſteri vacabant latrociniis,rapientes à cæteris Adæ filiis, quibus erant odioſi, quicquid vitæ humanæ videbatur vtile ; vnde voluit ciuitatem ædificare, quaſi receptaculum furtorum & rapinarum:timoris autem, quia mortem violentam formidabat,vel ab hominibus, vel à feris etiam inferendam ; vnde voluit ad azilum ciuitatem conſtruere.

Et quia circa principium ædificationis natus eſt illi filius Henoc, ciuitatem ipſam ex nomine filij ſui vocauit *Henochiam*, quaſi locum natiuitatis Henoch. Cur autem noluerit eam proprio nomine ſuo *Cainam* denominare : vel hoc ideo fecit;quia parentes vt plurimùm plus filios quam ſeipſos diligunt, vt experientia conſtat : vel quia nomen ſuum credidit fore cunctis odioſum,ob Diuinam maledictionem; ne ciuitatem quoque ſuam infamem & odioſam redderet, noluit eam appellare ſuo nomine. Hanc igitur ciuitatem in Meſopotamia Aſſyriæ conſtructum eſſe dicimus cum Genebrardo,quæ eſt ad orientem Palæſtinæ,ad quam Palæſtinæ terram receſſiſſe primos parentes, & habitaſſe iuxta Ebron diximus; non autem in Meſopotamia Armeniæ,quæ potiùs eſt ad Septentrionem Palæſtinæ,quàm ad eius orientem; licet ad locum paradiſi terreſtris appropinquaret.

Hac igitur ciuitate, vt cumque ædificata, videlicet aggeribus pro muris cincta, foſſis profundis circundata, & extructis pluribus caſulis repleta cœpit filiis & filiabus iam nuptis habitationes diuidere,vt iam nouas familias inſtituerent,ipſeque velut omnium pater & Dominus ſingulis præſideret ac imperaret,vt erat admodum Ambitioſus. Et quia filij huius ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis, credi poteſt quòd Cain ad regimen politicum ſuæ ciuitatis bonas leges condiderit;ſed potiùs rationi ſtatus quàm pietati conſentaneas,quibus rigoroſè iniurias & violentias contra conciues prohibebat, licet hæcomnia aduersùs extraneos permitteret.

Filij Cain ad hanc ciuitatem reducti miris cœperunt in-

crementis multiplicari: quamuis ex hac progenie pauci admodum recenceantur, qui vel bona vel mala fama notiores fuerunt. Voluit enim Deus progeniem Cain tanquam reprobi ac deleti de libro vitæ breuiter expedire, ſolis indicatis iis, qui vel artes aliquas adinuenerunt, vel miniſtri diuinæ iuſtitiæ fuerunt in punitione Cain, vel ius naturale violarunt, qualis fuit Lamech, qui primus poligamiam introduxit, & poſtea Cain proauum occidit. Multa alia tacuit, vel ſaltem non expreſſit, vt nomina penè omnium filiorum tam Adam quàm poſterorum, tam in progenie Cain reprobi quàm in progenie Seth electi; connubia inter fratres & ſorores, quæ tunc permiſſa, licet poſtmodum fuerint de iure diuino prohibita, velut inſtinctui naturæ repugnantia; Vnde noluit illa exprimere, ſed ſuppoſuit vt tunc neceſſaria, ne mali ex authoritate expreſſa ſacræ ſcripturæ ad hæc nunc illicita prætextum & audaciam ſumerent.

Henoch, vbi ad perfectam deuenit ætatem, ſororem aut neptem aliquam in matrimonium duxit, & ex ea genuit Irad cum aliis filiis & filiabus: Irad vir effectus genuit Mauiaël & alios vtriuſque ſexus filios: Mauiaël poſtea genuit Mathuſaël, cum fratribus & ſororibus: Mathuſaël porro inter alios filios genuit Lamech, non illum quidem quem poſtea videbimus fuiſſe patrem Noë; iſte namque eſt ex progenie Cain oriundus, ille verò ex progenie Seth. Sunt qui velint prædictos ſucceſſores Cain fuiſſe Reges aut Gubernatores Henochiæ Ciuitatis, & ita præ aliis fuiſſe nominatos; ſed contradicunt alij iudicantes incredibile quòd Cain ambitioſus filio & nepotibus dum viueret regimen ciuitatis dimiſerit: Quibus reſponderi poſſet ipſum in pœnam ſui crminis, exigente diuina maledictione fuiſſe à proprio filio eiectum, & in ſiluis vagum ac profugum iuxta Dei ſententiam; Qui Henoch moriens illius ciuitatis dominium filio reliquit, & ſimiliter iſte filio ſuo, & idem alij ſucceſſiuè fecerunt. Tunc autem multiplicatis plurimùm hominibus, quos ſimul ipſa ciuitas continere non poterat, ædificatæ ſunt aliæ ciuitates non ſolùm in terra Naid, & in Eden, ſed etiam in diſſitis regionibus

regionibus,ad quas homines diffusi sunt:Et vbique paulatim tyrannica ambitione, vel etiam populorum electione introducti sunt Reguli; qui ipsis tanquam Domini suis subditis imperarent.

Circa Lamech vltimum ex nominatis posteris Cain duo dicit Sacra Scriptura. Primum est, quòd primus omnium contra ius naturale,& sanctam consuetudinem ex intemperantia,absque vlla Dei dispensatione duas simul habuit vxores : Postea cum Abraham & aliis ad multiplicandum fidelem populum in cultu Dei fuit ab ipso Deo dispēsatum,qui potest tanquam supremus Dominus & conditor naturæ dispensare in his quæ sunt iuris naturalis, si non contineant essentialem malitiam,quia non dicunt malum absolutè quod contrarietur diuinis perfectionibus, sed tantùm dicunt malum contrarium naturæ particulari : Exemplum primi est mendacium contrarium diuinæ veritati,in quo proinde Deus non potest dispensare, si enim dispensaret in illo, contra se ageret, seque destrueret astruendo aliquid sibi contrarium: Exemplum secundi est proligamia contraria societati coniugali,& debitę filiorum educationi,quæ tamen potest conducere ad bonum commune,vt dictum est de Abraham & aliis sanctis Patriarchis,quib⁹ fuit diuinitùs dispensatum,vt tolleretur malum commune paucitatis fidelium; Et ita hoc malū particularis naturæ,& tantùm ab extrinseco & accidētaliter, introductum ad bonum commune per ipsum Deum desinit esse malū:Sed talis non habetur dispensatio respectu Lamech, qui sola pressus intemperantia bigamiam exercuit duas habens vxores,ex quibus traditur genuisse septuaginta septem filios & filias.Eius postea exemplo multi proligam iam exercuerunt, & sic paulatim omnis caro corrupit viam suam, primò in posteris Cain, deinde in pronepotibus Seth ex commixtione cum filiabus Cain; propter quam carnis corruptionem Deus vniuersali diluuio terram deleuit. Secundum quod dicit Scriptura de Lamech est quòd occidit proauum suum Cain, an ex pura malitia sciens & volens, an ex ignorantia culpabili, potest dubitari de

viro peruerso : crediderim potiùs secundum & historia huius parricidij sic refertur ab aliquis in Glossa,quòd Lamech præ senectute caligauerant oculi,& ibat ad venationem pro recreatione & vsu pellium,& directus à iuuene ductore misit sagittam quasi ad feram , & occidit Cain inter vepres latentem. Tunc iratus verberauit iuuenem ductorem, sciens quòd ille qui occideret Cain septuplo puniretur per sententiam à Deo latam. Qui approbant hanc historiam ex textu Scripturæ, dicunt per virum à Lamech occisum intelligi Cain, per Adolescentulum autem intelligi hunc iuuenem ductorem ipsius Lamech : D.Thomas autem non sic approbat hanc opinionem aliàs satis communem , & negat haberi ex textu Scripturæ,dicens quòd Lamech alios homines occiderat.

Lamech ex prima vxore nomine Ada inter alios filios & filias genuit Iabel & Iubal , specialiter denominatos ex inuentis artibus & commoditatibus vitæ humanæ: Iabel enim fuit pater habitantium in tentoriis , atque pastorum ; non quia fuerit primus pastor ouium , hoc enim conceditur Abel iusto,sed quia fuit celebris in hac arte,multa ad eius perfectionem adinueniens,& maximè tentoria propter calorem diurnum& frigus nocturnum , quæ maximè sunt in vsu in toto penè oriẽte,vt ipse vidi,vbi greges innumeri cum tentoriis seu casulis ex panno portatilibus ad varias partes pro commoditate pascuorum transferũtur:Iubal autem fuit pater canentium cythara & organo, seu inuentor aut eximius promotor artis musicæ & instrumentorum ipsius. Ex secunda verò vxore nomine sella inter alios filios & filias genuit Tubal-cain masculum , & sororem eius cui nomen Noëma. Fortè Lamech cum Cain proauum occidisset, voluit ex parte nomen eius suscitare in filio.Tabulcain fuit malleator,& faber ia cuncta opera æris & ferri,quæ ad vsum humanæ vitæ & agriculturæ fieri cœperunt:Noema verò dicitur artem texturæ inuenisse. Primus ex casuali fluxu metallorum per ignem in fructicibus conceptum didicit metalla posse liquefieri & in varias figu-

ras

ras conuerti : similiter Noëma ex aliquo casu, vel industria alicuius ad nendum lanam & linum. Refertur de his filiis Lamech,quod scientes traditione maiorum aliquando mundum aqua periturum, & etiam aliquando igne, duas construxere columnas,vnam lapideam contra vim imbrium & aquarum, alteram lateritiam contra ignem, in quibus condita suarum adinuentionum monumenta conseruarentur,& ad posteros deuenirent.

Quia Lamech se cunctis odiosum, etiam suis vxoribus videbat,propter sua scelera & recentem Cain proaui necem, quæ cuncta sciebat esse notoria,vt suis rebus prouideret, & formidine pœnæ inimicorum animos coërceret,dixit vxoribus credens à loquacibus fœminis diuulgandum:septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies. Et hanc punitionis sententiam contra eos qui seipsum occiderent quasi diuinitùs latam intimauit,cum eam coniungeret alteri sententiæ Diuinæ contra eos latæ qui Cain occiderent; non timuit hic peruersus ad sui conseruationem mentiri; sed vtrum profuerit mendacium, ignoramus.

POSTERITAS BENEDICTIONIS ADÆ PER EIVS FILIVM SETH.

Moesti erant primi parentes & inconsolabiles de morte dilectissimi filij sui Abel, quem Deo charum sciebant; ac simul tristes de miserabili sorte Cain, quem velut reprobum,& à Deo excommunicatum cum tota ipsius progenie aspiciebant:consolantur tandem in natiuitate filij sui Seth, quem Deo reuelante didicere esse filium benedictionis, subrogatum loco iusti Abel, ex cuius posteris Redemptor futurus generis humani descenderet. Vnde dicit sacer textus: Cognouit quoque adhuc Adam vxorem suam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth dicens; *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Cum Seth & eodem partu docet Epiphanius natam esse Azuram eius sororem,postea coniugem. Vt autem ostenderetur Seth

futurum benedictionis filium, patrique simillimum non solùm quantùm ad conditiones optimæ naturæ, sed etiam quantum ad bonitatem vitæ, de hoc specialiter dicit Scriptura, quòd Adam cnm vixisset centum triginta annis, genuit ad imaginem & similitudinem suam, vocauítque nomen eius Seth.

Mirabilem habuit Adam de filij Seth educatione curam, Vnde de ipso Iosephus libro 1. Antiquitatum Iudaicarum, capite 3. ait, quòd à patre educatus, vbi eò ætatis venit, vt iam quod rectum est discernere valeret, virtutis studiis se totum dedidit: Et cum ipse vir optimus euasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit. Ex hac bonitate morali tam Seth quàm nepotum eius, & quia Adam dixerat Seth sibi datum à Deo pro Abel, ortum habuit, quòd Seth & eius posteri vocarentur filij Dei, ad distinctionem posterorum Cain, qui vocabantur filij & filiæ hominum. Prohibuerat tam Adam quàm Seth suis posteris, ne vllam communicationem, & multò minùs coniugalem cum posteris Cain contraherent, ne horum familiaritate corrumperentur; quod & obseruatum est vsque ad tempora vicina diluuio, quamuis posteri Cain posteros Seth ad hanc societatem importunè & continuè sollicitarent. Vnde ait Theodoretus quæst. 47. in Genesim, agens de Seth & filiis eius: *Illi igitur, tanquam pij & boni, cognominati sunt filij Dei; separatum enim erat genus Sethi, & non permiscebatur cum cognatione Cain, propter illatam ei ab omnium Deo maledictionem.*

Erat Seth centum quinque annorum, cum ex sua sorore coniuge Azura genuit Enos; notandum quòd in hac serie generationum non semper ponuntur primogeniti, sed illi filij per quos huiusmodi series ad Abraham, & exinde ad Christum directè deducitur. Per id tempus Adam quoque, & alij eius filij superstites multos filios & filias generabant. Seth, qui interpretatur *Resurrectio*, quia surrexit in eo quodammodo Abel, fuit vir rectus ac timens Deum; multa de ipso dicuntur quæ non ita certa videntur, vt quòd quadragesimo

gesimo ætatis anno raptus ab Angelo per quadraginta dies non comparuit; quo in raptu didicit filios suos peccaturos, & mundum diluuio periturum paucis exceptis: Et quòd ex tunc fuerit cœlesti splendore circumfusus. Factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est: Tempus autem quod vixit Seth, fuit nongentorum duodecim annorum,& mortuus est.

Enos filius Seth, qui interpretatur *Inuocatio*, quia cœpit inuocare nomen Domini, non quidem absolutè, nam Adam & Abel Deum inuocauerunt, etiam solemnibus sacrificiis, sed quoad modum aliquem singularem colendi ipsum, vel extruendo oratoria, vel imagines deuotas pingendo quæ suaderent deuotionem: Cum esset nonaginta annorum genuit Cainam,post cuius ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias: Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est.

Vixit Cainam filius Enos septuaginta annis, & genuit Malaleel, & aliis octingentis quadraginta annis superuiuens genuit filios & filias: Et facti sunt omnes dies Cainam nongenti decem anni,& mortuus est Interpretatur autem Cainan *Dei viui natura.*

Malaleel, qui *Dei plantatio* interpretatur, filius Cainan, cum esset sexaginta quinque annorum genuit Iared, postea spatio octingentorum triginta annorum genuit plures filios & filias, habuítque annos ætatis octingentos nonaginta quinque, quando mortuus est.

Iared, qui *Descendens*; aut *Roborans*, aut *Soporans* interpretatur, filius Malaleel, cum centum sexaginta duobus annis vixisset, genuit sanctissimum filium Henoch, in sacris litteris valdè celebrem. Post eius natiuitatem vixit aliis octingentis annis in quibus genuit filios & filias: vnde compleuit nongentos sexaginta duos annos, & mortuus est.

Circa hæc tempora, anno scilicet mundi & ætatis suæ nongentesimo trigesimo moritur primus omnium mortalium parens Adam, expleta salutari pœnitentia, plenus spe

& amore ſui Creatoris & Redemptoris, propterea Diuina ſapientia Incarnata illum eduxit à delicto ſuo. Moribundus ipſe præcipuos filiorum ſuorum conuocauit, vt illos de rebus fidei inſtrueret, quæ tunc ſola traditione credebantur; vt de mundi creatione, de ipſo Deo eius authore, de ſua contra Deum inobedientia & lapſu, quo tota natura fuit infecta, de Redemptore mundi futuro, de paradiſi gloria pro iuſtis, & pœna inferni pro malis: Deinde ipſos ad cultum veri Dei, ad mutuam charitatem, aliáque pietatis opera fuit hortatus: Prohibuit ne cum progenie Cain ſocietatem, & maximè coniugalem contraherent, prædicens eis ex eorum commixtione fore deprauandos, cum ſciret à Deo eſſe maledictos & excommunicatos. Denique paternam ipſis benedictionem impartitur, quam ad eius exemplum ſucceſſores Patriarchæ morituri ſuis filiis impartiti ſunt. His factis in Domino moritur,& in lymbo Patrum eius anima cum iuſto Abel filio ſuſcipitur; corpus verò in monte Caluariæ cum ingenti filiorum luctu creditur ſepultum, iuxtà communem ſanctorum Patrum opinionem, qui primum & ſecundum Adam Chriſtum eodem die & loco mortuum affirmant. Vnde Cyprianus ait: *Nos ad Chriſtum pertinentes, cuius ſanguine conſperſa creditur Adami Caluaria, qui ſub loco, quo crux Domini fixa eſt, humatus creditur ab antiquis.* Auguſtinus ſerm. 71. de tempore ait: *Et verè fratres non incongruè creditur, quia ibi erectus ſit medicus, vbi iacebat ægrotus; & dignum erat vbi occiderat humana ſuperbia,ibi ſe inclinaret Diuina miſericordia; & ſanguis ille prætioſus etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris, dum dignatur ſtillando contingere, redemiſſe credatur.* Tandem Hieronymus hanc communem ſententiam referens, etſi non omninò approbans ait: *In hac vrbe, imò in hoc tunc loco & habitaſſe dicitur, & mortuus eſſe Adam; Vnde & locus, in quo crucifixus eſt Dominus noſter, Caluaria appellatur, ſcilicet quòd ibi ſit antiqui hominis caluaria condita, & ſecundi Adam, id eſt Chriſti ſanguis de cruce ſtillans, primi Adam & iacentis protoplaſti peccata dilueret.*

Elapſo

Elapſo poſt mortem Adam anno decimo, traditur Eua mater noſtra cunctorum viuentium, ſeu potiùs mortaliũ in ſenectute bona nongentorũ quadraginta annorũ deceſſiſſe, poſt tam longam de ſuo delicto pœnitentiam, non ſolùm internam, ſed etiam externam: Vnde Tertulianus ait in libro de habitu muliebri *Euam tam animo quàm corpore & habitu pœnitentem repræſentaſſe.* Et certè communis eſt ſanctorum Patrum doctrina, quòd Eua ſaluata eſt & ſancta illuſtris: ſpecialiter ait Irenæus, *quòd in pœnam peccati ſui ſuſcepit tædia, labores & gemitus, & triſtitias partus, & ſeruitium, & increpationem Dei, ſicut & Adam vir eius, ne maledicti à Deo in totum perirent.*

Certum eſt, quòd primi parentes ante ſuum obitum multa documenta ſalutaria ſuis filiis & nepotibus cæteriſque poſteris viuentibus tradiderunt, non ſolùm quoad animæ profectum, ſed etiam quoad bonum regimen Reipublicæ, & maximè in contrahendis matrimoniis: declarantes quòd iam plurimùm aucto genere humano, non erat honeſtum aut licitum fratres nubere cum ſororibus, ſola in principio mundi exigente neceſſitate Deum in hoc diſpenſaſſe; & quòd in poſterum in hoc primo gradu conſanguinitatis connubia non contraherentur, ſed in gradibus inferioribus. Hæc ſalutaria primorum parentum documenta fuerunt in ſancta progenie Seth velut diuina oracula, præſertim in principio: ſed in reproba Cain progenie à piis parentibus ſegregata non fuerunt recepta; quin imò multa vigebant in illa crimina, ita vt circa annum mundi & Adami quingenteſimum tradat Methodius filios Cain abuſos fuiſſe vxoribus fratrum ſuorum in fornicationibus nimiis.

Henoch cum vixiſſet ſexaginta quinque annis, genuit Mathuſalam: Et ambulauit Henoch cum Deo, & vixit poſtquam genuit Mathuſalam trecentis annis, & genuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinque anni: Ambulauítque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Hic vir eximius ac ſanctus

Patriarcha iuxta textum sacrum fuit propter vitæ bonitatem ac zelum gloriæ Dei plurimùm ipsi Deo charus, & continuò Diuinam eius præsentiam habuit præ oculis, & idcirco coram ipso dicitur ambulasse. Sæpiùs de ipso fit honorabilis mentio in Scriptura sancta: dicitur enim Ecclesiastici 44. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam:* Et ad Hebræos 11. dicitur; *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus, ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.* Hic sanctus Patriarcha fuit etiam Propheta, & in Epistola canonica S. Iudæ prophetizauit de iudicio futuro, & fuit zelator maximus pro Domino Deo: propterea conueniens fuit, vt simul cum Elia nostro Patriarcha & Propheta simillimo eius in tali zelo, conseruaretur vsque ad finem mundi & tempora iudicij vniuersalis; hic quidem ex lege naturæ reseruatus, vt det gentibus pœnitentiam; Elias autem noster ex lege scripta, vt conuertat reliquias Iudæorum, & vterque vt Antichristum debellet, vt habetur Apocalypsis 11. ita quòd ex gentibus & Iudæis ad fidem conuersis tunc sit vnum ouile. Vbi autem & vnde viuant. Respondet D. Thomas in commētariis ad hunc locum cum communi sententia, quòd viuunt de lignis Paradisi (vtique terrestris & Adamici) quæ sunt optimè proportionata pro complexione humana, quantùm ad suam qualitatem absolutam; & cum hoc habent vim Diuinam sibi tanquam sacramentaliter assistentem, materiam eorum conseruantem, sicut in statu innocentiæ fuisset. Translatio Henoch contigit anno mundi 987. quinquagesimo post mortem Adam, & 857. vitæ ipsius Ataui Seth, viuentibus simul aliis eius progenitoribus. Audiamus Augustinum de Henoch & Elia in hoc statu suæ translationis ita loquentem: *Neque enim Henoch & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt; nec tamen eos credo iam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit. Nisi quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui consumptione*

ptione reficiunt: ſed ex quo tranſlati ſunt, ita viuunt, vt ſimilem habeant ſatietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ, & ex collyride panis ſine cibo vixit. Aut ſi & hic ſuſtentaculis opus eſt, ita fortaſſe in paradiſo paſcuntur ſicut Adam, & priuſquam propter peccatum exinde exire meruiſſet: habebant enim quantùm exiſtimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem.

Mathuſala filius Henoch, cum centum octoginta ſeptem annis vixiſſet, genuit Lamech: Et vltra viuens ſeptingentos octoginta duos annos, genuit filios & filias; Et facti ſunt omnes dies eius nongenti ſexaginta nouem anni, & mortuus eſt. Mathuſala diutiùs vixit quàm reliqui mortales, de quibus fit mentio in Sacra Scriptura, vita ſcilicet ordinaria & ſociali, Henoch enim eius pater, ſicut Elias poſtea, ſuperauit eum beata illa vita, qua gaudet in paradiſo terreſtri. Sunt, qui eum quatuordecim annis ſuperuixiſſe diluuio dicunt, ſed tranſlatum ad Henoch patrem in paradiſum terreſtrem: ſed hoc meritò confutat Auguſtinus, qui docet ipſum mortuum eſſe, ipſomet anno diluuij paulò ante inundationem: quo iam erant mortui cæteri Patriarchæ eius prædeceſſores.

Lamech filius Mathuſalæ, cum egiſſet centeſimum octogeſimum ſecundum ætatis annum genuit filium, vocauítque nomen eius Noë, dicẽs; *Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarũ in terra cui maledixit Dominus* (non quidem quantùm ad ſuam eſſentiam, ſed quantùm ad laborioſam hominis habitationem) Noë ſiquidem interpretatur *Requies*: Et quia fuit iuſtus ſpecialiter inter ſuos fratres ac ſorores, patríque obſequentiſſimus, propheticè denominatur conſolatio & requies ſui patris in laboribus. Vixítque Lamech, poſtquam genuit Noë, quingentis nonaginta quinque annis, & genuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Lamech ſeptingenti ſeptuaginta ſeptem anni, & mortuus eſt. Noë verò, cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham & Iapheth. Ad ipſos poſtea redibimus.

CORRVPTIO GENERALIS HOMINVM.

CVm cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant. Dixítque Deus, *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt; erúntque dies illius centum viginti annorum.* Ex coniugali mixtione filiorum Dei cum filiabus hominum, & continua conuerſatione vtriuſque populi maxima corruptio filiis Dei aduenit.

Dictum eſt, filios, nepotes, ac poſteros Cain filios hominum denominari, quia in ſuo parente maledicti à Domino, iam ad eum non pertinebant: ſicut ad eum pertinebant filij, nepotes, ac poſteri Seth, quem Dominus ſubſtituerat in locum Abel, quaſi filium benedictionis: Vnde filij Dei vocabantur, quaſi ab illo in ſuo parente benedicti, & diuino cultui maximè addicti.

Vidimus, qualiter Adam ſuis filiis & filiabus, ac nepotibus, præſertim ex ſtirpe Seth procedentibus ſtrictè præceperat, ne commercium vllum haberent, neve ſocietatem vllam, præcipuè coniugalem cum poſteris Cain contraherent, quem à Deo maledictum ac velut excommunicatum ſciebat: Et cum aliàs illorum corruptionem audiret, ac velut publicam palparet, certiſſimè præuidebat ſuos ex progenie Seth poſteros ex hac ſocietate corrumpendos. Hoc primi parentis mandatum toto vitæ ipſius tempore fuit religiosè obſeruatum, obſecundantibus plurimùm eius voluntati Seth primo filiorum Dei parente, Enos eius filio qui cœpit inuocare nomen Domini, & Henoch qui placuit Deo & ambulauit coram eo. Verùm circa annum Domini milleſimum quadrageſimum ſecundum mortuis his principalibus Patriarchis, & Henoch tranſlato, hoc Adami

præceptum

præceptum corruit ſub Lamech qui fuit octauus à Seth. Sub hoc igitur poſteri Seth, qui filij Dei vocabantur, cœperunt corrumpi, & maximè in vitiis carnalibus, quibus vt liberius vacarent, connubia cum filiabus hominum iam corruptis inierunt; & ex hac ſocietate generalis corruptio hominum ſubſequuta eſt, quæ priùs tantùm erat particularis in poſteris Cain.

Tanta fuit, támque generalis huiuſmodi corruptio, vt dicat ſacer textus, *quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, & quòd omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram, & quòd repleta eſſet terra iniquitate à facie hominum.* Quæ ſanè demonſtrant tam vniuerſalem fuiſſe generis humani tunc corruptionem, quòd vix alius à familia Noë fuerit immunis. Hæc autem corruptio licet in omni genere vitiorum fuerit: præcipuè tamen indicatur fuiſſe circa vitium luxuriæ; omnis quippe ordo tunc fuit peruerſus, & contra publicam honeſtatem, & contra naturam multa delicta committebantur. Tantuſque fuit feruor libidinis, quòd tunc viri & mulieres proceræ forent ſtaturæ, ac multùm vigoroſi, ex frequenti ac immoderata coniunctione proceſſit naſcerentur gygantes, qui fortes viribus, & in ſua fortitudine confidentes, fuerunt atrogantes, ſuperbi, & in Deum blaſphemi. Non deſunt authores, qui gygantes huiuſmodi tunc natos dicunt non ex ſola libidine humana, ſed ex cooperatione & commixtione dæmonum primò ſuccuborum, deinde incuborum, ſic Deo permittente in pœnam iam dictæ corruptionis humanæ. De quibus ait Baruch cap. 3. *Ibi fuerunt gygantes nominati illi, qui ab initio fuerunt ſtatura magna, ſcientes bellum:* Hos gygantes fuiſſe aſpectu horribiles tradit noſter Cyrillus dicens: *Gygantes illos eſſe intelligimus, qui horribiles viſu, robore incomparabiles, indomiti inuictique homines ob corporum magnitudinem fuerunt, cæteroſque propterea contemnentes.*

Fuiſſe gygantes olim, & aliquos prodigioſæ magnitudinis, tam ſacra quàm prophana demonſtrat hiſtoria. In ſacra quidem

quidem hiſtoria, præter hos de quibus egimus, Amorrhæos cōmuniter gygantes inuenimus ex illo Amos Prophetæ: *Ego exterminaui Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo Cedrorū altitudo eſt, & fortis ipſe quaſi quercus.* Lectus Og Regis Baſan dicitur fuiſſe nouem cubitorum. Et legati Iſraëlitarum ſpeculatores terræ promiſſionis dixerunt in ſuo reditu : *Populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt.* Ac tandem Goliath, quem occidit Dauid, admodum altæ fuit ſtaturæ. Vt ad fidem humanam veniamus : ipſe vidi Maſſiliæ in Galloprouincia, vbi hæc ſcribo, dentem hominis molarem maximum, pondere ſeptem librarum, palmo longum, dimidio ferè palmo latum & altum : Videat lector, quanta debuit eſſe capacitas oris, quod quindecim ſimiles aut parum minores dentes in parte ſuperiori, & totidem in inferiori continebat : Videat quale fuerit caput illius oris, & quale corpus huiuſmodi capitis. Qua parte dens ille cibum terebat, partes habebat prominentes & rectas quaſi quadrangulares. Didici à quodam honeſto mercatore Gallo eiuſdem ciuitatis Maſſiliæ natiuo corpus huius gygantis fuiſſe magnitudinis prodigioſæ, eiuſque ſepulchrum ad octuaginta circiter palmos longum, latum & altum ad proportionem. Fuit hoc ſepulchrum inundatione fluuij terram rodentis apertum non procul à portu Sale in Mauritania Tingitana circa annum milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum tertium : quo audito mercatores Galli, qui in dicto portu tunc verſabantur, ad inſpiciendum illud prodigium proceſſerunt : Voluit prædictus mercator caput gygantis prodigioſum emere, oblata pecuniæ ſumma notabili ; ſed Mauri tale monſtrum inſpicientes, eius oſſa collegerunt, & velut reliquias inſignes ad templum aſportarunt, dicentes tam extraordinarium hominem ſine dubio fuiſſe eximium Dei ſeruum. Dum ab orientali mea profectione redirem, propè ciuitatem Tripolim Syriæ longum valdè ſepulchrum vidi. S. Auguſtinus ſimilem deſcripto dentem viderat, ait enim libro 15. de Ciuitate Dei, cap. 9. *Vidi ipſe non ſolus, ſed aliquot mecum in Vticenſi littore mo-*

larem hominis dentem tam ingentem , vt si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur , centum nobis videretur facere potuisse. Anno Domini 1171. in Anglia detecta sunt ossa gygantis quinquaginta pedum longitudinis. Et in Gallia prope Valentiam sub Carolo VII. Rhodanus fluuius sepulchrum gygantis aperuit ,cuius ossa triginta pedes longitudinis habebant. Hæc ad demonstrandos gygantes sufficiant : dimissis pluribus aliis , quæ passim apud authores inueniuntur,de quibus consuli poterit Theatrum humanæ vitæ volumine 2.lib.z.

Per occasionem hic de Nanis siue Pygmæis agendum est : Et quidem fuisse aliquos , & semper reperiri , certum est apud authores ; Et aliqui tam parui fuere,quòd vix duos pedes excederent. Dubium est,an sit aut fuerit aliqua regio, vbi naturales incolæ sint communiter nani : sicut etiam & & de gygantibus dubium est.In historia S. Macharij Romani fit mentio de tali regione , sed non caret suspicione.Sunt qui eos constituunt in extrema parte montium Indiæ , alij verò in extremitate interiori Ægypti : dicentes quòd eorum mulieres anno quinto pariunt , & senescunt octauo : Infestantur maximè à Gruibus semina sublegentibus , in quas turmatim prodeunt insidentes arietum caprarúmque dorsis,& sagittis armati.Veris tempore vniuerso agmine ad mare descendunt , & oua pullósque earum alitum consumunt : Ternis mensibus eam conficiunt expeditionem, aliter futuris gregibus non resisterent. Casas luto , pennisque & ouorum putaminibus construunt , nonnulli in cauernis degunt.Hæc videntur admodum suspecta, quamuis Aristoteles vera dicat.

Tam Gygantum quàm Pygmæorum seu Nanorum monstruosa statura causam habet naturalem alicuius excessus aut defectus : nam sicut ex aliqua accidentali causa , & dispositione defectiua homo potest ita notabiliter à statura humana mediocri cadere , quòd nascatur Pygmæus : Ita similiter potest esse , quòd ex aliqua accidentali causa melioratiua , vel à parte nutrimenti , vel à dispositione cœli

potest

poteſt aliquis ſtaturam humanam excedere, & attingere gygantum proceritatem, vt docet D. Thomas ex Auguſtino referente quòd ſuo tempore nata fuit Romæ fœmina gygantea, ad quam fiebat mirabilis vſquequaque concurſus hominum, vt eam viderent; cuius tamen parentes non erant multum longi, ſed infra potiùs mediocritatem ſtaturæ humanæ, quod admirationem cauſabat.

VNIVERSALE MVNDI DILVVIVM.

Videns Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecus; Delebo, inquit, *hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cœli, pœnitet enim me feciſſe eos.* Non quòd Deus cogitet ſicut homines, ait Ambroſius libro de Noë & arca capite 4. vt aliqua ei noua ſuccedat ſententia, neque iraſcitur quaſi mutabilis: ſed ideò hæc leguntur, vt exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas, quæ diuinam meruit offenſam, tanquam eò vſque increuerit culpa, vt etiam Deus qui naturaliter non mouetur aut ira aut odio, aut paſſione vlla, prouocatus videatur ad iracundiam.

Propter vniuerſalem hominum malitiam decreuit Dominus vniuerſale diluuium inducere, quod non ſolùm homines ſceleratos, ſed etiam omnia animantia terræ à reptili vſque ad volucres cœli, quæ propter homines facti fuerunt, deleret; & ſic homines non tantùm in propria perſona, ſed in cunctis viuentibus punirentur. Diu expectauit Deus, antequam huiuſmodi ſententiam condemnationis proferret, diu etiem expectauit vt iam intimatam ſolemniter exequeretur, ſi fortè conuerterentur peccatores à viis ſuis peſſimis, & ſaluaret eos tam ab aquis diluuij quàm ab æterna perditione; non enim vuult Deus mortem peccatori

catoris, ſed vt magis conuertatur & viuat.

Noë verò inuenit gratiam coram Domino, quia vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, & cum Deo ambulauit. Quo ſimul oſtenditur, quòd hominem iuſtum non obumbret aliorum offenſio, quando ipſe Noë ad totius generis humani reſeruatur ſeminarium: qui non generationis nobilitate, ſed iuſtitiæ & perfectionis merito laudatur; probati enim viri genus virtutis proſapia eſt, quia ſicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes ſunt; etenim familiæ hominum ſplendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia ſplendore virtutis. Noë igitur ſanctus cum Deo ambulauit, quem imitata eſt vxor eius nomine Barthenon ex Epiphanio; tres quoque filij Sem, Cham & Iapheth cum vxoribus ſuis paternam pietatem & iuſtitiam æmulabantur. Vnde non ſolùm à communi ſententia damnationis eripiuntur: ſed etiam Deus eis ſua manifeſtat decreta, quaſi familiaribus ſeruis, & ſpecialibus amicis, & præſertim eorum parenti ſancto & iuſto Noë.

Cum igitur vidiſſet Deus (viſione ſcilicet impatientis iuſtitiæ, non viſione diſſimulantis miſericordiæ) *terram eſſe corruptam, omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram; dixit ad Noë, finis vniuerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra:* Nam aquæ diluuij non ſolùm omnia viuentia tam vita ſenſitiua quàm vegetatiua deleuerunt; ſed etiam aliquo modo terram, ſcilicet quantùm ad aliquem vigorem & fœcunditatem; tradunt enim Doctores terræ vigorem & fœcunditatem longè eſſe inferiorem poſt diluuium, & ideò hominibus eſum carnium eſſe conceſſum, cum antea fructibus & herbis terræ ſolùm veſcerentur.

Deinde vt ſaluet Noë cum ſua familia, ac ſimul ſemina cunctorum animantium, dixit ad eum: *Fac tibi arcam de lignis læuigatis, manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecùs & extrinſecùs. Et ſic facies eam: Trecentorum*

cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius: ostium autem arcæ pones ex latere; deorsum cœnacula & tristega facies in ea. Traditur arca Noë in tres partes fuisse diuisa, præter sentinam: Et hoc per duo solaria intermedia tecto & fundo ipsius; quæ solaria vocantur hic cœnacula: Et in qualibet parte fuisse mansiunculas distinctas pro animalibus, & pro eorum alimentis. Superior pars auibus reseruata fuit, media ipsi Noë eiúsque familiæ multisque conseruandis; infima verò animantibus: Et quamuis hæc omnia forent distincta ad vitandam confusionem; Diuino tamen instinctu concorditer viuebant.

Denique Deus firmato fœdere cum Noë, perfectam de cæteris agendis dat instructionem. Vnde sic persequitur: *Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum: Vniuersa quæ in terra sunt consumentur. Ponámque fœdus meum tecum: & ingredieris arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum: Et ex cunctis animantibus vniuersæ carnis bina induces in arcam vt viuant tecum, masculini sexus & fœminini. De volucribus iuxta genus suum, & de iumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundùm genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, vt possint viuere. Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt, & comportabis apud te; & erunt tam tibi quàm illis in cibum.*

Accepto hoc Dei mandato cœpit obedientissimus Noë exequutioni mandare: præparans ligna ad Arcæ ædificationem; quam propter lignorum commoditatem volunt aliqui factam ad radices montis Caucasi, vel alterius in Armenia propè locum, vbi cessantibus aquis diluuij postea requieuit, de quo superiùs dictum est. Dum fieret Arca, Noë iustus eiúsque filij pœnitentiam peccatorum prædicabant, imminere diluuium vniuersale prædicebant, & rigorem diuinæ iustitiæ, & simul summam eius misericor-

diam extollebant. Sed indurati iacebant in malo miseri, & in impudicitiis volutabantur absorpti: Vnde sanctos illos viros communiter deridentes, eorum dicta quasi delicia, eorum monita quasi somnia suscipiebant: Et arcæ constructionem velut insigne opus dementiæ vulgò iactabant.

Finita iam Arcæ fabrica (quam aliqui per plurimos annos durasse volunt: certum est autem tempus aliquod notabile exegisse:) postquam Noë fecit omnia quæ præceperat illi Deus, septem diebus ante diluuium dixit Dominus ad eum; *Ingredere tu,& omnis domus tua in arcam, te enim vidi iustum coram me in generatione hac: Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena, masculum & fœminam; de animantibus verò immundis duo & duo, masculum & fœminam: sed & de volatilibus cœli septena & septena, masculum & fœminam, vt saluetur semen super faciem vniuersæ terræ. Adhuc enim & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam quam feci de superficie terræ.* In hac apparitione mandauit quidem Dominus Noë, vt ingrederetur arcam, sed non pro tunc vt ibi remaneret, sed in articulo diei quo cœpit diluuium. Pro animalibus vt communiter receptum supponitur, illa tantùm fuisse arcam ingressa, quæ sola fiunt generatione, quæ enim fiunt ex putri materia, potuerunt reparari sine semine: Animalia verò aquatilia ad sui conseruationem non indigebant arca. Pro animalibus immundis quidam intelligunt ea,quæ postmodum in lege scripta fuerunt Iudæis prohibita, & tunc sancto Noë indicata, alij verò intelligunt animalia quædam homini quantùm ad esum horribilia: Cum enim post diluuium esus carnium homini fuerit concessus, conueniens fuit vt plura reseruarentur animalia ex his quæ post modum homines comederent quàm ex aliis, vt sic faciliùs ad vtilitatem hominum multiplicarentur. Per septenaria & septenaria mundorum animalium, aliqui intelligunt duo septenaria eiusdem speciei, vnum masculorum, aliud fœmi-

narum : Alij verò solùm volunt vnum septenarium pro qualibet specie, tria scilicet paria ad multiplicationem, septimum autem impar destinari ad sacrificium Deo exhibendum à Noë post diluuium.

Fecit Noë omnia quæ mundauerat ei Dominus, erátque sexcentorum annorum, quando diluuij aquæ inundauerunt super terram. Præfixa igitur die, quæ fuit decima septima mensis secundi anni sexcentesimi vitæ Noë : in articulo diei illius ingressus est Noë, & Sem, & Cham, & Iapheth filij eius; vxor illius, & tres vxores filiorum eius cum eis in arcam. Similiter animalia diuino instinctu tunc illuc adducta iuxta Dei præceptum recipiuntur in arcam : Et inclusit Dominus Noë & cæteros in arca de foris. Tunc cœpit diluuium, quod quadraginta diebus & noctibus in maxima & horribili decidentium aquarum è cœlo fluxu perdurauit; & etiam in subitanea prosilientium è terra aquarum inundatione.

Duas sacer textus causas physicas & proximas diluuij vniuersalis assignat, dum ait : *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & catharactæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Per ruptos fontes abyssi magnæ intelligitur subitanea & maxima exundantia aquarum quæ sunt in profundis terræ visceribus, quæ dimanant ab oceano, quæ non sensim de more fluebant, sed inundatione repentina terram operuerunt. Vel intelligitur multiplex irruptio oceani super terram, rupta lege qua præcipiebatur ei ne transiret fines suos. Per catharactas cœli apertas intelligitur resolutio nubium multis vaporibus condensatum, vt inde insolitæ maiores pluuiæ funderentur.

Factúmque est diluuium quadraginta diebus & quadraginta noctibus super terram, & multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra : vehementer enim inundauerũt, & omnia repleuerunt in superficie terræ: Porrò arca ferebatur super aquas. Et aquæ præualuerunt nimis super terram, opertíque sunt omnes montes excelsi sub vniuerso

uerſo cœlo : quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerunt. Conſumptáque eſt omnis caro (ſcilicet animalium quæ reſpirant ; Vnde non comprehenduntur piſces qui non egent reſpiratione : Et excipiuntur viuentia quæ præſeruabantur in arca, & ſanctus Henoch in paradiſo terreſtri exiſtens) quæ mouebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniúmque reptilium quæ reptant ſuper terram : Vniuerſi homines,& cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt. Et deleuit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine vſque ad pecus, tam reptile quàm volucres cœli, & deleta ſunt de terra. Remanſit autem ſolus Noë,& qui cum eo erant in arca : obtinuerúntque aquæ terram centum quinquaginta diebus ; computando ſcilicet dies ab ingreſſu Noë in arcam, quando cœpit pluuia diluuij, & non à ceſſatione pluuiæ, vt probat D. Thomas ex ipſo textu, vbi dicitur quòd arca requieuit menſe ſeptimo ſuper montes Armeniæ.

Cum ex Sacra Scriptura habeatur tantùm octo animas in arca fuiſſe ſaluas, ſcilicet Noë, vxoris ipſius, filiorum & nuruum ; manifeſtè colligitur omnes alios, ſiue conſanguineos, ſiue cognatos, ſiue amicos incredulos fuiſſe : Et non ſolùm non egiſſe pœnitentiam, ſed in vitiis perſeuera ſſe. Dicitur enim à Chriſto Domino Lucæ 17. *Et ſicut factum eſt in diebus Noë, ita erit & in diebus filij hominis ; Edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vſque in diem qua intrauit Noë in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes.*

Multum deflenda eſt peccatorum tam vniuerſalis obſtinatio, qui documenta ſalutis à viro ſancto audientes noluerunt ſequi docentem ; ſed illum communiter irridebant quaſi deliria proferentem. Sed malo ſuo & irreparabili veritatem prædictionis eius experti ſunt. Ipſe verò ſanctus Noë ex intimo corde condolebat infœlici eorum perditioni, & ſecundùm corpora, & ſecundùm animas : nam vt ait Chryſoſtomus ; *Quamquam erant valdè improbi qui*

peribant, bonorum tamen virorum animæ magna commiseratione tanguntur, si quando vident puniri homines.

Formido & horror omnia compleuerant, Insolitam enim miseri mortales pluuiam intuentes, domorum & ciuitatum ruinam audientes meditabantur fugam ad montes, sed non aderat præ aquarum inundatione locus fugiendi, & fuga fuisset inutilis, cum etiam cacumina montium occupassent aquæ. Qui tunc clamores, qui fletus, quæ suspiria! nullus alteri, vnusquisque sibi vacabat, nec suæ saluti saltem temporali consulere poterat. Vtrum multi, vel pauci ex illis improbis fuerint pœnitentes, & veniam peccatorum à Deo misericordi obtinuerint, in diuinis latet arcanis: paruulos multos fuisse saluos, qui nondum vsu rationis fruentes parentum vitiis non potuerunt infici, pro certò tenemus; peccata namque parentum in damnationem æternam filiorum, & in malum spirituale non cedunt, qui enim peccauerit ipse morietur.

Noë, & reliqui in arca conclusi, plurimúmque in Domino confidentes, quamuis inundantium aquarum vortices se mutuò collidentes & arcam impellentes perciperent, non horrebant vt alij, cum certò scirent se sub Diuina esse protectione. Contemplationi Diuinorum vacabant, laudes Deo canebant, ipsum sibi & miseris pereuntibus inuocabant sæpè cum lachrymis: Deinde curam sibi demandatam à Deo, circa propriam & animalium arcæ nutritionem diligenter gerebant.

Diluuij huius vniuersalis notitiam habuerunt etiam Ethnici, qui suas fabulas ex veritatibus sacræ scripturæ mixtis erroribus multis deriuarunt. Vnde Ouidius 1. Metamorphoseos sic ait:

Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto
Indeiecta malo, culmen tamen altior huius
Vnda tegit, pressæque latent sub gurgite turres:
Iamque mare & tellus nullum discrimen habebant,
Omnia pontus erant.

In hac enim inundatione diluuij salsæ maris aquæ faciem

vniuersæ

vniuersæ terræ cooperuerant, vnde nullibi terra comparebat, cum etiam montes præcelsi quindecim cubitis sub aquis laterent. Insuper interiora terræ peruaserunt; Vnde ex duplici capite fertilitati ipsius nocuerunt: Primò quidem eius pinguedinem diluentes, & substantialem vigorem eruentes: Secundò autem ipsam salsedine inficientes, salsedo enim humorem aëreum generationi idoneum absumit, & dum prohibet corruptionem, simul & eadem via sterilitatem inducit. Et exinde terra non succulentas herbas, nec substantiales fructus produxit, vt ante diluuium solebat. Hic primam mundi ætatem seu infantiam terminamus, & arcam adhuc fluctuantem relinquimus.

LIBER



LIBER SECVNDVS CHRONOLOGIÆ.

SECVNDA MVNDI ÆTAS, SIVE PVERITIA.

PROLOGVS.



OE inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio : Ideò dimissum est reliquum terræ, cum factum est diluuium ; Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluuio omnis caro. Hoc est elogium Sancti Patriarchæ Noë positum capite 44. *Ecclesiastici : Aliud simile format Apostolus ad Hebræos* 11. dicens : *Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum ; & iustitia, quæ per fidem est, hæres est institutus. Tandem ipse Deus alloquens Noë vocat iustum, & affirmat se illum titulo iustitiæ à communi diluuio præseruare : dixit enim ei ; Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam ; Te enim vidi iustum coram me in generatione hac. Sicut Adam est primus parens absolutè omnium hominum, ac rector mundi primò conditi : Sic Noë primus est parens mortalium post diluuium, ac reparator mundi aquis perditi & generis humani. Ab hoc homine iusto secundam mundi ætatem incipimus ; quam pueritiam nominamus, eámque ad Abraham perducimus patrem fidei, progenitorem Christi, principem electi populi, & sanctissimum*

mum Patriarcham. Hæc mundi ætas breuis eſt, ſicut & hominis pueritia, & concluditur deducta per annos circiter quadringentos.

CESSANT AQVÆ DILVVII SVPER TERRAM.

REliquimus in fine libri præcedentis mundum aquis ſubmerſum, Noë cum ſua familia concluſum in arca, & ipſam arcam in mediis aquarum vorticibus fluctuantem. Nunc ad ipſum Noë redimus, vt ceſſantibus tandem aquis diluuij educamus ex arca, & terræ iam ſiccæ incolam & colonum reſtituamus. Dicit ſacer textus, quòd *recordatus Deus Noë, cunctorúmque animantium, & omnium iumentorum quæ erant cum eo in arca, adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ*. Per ſpiritum intelligitur ventus, qui aquas agitans exhalare & euaporare faciebat; ſicque maiori parte in vapores conuerſæ fuerunt imminutæ.

Iam Dominus tranſactis quadraginta diebus & quadraginta noctibus inundantis diluuij, clauſerat fontes abyſſi magnæ, & catharactas cœli iuxta ſuperiùs dicta, & prohibuerat pluuias de cœlo: Reuerſæque ſunt aquæ de terra euntes & redeuntes; euntes quidem è terra ſiue recedentes ab ea; & redeuntes in loca vnde venerant: Et cœperunt minui poſt centum quinquaginta dies, id eſt poſt quinque menſes ex quo diluuium cœperat.

Cum hac mirabili prouidentia Dei fuiſſent aquæ cubitis aliquot imminutæ, requieuit arca menſe ſeptimo vigeſima ſeptima die menſis ſuper montes Armeniæ, præcelſos admodum: tota quippe regio Armeniæ montibus excelſis abundat, præſertim in illo loco, vbi arca Noë dicitur requieuiſſe & eſſe, vt ipſe vidi in mea peregrinatione orientali. Cum ſupra de paradiſo terreſtri diſſerentes montem

Noë ab eius arca denominatum deſcripſerimus, non amplius hic immoramur.

Poſtquam requieuit arca in hoc altiſſimo monte totius Armeniæ, & vno ex altioribus quos vnquam viderim, ſeu in Europa, ſeu in Aſia, quamuis multos altitudine ſua nominatiſſimos viderim: Aquæ ibant & decreſcebant vſque ad decimum menſem, id eſt duobus continuis menſibus & amplius: Decimo enim menſe, prima die menſis apparuerunt cacumina montium, non ſolùm illius in quo requieuerat arca, ſed etiam aliorum adiacentium; quæ reſpiciens Noë cœpit inenarrabili lætitia gaudere: licet enim ſciret ſe ſub diuina tutum protectione, inundata tamen terræ tota ſuperficie, quidam horror ipſum naturaliter obſidebat; quem experiuntur nauigantes, dum in medio fluctuantes oceano tempeſtatem patiuntur procul à terra diſſiti, vt ſæpiùs ipſe expertus loquor, & ad aſpectum terræ ſtatim euaneſcit, noua ſuccedente lætitia. Hoc ipſum ſancto Noë filiis eius, & ipſorum vxoribus accidiſſe coniicimus, vbi poſt decem menſes cacumina montium primò viderunt, quæ priùs aquis diluuij ſubmerſa toto tempore illo latuerant.

Tunc fiducia plenus Noë, nec amplius in arca fluctuans, ſed ſtans in loco vbi requieuerat arca in vno montium Armeniæ, fœlicem exitum in ſubiectam terram expectabat, non electione ſua, ſed Dei præcepto: nam ſicut Deo præcipiente fuerat arcam ingreſſus, ſic tantùm ad eius præceptum ex arca volebat egredi. Vt tamen ad ſui & ſuorum ſolatium, poſſet certum decrementi aquarum nuntium habere, tranſactis quadraginta diebus, ex quo montium cacumina cœperunt apparere, aperuit feneſtram arcæ, & dimiſit coruum; ad probandum ſcilicet an terra eſſet deſiccata, ſi ſiccus ipſe rediret, aut aliquid ſiccum in arcam rediens afferret. Qui foras egreſſus, ac liber effectus, non amplius rediit in arcam, ſed circa eam volitans aut procul aut propè, vel etiam aliquando arcæ tecto inſidens aliquot dies tranſegit, victum iam foris in cadaueribus ſubmerſis quærens.

Non

Non redeunte hoc primo infideli nuntio, cum sit auis siluestris, alium fideliorem emittere destinauit: Vnde emisit columbam post eum, vt videret si iam cessassent aquæ super faciem terræ; quæ cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam, aquæ enim erant super vniuersam terram; quamuis admodum diminutæ: extendítque manum, & apprehensam intulit in arcam: columba siquidem auis est domestica, & sponte faciléque redditur familiaris.

Ex subitaneo columbæ reditu coniiciens Noë nondum aquas diluuij totaliter recessisse, nec terram sufficienter exsiccatam, expectat vltra septem dies, quibus elapsis rursum dimisit columbam ex arca: At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo; intellexit ergo Noë, quòd cessassent aquæ super terram, scilicet habitabilem in qua tantùm erant oliuæ; in his quippe valdè frigidis regionibus non possunt oliuæ supra montes nasci.

Expectauit nihilominus Noë septem alios dies, & emisit tertiò columbam, quæ non est reuersa vltra ad eum: Vnde conclusit Noë superficiem terræ iam apertam & exsiccatam. Igitur diluuium durauit per decem menses & quatuordecim dies, ex quo rupti sunt omnes fontes Abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, vsquequo Noë aperiens tectum arcæ vidit quòd terra esset exsiccata. Dicitur enim, quòd diluuium cœpit completo anno sexcentesimo vitæ Noë, currente secundo mense & decima septima die illius in sexcentesimo primo anno inchoato: post centum quinquaginta dies, id est post quinque menses expletos, ex quo cœperat diluuium, aquæ cœperunt minui, cum iam curreret mensis septimus & decima quarta dies in anno sexcentesimo primo vitæ Noë: Elapsis verò vltra duodecim diebus, die scilicet vigesima septima eiusdem mensis septimi in eodem anno sexcentesimo primo vitæ Noë requieuit arca super montes Armeniæ. Postea aquæ diluuij decreuerunt triginta tribus diebus, à vigesima septima

ptima die mensis septimi vsque ad decimum mensem exclusiuè prædicti anni vitæ Noë; & tunc decimo mense inchoato, prima die mensis apparuerunt cacumina montium. Elapsis vlteriùs quadraginta diebus dimisit ex arca Noë coruum & columbam: Rursùs expectatis septem diebus emisit secundò columbam, & transactis septem aliis diebus tertio dimisit. Qui dies quadraginta & bis septem implent totum mensem decimum, & pertingunt ad decimam septimam vndecimi mensis prædicti anni vitæ Noë. Expectatis iterum quadraginta circiter diebus, vt Dei præceptum expectaret, & terra exsiccaretur amplius, completur omninò sexcentesimus primus annus vitæ Noë. Igitur sexcentesimo primo anno completo, primo mense inchoante annum sexcentesimum secundum vitæ Noë, prima die mensis imminutæ sunt aquæ super terram, & aperiens Noë tectum arcæ aspexit, vidítque quòd exsiccata esset superficies terræ, quæ tandem perfectè dicitur arefacta die vigesima septima mensis secundi proximè sequentis.

EGRESSVS NOE DE ARCA
POST DILVVIVM.

CVm iam recedentibus aquis diluuij terra perfectè sicca foret, locutus est Deus ad Noë dicens: *Egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia quæ sunt apud te ex omni carne, tam in volatilibus quàm in bestiis & vniuersis reptilibus quæ reptant super terram educ tecum, & ingredimini super terram, crescite & multiplicamini super eam.*

Egressus est ergo Noë, & filij eius, vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo: sed & omnia animantia, iumenta & reptilia quæ reptant super terram secundùm genus suum, egressa sunt de arca. Solemnis & festiuus hic egressus Noë de arca cum filiis & vxoribus, ac cunctis animantibus statim cœpit fieri, ac ipsamet die qua fuit à Domino præceptus.

præceptus. Quantùm ad volucres & bestias siluestres statim fuit completus, ipsis recedentibus & auolantibus in loca circumuicina paulò post apertionem arcæ & benedictionem Noë, cui in gratitudinis signum de sua hospitalitate diuersis modis blandiebantur vt poterant. Quantum verò ad volucres & bestias domesticas, putà gallinas, columbas, equos, asinos, &c. hic egressus non statim fuit completus: Cum enim huiusmodi deberent homini ad quotidianos vsus deseruire, & cum ipso habitare, debuerunt Noë cum filiis & vxoribus exeuntem de arca comitari; cuius ab arca recessus non subitò factus est.

Prima vice, qua Noë vir sanctissimus ex diuino præcepto de arca fuit egressus, ædificauit altare Domino, & obtulit de cunctis pecoribus & volatilibus mundis holocausta super altare; odoratúsque est Dominus odorem suauitatis. Hæc festiua sancti Patriarchæ sacrificia seu holocausta fuerunt in gratiarum actionem, pro tam solemni beneficio, quo ipsum cum sua familia de communi diluuio & perditione liberauerat. Fuerunt etiam in reuerentiam diuinæ maiestatis, & protestationem supremi eius dominij in omnes creaturas, quantùm ad vitam & mortem, quarum aliquæ in holocaustum, & omnes in obsequium offerebantur. Fuerunt denique in laudem diuinæ iustitiæ simul & misericordiæ; Cum Deus iustitia sua rectissima peccatores aquis diluuij meritò deleuisset, & misericordia sua speciali iustum Noë de communi eorum ruina liberasset.

Placatus Dominus his sacrificiis Noë, multa ei promisit beneficia, tam particularia quàm communia. Promisit primò, quòd vltra non malediceret terræ vniuersæ propter hominum peccata. Vnde ait: *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines, sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua; non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem sicut feci: Cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent.*

Deinde

Deinde benedixit Deus Noë & filiis eius,& dixit ad eos: *Crescite & multiplicamini, & replete terram. Et terror ve- ster ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super om- nes volucres cœli, cum vniuersis quæ mouentur super terram, omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.* Ad hominum autem conseruationem concessit Deus Noë esum carnium, cum ante diluuium sola terræ olera & fructus ad vsum ei concessisset. Prohibuit autem esum sanguinis, ne scilicet animal suffocatum cum suo sanguine, vel etiam sanguinem separatim comederent, vt sic homines de fundendo san- guine humano horrorem conciperent. Vnde ait: *Omn quod mouetur & viuit erit vobis in cibum, quasi olera viren tia tradidi vobis omnia: excepto quòd carnem cum sangui non comedetis, sanguinem enim animarum vestrarum re quiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu homini, & de manu viri & fratris eius requiram animam homini Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sang illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.*

Denique post iteratum de multiplicatione præceptum & impertitam fœcunditatis benedictionem, Deus solemn statuit pactum cum Noë & posteris eius, ac vniuersis vi uentibus, & promisit quòd nunquam imposterum foret di luuium vniuersale, & huius promissionis infallibile signu dedit iridem, quæ cum appareat in nube rorida, ac proi de non multum aquis grauida, certificat non futurum e diluuium. Dixit igitur Deus Noë, filiis eius, & ipsoru coniugibus: *Vos autem crescite & multiplicamini, & ingr dimini super terram, & implete eam.* Hæc quoque dix Dominus ad Noë & ad filios eius cum eo: *Ecce ego statua pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos,& omnem animam viuentem quæ est vobiscum, tam in voluc bus quàm in iumentis & pecudibus terræ cunctis quæ egre sunt de arca,& vniuersis bestiis terræ. Statuam pactum meu vobiscum, & nequaquam vltra inficietur omnis caro aqu diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram.* Di xitque Deus: *Hoc signum fœderis quod do inter me & vo*

& ad omnem animam viuentem quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram: Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima viuente quæ carnem vegetat; & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuersam carnem. Eritque arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum & omnem animam viuentem vniuersæ carnis quæ est super terram. Dixitque Deus ad Noë: Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me & omnem carnem super terram.

Cum Noë multa sibi necessaria tam ad victum & vestitum, quàm ad alios vsus domesticos ex arca suscepisset, eaque super iumenta & alia domestica animalia imposuisset, ad præceptum Domini descendit de monte, in quo arca requieuerat, & ingreditur adiacentum Armeniæ planitiem, ibique locum opportunum eligens sua fixit tabernacula, vbi postmodum vrbs Nacheuam non longè à prædicto monte fuit ædificata. Octo erant animæ: ipse Noë, vxor eius Barthenon, quam aliqui Tyteam aut Noriam vocant: tres filij eius, Sem, Cham & Iapheth: tres eorum vxores, scilicet Pandora, Noëlla seu Noëgla, & Sambetha prima Sibyllarum ex Genebrardo, quæ Sibylla Babylonica dicitur, ipsa namque libro 1. Carminum Sibyllinorum dixit se extitisse in arca simul cum marito. Vt euidentiùs appareant, quæ hic dicentur de hac noua habitatione Noë, & aliis eius gestis, conueniens duxi breuiter Armeniam describere relictis aliis quæ in meo Orientali Itinerario retuli, quæ hic refero ipse vidi.

Armenia diuiditur in maiorem ac minorem: Hæc magis accedit ad Asiam minorem, & Turcarum imperio subiacet; illa verò Persis est finitima, & eius imperio maiori ex parte subiecta: Habitatores vtriusque vt plurimùm sunt Armeni Christiani, maximè in oppidis; in vrbibus quippe mixti

mixti reperiuntur Mahometani, qui ibi præſidia & principatum tenent.

In Armenia ſemper plures fuerunt ciuitates, nunc ſequentes reperiuntur. Prima dignitate, non magnitudine, eſt Eriuania ſubdita Regi Perſarum, in qua eſt caſtrum validiſſimum nuper à Turcis expugnatum, ſed nunc iterum à Perſis captum eorum ſubditur ditioni. Hanc tradunt olim fuiſſe Curiam Regis Armeniæ, dictam Albaniam: Propterea Ciuitatis illius Epiſcopus eſt Armenorum Patriarcha. Nomen modernum Eriuania, aliquantulum antiquo Albaniæ conſonat; Eriuania enim eſt quaſi Albania: Parum diſtat à radicibus montis deſcripti, in quo requieuit & eſt arca Noë. Proximum eſt hic monaſterium, maximæ apud Armenos venerationis, dictum *tres Eccleſiæ*: Tùm propter ſedem Patriarchalem, ibi namque Patriarcha ordinariè commoratur: Tùm propter conſeruatas ibi reliquias S. Gregorij illuminati Armenorum Apoſtoli.

Secunda ordine eſt ciuitas Archiepiſcopalis Nacheuan, & idiomate Armeno idem ſonat ac prima habitatio: quia communi traditione Armenorum dicitur, Noë poſt diluuium ibi ſtatim habitaſſe. Hæc ciuitas propè montem Noë, vbi eius arca requieuit, ſita penè deſtructa iacet propter mutua Turcarum & Perſarum bella in ſuis confiniis. Eius Epiſcopus in oppido Abraner trium itinere dierum diſſito ab antiqua Ecbatana Regia Mediæ, nunc Tauris dicta, ſedem habet; Hæc prouincia Armeniæ dicitur Alingia, cuius incolæ Armeni ſunt Chriſtiani Catholici.

Aliæ plures ſunt ciuitates Armeniæ, quas hic tantùm per tranſennam indico; quia hiſtoriæ temporum, quæ percurrimus, non deſeruit eas deſcribere. Eſt Chulfa ciuitas antiqua propè fluuium Araxem, iam omninò deſerta: Nam Rex Abbas Perſarum, vulgo Scia Abbas, illius incolas adduxit Aſpahanum Regni Curiam, ibique nouam Chulfam, quaſi ſuburbium ſolis Armenis habitatoribus ædificauit. Eſt Ciuitas Van mœnibus validiſſimis munita, foſſis cincta profundis, ac tormentis bellicis inſtructa propter

vicina Persarum præsidia: Ibi supra collem ciuitati prominētem inexpugnabile videtur, imò etiam inaccessibile castrum. Huic adiacet ciuitati mare viginti circiter leucarum longitudinis, & decem latitudinis, ex ipso vt creditur diluuio relictū inter montes Armeniæ, quibus circumquaque vallatur: Cuius aquæ salsæ satis sunt steriles, cum paucos & exiguos pisciculos quibusdam tantùm anni mensibus producat. Ad sex circiter milliaria est monasterium monachorum S. Antonij Armenorum, qui vestibus induuntur similibus iis quibus depingitur indutus S. Anthonius: hoc monasterium est maximæ deuotionis apud Armenos, ibi namque illorum Patriarchæ sepeliendi transportantur Eriuania, vel vbicumque mortui fuerint: est ædificatum supra montem excelsum nomine Varac, vbi iuxta traditionem illorum Monachorum crucifixio decem millium Martyrium celebrata fuit; nomen nouum aliquantò corruptum antiquo Ararat correspondet.

Inter montem arcæ & ciuitatem Dan est spatium octo fermè dierum itineris. Relictis radicibus montis illius per aliquot milliaria, statim occurrit vastissima planities, in cuius extrema parte est Ciuitas dicta Coi, satis amœna & magna, plurimùm contra vicinos Turcas munita. Superata huiusmodi planitie duorum ferè dierum amplitudinis montes occurrerunt vsque ad ciuitatem Van continui, ac penè deserti, qui vix aditum tam peregrinis quàm fluuiolis inde scaturientibus præbent. In toto montium illorum traiectu per sex dies aliquot tantùm domus, & castrum Cochab numitissimum inuenimus, quod præterfluens ad eius radices fluuiolus exhilarat. Arzerum, & Sebastem, cæterasque Armeniæ ciuitates, quas non vidi, silens prætermitto.

Armenia vt plurimùm est præruptis asperrima montibus, & alicubi tam propinquis, vt illic sol vix appareat: Præterea frigus intensissimum ibi sæuit hyemis tempore, quod & æstiuo sentitur; prima namque die Augusti illac transiens fui præ frigore compulsus me radiis solaribus exponere. Non desunt tamen planities amœnæ ac vastissimæ, præsertim vbi ad Mesopotamiam declinat, quæ pluribus fluuiis & fluuiolis

irrigatæ fœcundantur.In Armenia fluuij ſunt nominatiſſimi Tygris & Euprates ſuperius deſcripti : Eſt etiam Araxes, & Cyrus, aliique plures fluuioli ex illis Armeniæ montibus exilientes,quos aliàs peregrinando vidi. Hæc eſt terra Armeniæ, quam ingreſſus Noë poſt diluuium incoluit & coluit.

AGRICVLTVRA NOE & FILIORVM EIVS POST DILVVIVM.

ERant filij Noë qui egreſſi ſunt de arca, Sem,Cham,& Iaphet:ab his diſſeminatum eſt omne genus humanum ſuper vniuerſam terram,vt docet ſacra Scriptura,& inferiùs explicabitur. Noë quippe, cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, poſtea ante diluuium genuit Cham & Iaphet: qui tres filij Noë nupſerunt ante diluuium, ipſorum namque vxores cum ipſis arcam ingreſſæ dicuntur.Præſumitur quòd Noë nullos alios ante diluuium habuerit filios,vel dicendum quòd tunc mortui fuerint innocentes, vel quòd præuaricati cũ aliis perierint.Præſumitur etiam,quòd poſt diluuium nullos genuerit, cum eſſet pluſquam ſexcentorum annorum,& à prædictis eius tribus filiis diſſeminatum eſſe dicatur omne genus humanum ſuper vniuerſam terram; vel dicendum quòd mortui fuerint antequam ad ætatem nubilem peruenissent :vnde hæc benedictio Dei; *Creſcite,& multiplicamini,& replete terram*;potiùs ad filios Noë quam ad ipſummet Noë pertinuit.Præſumitur denique,quòd filij Noë non multò ante diluuium nupſerunt,nec tempore diluuij genuerunt, ſed paulò poſt diluuium filiis procreandis vocarunt iuxta præceptum Domini. Quod ſi exitu arcæ Cham dicitur pater Chanaan;non ſic debet exponi,quaſi tunc genuiſſet,ſed quòd poſtea genuerit.

Poſtquam Noë commodum habitationi ſuæ locum elegit, & ſua fixit tentoria, cœpit in futurum de neceſſariis ad victum ſibi, filiis & poſteris ſuis prouidere. Interim veſcebatur cibis quæ ſecum ex arca detulerat. Quatuor mulieres,

vxor

vxor ſcilicet Noë, & vxores filiorum eius domeſticis negotiis vacabant: Noë verò & filiis tam paſcendo gregi & armento, quàm terræ colendæ diligenter attendebant: nam aquæ diluuij totam ſuperficiem terræ diformauerant, arbores maiori ſaltem ex parte eradicauerant,& cunctæ planities aliàs frugiferæ,velut incultum apparebant deſertum.

Primò iuxta tentoria conſtituit hortum quem iactis omnium herbarum ſeminibus ex arca aſportatis coluit. Deinde ſeminauit tritico variiſque leguminibus agros: plantauit viridaria tranſlatis arboribus quæ circumcumquaque iacebant eradicatæ,& limo ſordidæ.Denique diſpoſitis ordine vitibus plantauit vineam: Vnde dicit ſcriptura;cœpit Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam, Filios quoque ſuos artem agriculturæ docuit.

Quia Noë benedictus erat à Domino, cuncta proſperè faciebat. Vnde & horti,& viridaria,& vineæ, & omnia eius animalia domeſtica fructus vberes miræ fœcunditatis afferebant,quibus pacificè & cum gratiarũ actione vtebatur.Tunc etiam cœpit ex indulgentia Dei carnibus veſci: Et preſſis vuis primò vinum conficere ad potum, cum ante diluuium vſus vini non eſſet,vt communior ſanctorum Patrum habet ſententia; tunc enim robuſtior erat hominis complexio, cui proinde potus aquæ ſufficiebat.

Elapſis pluribus annis à diluuio, cum iam plantata vinea fructum ferret,& Chanaan filius Cham poſt diluuium natus aliquantum creuiſſet: accidit quadam die quòd Patriarcha Noë bibens vinum inebriatus eſt;ſine culpa tamẽ,quia tanquam non aſſuetus.Huic potioni fortitudinem vini ignorabat: ſicque omninò ebrius & impos ſui nudauit ſe in tabernaculo ſuo,& nudus iacebat.Ingreſſus Cham pater Chanaan; vt vidit hoc turpe ſpectaculum, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, non operuit modeſtè vt debuit turpitudinem parentis, ſed nuntiauit duobus fratribus ſuis foras deriſoriè reuelando. Secum forte tunc habuit filium ſuum Chanaan, qui patris ad exemplum immodeſtè nudatum auum deriſerit, vt ex participata eius maledictione colligitur.

At verò Sem & Iaphet majores natu filij Noë, cum essent prudentiores ac magis pij, sumptum pallium imposuerunt humeris suis, in debitam parenti reuerentiam incedentes retrorsùm, operuerunt verenda illius iniecto desuper pallio: faciesque eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt. Eximium fuit hoc pietatis exemplum Sem & Iaphet: sicut maximum fuit impietatis facinus derisio Cham, qui patrem tam venerandum senem plusquam sexcentorum annorum, tam illustrem sanctum ac Deo charissimum, & ab ipso vt iustum canonizatum, cuius probitati tam ipsius quàm totius mundi conseruatio debellatur, tam insolenter derisit, & præsertim circa principium actuum partis generatiuæ, de qua se nouerat immediatè propagatum.

Euigilans autem Noë ex vino, cum didicisset opus pietatis quod fecerat ei filij maiores natu, & scelus impietatis quod fecerat ei filius suus minor, illos benedixit, hunc verò maledixit, non quasi malum optans, sed quasi propheticè futura mala prædicens. Vnde ait: *Maledictus (non quidem sit, sed est vel erit) Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Vbi nota: quòd vel ideò Chanaan maledicitur potiùs quàm pater eius Cham, quia gens Chananæa descendens à Chanaan Iudæis infesta ab ipsis erat subiuganda; non autem aliæ gentes à Cham descendentes per alios eius filios: vel quia maior fuit punitio maledicere patrem in filio aliàs participa criminis paterni, quàm solum patrem maledicere, quia perinde est ac si diceret; *Tu & tua generatio estis maledicti à Domino,* decim enim fuit quod sicut malum filium se fecerat, sic filios malos & maledictos haberet. Hæc autem maledictio præsertim in hoc consistebat, quod seruus seruorum esset fratribus suis, id est inter omnes vilissimus, & summæ seruituti subiectus; non quantùm ad personam ipsius Chanaan, sed quantùm ad eius posteritatem in gente Chananæorum.

Benedicens Noë duos alios filios Sem & Iaphet, ait: *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius; dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan seruus eius.* Filij namque Sem in Asia perseuerantes imperium

rium mundi tenuerunt in prima Chaldæorum & Aſſyriorum monarchia (quamvis primi ejus fundatores ſint poſteri Cham ;) ſicut & in ſecunda Perſarum & Medorum , ac in tertia Græcorum ſub Regibus Syriæ:Et inſuper veram fidem ſoli tenuerunt tempore Abrahæ , qui deſcendit ex familia Sem,& ex ipſo proceſſit Chriſtus.Filij verò Iaphet valde dilatati ſunt, iuxta interpretationem nominis Iaphet , ſignificat enim *Latitudo* , cuius filij totam Europam impleſſe dicuntur , & populus gentium ex ipſo ortus traditur ſecundùm Hieronymum.

POSTERITAS FILIORVM NOE POST DILVVIVM.

VIrtute benedictionis Diuinæ ſic multiplicati ſunt poſteri Noë poſt diluuium , quòd ſi ſingulorum nomine , qui primo ſæculo nati ſunt;eſſent tantùm indicanda,vix magnum volumen illa caperet : ſed quia referre illa magis eſſet hiſtoriæ diligentiæ quàm propheticæ prouidentiæ; ideò Spiritus ſanctus per Moyſen illa ſubſequitur, quibus non ſolùm narrentur præterita,verùm etiam prænuntientur futura,quæ tamen pertineant ad ciuitatem Dei : & quicquid hic dicitur de hominibus qui non ſunt ciues eius ; hoc tantùm ſit occaſione illius,vt ex illa comparatione contraria vel proficiat, vel emineat. Multi tamen in hac ſacra genealogia nominantur ex poſteris ſancti Noë,quos per tres lineas filiorum eius deducemus, incipiendo à primogenito , & ordinatè per alios procedendo,quamvis ſcriptura præmittat iuniorum familias, & finiat in familia Sem primogeniti , in qua ſolùm poſtea ſiſtit aliis dimiſſi ; quia ex illa populus electus Iudæorum deſcendit,in cuius hiſtoria referenda ſolum attendit.

Sem filius Noë primogenitus inter eos ſaltem quorum meminit Scriptura,frater maior natu Iaphet & Cham(quem hic ſacer textus vocat patrem Heber viri nominatiſſimi,à quo populus,electus denominatur Hebræus,non quidē immediatū)quinque genuit filios,ſcilicet Ælam,& Aſſur,& Ar-

phaxad,& Lud , & Aram : ab Ælam , seu Elam vt scribunt alij,processerunt Elamitæ principes Persidis, cujus Metropolis in his primis sæculis vocabatur Elam : ab Assur denominantur Assyrij,penes quos fuit prima mundi Monarchia, ab ipsis dicta Assyriorum ; qui Assur cœpit fundare ciuitatem illam magnam , quæ postmodum à Nino præcipuo eius reparatore & magnifico ampliatore Niniue dicta est:ab Arphaxad descenderunt Chaldæi, qui coniuncti Assyriis participes eorum Monarchiæ fuerunt ; quæ proinde nunc Assyriorum, existente Curia Imperatoris in Ciuitate Niniue;nunc Chaldæorum,ipsa Curia in ciuitate Babylone translata,dicebatur: à Lud dimanarunt Ludij populi , siue Luthæi : ab Aram orti dicuntur Syri,quorum Metropolis est Damascus.Prætermissa trium filiorum Sem genealogia,videlicet Elam,Assur & Lud; prosequitur scriptura genealogiam duorum remanensium, scilicet Arphaxad & Aram : Arphaxad quidem,quia dimanauit ab eo populus electus ; Aram verò , quia processit ab eo Syrus populus popule electo conterminus : Arphaxad igitur genuit Cainam ex sancto Luca cap. 3. & ex Septuaginta interpretibus ,quamvis hic in Genesi sileatur eius generatio, & quidem mysterio nobis incognito ; sed authoritas positiua scripturæ plus probat quàm negatiua:Cainã genit Sale,à quo Sarmatæ Asiatici siue Tartari & Indi dicuntur procedere, & de quo natus est Heber caput Hebræorum: natique sunt Heber filij duo;nomẽ vni Phaleg,eo quod in diebus eius diuisa sit terra,Phaleg idem est ac diuisio, & nomen fratris eius Iectan:Qui Iectan genuit Elmodad,& Saleph,& Asarmoth,Iare,& Aduram, & Vzal, & Decla , & Ebal , & Abimaël , & Saba, & Ophir, & Heuila , & Iobab ; omnes isti filij Iectan, & facta est habitatio eorum de Messa pergentibus vsque Sephar montem orientalem : qui primi Noë posteri in familia Sem remanentes in Asia proprium nomen variis reliquerunt Asiæ regionibus quas incoluerunt , vt constat ex scriptura quæ similibus nominibus ibi nominat regiones , vt terram Saba , Ophir , & Heuilath. Aram verò genuit Vs siue Hus , à quo terra Hus patria Iob denominatur;

tur; & Hul, à quo procedunt Armeni; & Gether, à quo Arcananij siue Carij, vel vt alij volunt Caramani populi juxta Pontum;& Mes, à quo Meones populi.

Iaphet secundus Noë filius, qui latitudo interpretatur, & quem aliquo volunt esse Ianum apud Gentiles inclytum, quem fecere Bifrontem, quia mundum & ante diluuium florentem, & post vidit omninò desolatum: Septem genuit filios: videlicet Gomer, ex quo Galatæ siue Galli: Magog, ex quo Gothi & Sueui: Madai, ex quo Medi partis finitimi: Iauan, ex quo Iones & Græci: Thubal, ex quo Iberi seu Hispani, & etiam secundùm alios Itali: Mosoch, ex quo Cappadoces, apud quos nunc dicitur extare vrbs nomine Mozata: Thiras, ex quo Thirenses siue Thraces populi Græci. Scriptura sacra dimissis aliorum posteris, Gomer tantùm & Iauan filios nominat. Porro filij Gomer Ascenes; ex quo Sarmatæ & Tartari Europæi ad Mæothidas paludes, & hi vocantur à Græcis Regij vel Regini; ex quo etiã Rusci: Riphath; ex quo Riphei siue Paphlagones & Troiani in Asia minori: Thogorma; ex quo Phryges in eadem Asia minori, qui quondam Tygranæi dicebantur à Tygran, qui idem est ac Thogorma. Filij autem Iauan Eliza; ex quo Græci Elisæi seu Æolij & Eolides: Tharsis; ex quo Tharcenses siue Cilicij, quorum Metropolis est Tharsus patria D. Pauli in Asia minori: Cethim, ex quo Cithij seu Cyprij: Dodanim; ex quo Rhodij in insula eiusdem nominis. Ab his filiis, Iauan diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundùm linguam suam & familias suas in nationib⁹ suis: de quibus infra amplius dicetur.

Cham tertius Noë filius, ab ipso patre maledictus, ab aliquibus Zoroastes dictus, quatuor genuit filios, videlicet Chus, Mesraim, Phuth, & Chanaan, qui licet primogenitus Cham, ponitur tamen vltimus ob incursam simul cum patre maledictionem: à Chus descendunt Æthiopes, Æthiopia namque hactenus ab Hebræis vocatur Chus: ex Mesraim Ægypti dicuntur exorti, & Ægyptus huc vsque ab Arabibus finitimis Mesre dicitur: ex Phuth procedunt Libij Mauritaniæ populi, in qua Africæ prouincia de-

currit fluuius nomine Phuth, & circumuicina regio Phuthensis denominatur: ex Chanaan emanant Aphri & Phœnices,& Chananæorum decem gentes, à filiis ejus denominatæ,quæ inPalæstina continentur.Prædicti filij Cham multos genuisse filios dicit Scriptura,si Phuth excipias,cuius posteri silentur.Filij Chus,Saba;ex quo Sabæi seuArabes:Heuila, ex quo Heuilei siue Getuli in remotiori Africa commorantes:Sabatha;ex quo Sabatheni seu Astabari in Africa:Regma & Sabatacha; ex quibus Æthiopiæ regionis vastissimæ quædam occidentales prouinciæ denominabantur olim,quæ nunc antiqua vocabula perdiderunt: & Nemrod, qui cœpit esse potens in terra per tyrannidem vsurpatam,qua dominationem in alios per vim assumens, vsurpatis pluribus terris regnum stabiliuit,erat enim robustus venator coram Domino;ita vt ex eo prouerbium exierit, quando quis tyrannidem in alios per fas & nefas exercebat, quod vocaretur quasi Nemrod robustus venator coram Domino; Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach postea dicta Edessa,& Achad postea Nisibis, & Calamne, dicta postmodum Seleucia à Seleuco Rege in terra Sennaar;de terra illa egressus est Assur,filius scilicet Noë ex Augustino, vel populus Assyriorum ex Hieronymo,qui ædificauit Niniuen & plateas ciuitatis,& duas alias ciuitates, Resen & Chale, quæ Chale dicitur magna, & Resen media fuit inter Niniuen & Chale: fit hic speciali mentio regni Assyriorum, cum agitur de regno Babyloniæ sub Nemrod,quia hæc duo regna simul postmodum vnita constituerunt primam & longam Assyriorum seu Chaldæorum monarchiam. Regma filius Chus, & nepos Cham duos dicitur habuisse filios, nomen primi Saba, secundi verò Dadan;quorum posteritas in Africæ prouinciis ignoratur. Mesraim secundus filius Cham sex genuit filios, scilicet Ludim,& Anamim,& Laabim,Nephthuim, & Phetrusim,& Chasluim: de quibus nihil habetur, quia gentes ab illis denominatæ bello Æthiopico subuersæ vsque ad obliuionem nominum perierunt; si Laabim & Chasluim excipias, à primo namque denominatur Libies, qui priùs

Phuthæi

Phuthæi dicebantur, à secundo autem denominantur Philistiim, qui à Palæstina vsque in Ægyptum habitabant, quinque habentes exiguas prouincias à quinque ciuitatibus denominatas, quæ erant Geth, Azothus, Accaron, Ascalon, & Gaza: ab his tamen filiis Mesraim dicuntur egressi Philistiim & Caphtorim, qui in illis quinque prouinciis habitantes priuatis illorum nominibus fortè nominabantur. Tandem Chanaan vltimus ordine filius Noë, quamvis primus natiuitate, vndecim genuisse filios dicitur in scriptura, videlicet Sidonem primogenitum, Hethæum, & Iebusæum, & Amorrhæum, Gergesæum, Heuæum, & Aracæum, Sinæum, & Aradium, Samaræum, & Amathæum: & post hæc dissemi-nati sunt populi Chananæorum, ab his progenitoribus suis proprio cuiusque nomine denominati, vt legitur in scriptura. Factique sunt termini Chanaan venientibus à Sidone (denominata à Sidone primogenito Chanaan) Gerara vsque Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorram, & Adamam, & Seboim vsque Lesa.

Hi omnes enumerati sunt primitiui Noë posteri, qui breui totum terrarum orbem occuparunt, sed diuisa à sanctissimo Patriarcha Noë ipsorum hæreditate in tribus suis filiis eorum parentibus, ita quòd Sem primogenitus terra Asiæ priùs habitatas, Iaphet Europam, & Cham regiones Africæ obtinuerit. Post aliqualem huiusmodi hæreditatis distributionem dimissis aliis duobus filiis Noë cum eorum posteris, ad vlteriores posteros Sem per Arphaxad redibimus, de quibus prosequitur scriptura directè, silendo de aliis.

HÆREDITAS POSTERORVM NOE PER SEM PROGENITVM.

DIctum est per transennam, & colligitur ex aducta in Scripturis filiorum Noë habitatione, quòd sanctus Patriarcha tunc totius orbis terrarum dominus, videns nepotes suos vsque ad plures generationes multiplicari sicut arenam

arenam maris : & aliunde Diuinum haberet mandatum de replenda terra ; timens ne simul habitantes multa paterentur imcommoda propter penuriam rerum tantæ multitudini necessariarum : authoritate patris in nomine Domini mundi hereditatem in tres partes diuidit, cuilibet ex tribus suis filiis suam partem.

Nec aptior potuit diuisio fieri, quàm juxta tres contiguas mundi partes. Vnde Sem suo primogenito cultam Armeniæ prouinciam cum aliis adiacentibus prouinciis Asiæ maioris concessit, vt totam Mesopotamiam, Syriam, Chaldæam, Iberiam vulgò Gorgistan, Mediam, Parthiam, Persidem, & quicquid aliud eligeret in Asia maiori. Has omnes prouincias ad euidentiam historiæ conueniens est breuiter describere ex multis, quæ in meo Orientali Itinerario tanquam testis oculatus retuli.

Omnis ille tractus, qui inter fluuios Euphratem & Tygrim continetur, Mesopotamia dicitur, ab Hebręis verò dicitur A[illegible] siue Charam. Vnde Mesopotamia in suo principio continet partē Armeniæ, in fine partem Chaldęæ, & in medio vocatur Mesopotamia Syriæ cui adiacet. Tota regio est amœnissima præsertim in suis extremitatibus, vbi fluentiū Tygris & Euphratis irrigatur vndis, & ciuitatibus supra relatis exornatur. Fuit olim magis inclyta suis vrbibus : nam habuit Niniuem ciuitatem magnam, nunc Mossul dictam : habuit Babylonem, nunc dictam Bagdet extra Mesopotamiam ; & vtraque fuit curia primæ Chaldæorum & Assyriorum Monarchiæ: habuit Edessam sancti Regis Abagari olim sedem : habuit Carrem à morte Crassi nominatā, nunc dictam Herem: habuit Byrtham, nunc Elbir. Habet nunc etiā Orpham Abrahæ patriā, olim Vr Chaldæorum: Habet Diarbequir magnam & pulchram ciuitatem Tygri imminentem : habet etiam ciuitatem Merdin ad ripas Tygris, & Annam ad ripas Euphratis. Tota hæc regio vt plurimùm plena est, quamuis aliqui sed rari montes appareant: pluribus fluuiolis irrigata mirificè fœcundatur.

Syria florentissimum olim fuit regnum sub suis Regibus, vbi

vbi plures & inclytæ videbantur vrbes: nunc ab antiqua decidit illa gloria, & pluribus ex illa gloria, & pluribus ex illis vrbibus jam destructis apparet plurimùm deserta. Ab oriente terminatur fluuio Euphrate, ab occidente mari Mediterraneo, à septemtrione Amano monte, à meridie verò Palestina. Duodecim circiter diebus in longitudinem, & duobus in latitudinem percurritur: plures vastas & amœnas habet planities,& plures etiam & asperrimos montes,maximè iuxta mare. Multis irigata fluuiis & fluuiolis in sacra Scriptura nominatis est admodum fœcũda. Nunc etiam aliquas ciuitates pulchras habet, vt Damascum caput Regni, Aleppum olim Bœrheam, Tripolim ad radices montis Libani super mare: Anthiochiam ruinis plenam: Aman, ad Orontem fluuium, olim Apameam: Ortosiam ad mare, dictam olim Anteradum; Berithum, Gibelletum, & alias. Possent hic adiungi ciuitates aliæ Phænicis maritimæ, vt Sidon,Tyrus, & Ptolemaïda: sed quia in hoc principio posteris Cham tota hæc regio cessit, has eorum hæreditati reseruamus.

Medorum regio mari Caspio ab oriente,Assyria ab occidente, Armenia ab Aquilone,& Parthia à meridie terminatur:partim in montes assurgit,partim extenditur in planities, aliquos habet fluuiolos.Plures,& aliquas illustres habet hoc regnum ciuitates:Prima & olim curia regni est Tauris,quondam Ecbatanis:Secunda dicitur Ardeuilla trium itinere dierum à Thauris,reparati principium regni Persici, & suorum Regum sepultura.Tertia est Sultania,septem à Tauris distãs diebus versùs Parthiam,pulchra visu, & in amœna planitie sita. Quarta est Farabat versùs mare Caspium, vbi maxima serici copia colligitur. Sunt & aliæ plures vrbes Mediæ, vt Amarant antiqua versùs Armeniam, Sophian vix dimidio die à Tauris distans,& Mianam duobus fluuiolis irrigata.

Parthia inter Persidem à meridie,& Mediam ab aquilone continetur,nunc imperij Persici curiam habet:Plurimos habet montes & colles,ac in amplas diffunditur planities: Raros habet fluuiolos, multas & pulchras continet ciuitates:

Omnium

Omnium primaria & maxima,ac ſedes regia eſt Aſpahanum ad fluuiolum Sender ſitum.Secunda eſt Caſbin ciuitas valde magna, præteritis annis regni curia, ſed propter aëris inclementiam relicta: eſt in amœna & vaſtiſſima planitie, dicta fuit olim Arſacia. Vrbes aliæ ſunt, Amadan,Caſſan,Comum, Saua,&c. Singulare eſt in hoc regno,quòd raræ ſunt pluuiæ, ſed hyeme ſunt plurimæ niues,quibus fœcundata tellus vberes producit fructus.

Perſica regio nominatiſſima, à qua totum imperium nomen ſortitur, habet ab oriente Indiam, ab occidente Chaldeam, ab aquilone Parthiam, & à meridie ſinum Perſicum. Plures continet aſperrimos montes, & plures etiam valles fructiferas & planities vaſtiſſimas: Paucos autem fluuiolos. In aliquot diuiditur prouincias,ſcilicet in Sciraſenſem à ciuitate metropoli & maxima totius regni nomine Sciras,Suſianam à ciuitate Suſter olim Suſan,Curdiſtanam versùs Babylonem,& Larenſem à ciuitate Lara propè ſinum Perſicum, quæ paucis ab hinc annis erat curia regni particularis:Huic ad orientem adiacet prouincia item maritima Carmania, oppoſita promontorio Arabico Moſſandan,valde montuoſa, cuius principalis ciuitas dicitur Kermon. Olim caput totius regni fuit Perſepolis,cuius ingentes etiam nunc videntur ruinæ:Tempore verò regis Aſſueri,fuit Suſan ciuitas, nunc dicta Suſter mediocris, quaſi denominata ex Suſan antiqua & Eſter Regina vxore ipſius Aſſueri. Nunc autem caput regni Perſidis eſt Sciras nobiliſſima & viſu pulcherrima ciuitas quatuor leucarum ambitus,propter hortos plures & amplos intra contentos:eſt ad radices montium,vnde planities incipit plurimùm diffuſa; Creditur antiqua Cyropolis, huius campi fertiles ſunt optimi vini feraces. Secunda ciuitas eſt Lara vergens ad ſinum Perſicum, cuius territorium eſt ſatis ſterile præ aquarum penuria & terræ ſalſuginem: In eo paſſim inueniuntur ciſternæ ad bibendum, nec aquæ pluuiales ob dictam ſalſuginem ſunt valde dulces: ibi campos vidi per multa milliaria ſale plenos, & ſalſos fluuiolos in ripis ſale coagulato candidus. Aliæ ciuitates ſunt iam dicta Suſter,

Auëſa

Auësa, Main, Casaron, Iaron, Daureca: Et ad sinum Persicum plures portus inueniuntur, vt Commoran secùs insulam Ormusianam, Congo, Nihilou, Assilou, Verdestan, BanderRegh, Reghdilen, Rachel & alij. Totum Persidis regnum est tritici feracissimum, præsertim in campis vastissimis qua parte Arabiam fœlicem attingit, & eosdem fructus producit quos Europa: Et insuper magnam Dactilorum miri saporis copiam.

Indiæ orientales ab Indo flumine Persis finitimo denominatæ, vsque ad vltimum terræ in extremitate Chinarum pertingunt. Nunc tamen propriè sola regio illa, quæ fluuiis Indo & Gange continetur, Indiarum nomine gaudet. In Indico mari plures sunt insulæ nobiles aromatũ productione.

Scythia siue Tartaria duplex est; vna Asiatica, quæ à Ponto vsque ad oceanum Chinense procurrit, decem & septem regionibus diuisa; Cuius populi potiùs in siluis quàm in vrbibus morantur: Europea ad Tanaim fluuium sita Thraciam attingit, cuius populi plurimùm etiã barbari & inculti sunt; sed tamen armis fuerunt inclyti, nam Cyrum Persarum Regem occiderunt, Dariumque fugarunt. Nunc etiam vtrique Scythæ seu Tartari rebus in bello gestis nominantur, Asiatici quidem irruptione noua in regnum Chinarum, Europei verò in nouissimo bello Poloniæ.

Iberia orientalis seu Asiatica (distincta ab occidentali Europæa, quæ nunc dicitur Hispania) vulgo dicitur Gorgistan, & inter mare Caspium, Mediam, & Armeniam continetur, cuius principalis ciuitas dicitur Toflis, eiusque populi sunt Christiani & milites generosi. Descriptionem Chaldææ paululum differimus vsque ad ædificationem turris Babel. In descriptis prouinciis fuit præcipua hæreditas posterorum Noë in progenie Sem primogeniti eius.

HÆREDITAS POSTERORVM NOE PER IAPHET SECVNDO GENITVM.

Secundus ordine generationis filius Noë est Iaphet, cui pater in hæreditatem posterorum totam Europam cum Asia minori

minori & aliquibus Asiæ maioris prouinciis concessit: Cum enim Europa, licet optima, foret minima trium aliarũ mundi partium, ex maxima trium Asia partem substraxit, dictam minorem Asiam, Europæ conterminam, vt portioni Iaphet coniungeret. Eius igitur posteri sensim & ordinatè diffusi primo Asiam minorem, deinde superato Bosphoro totam Græciam, & vlterius procedentes Sarmatiam seu Tartariam Europæ cum subsequentibus prouinciis septemtrionalibus Hungariam, Moscouiam, totam Germaniam, Galliam, Italiam, Hispaniam cum adiunctis prouinciis & insulis Europæ incoluerunt.

Quia regiones Europæ sunt nobis notiores, ideò leuiter illas percurram, ne tædium lectori generem qui tantùm nouis rebus delectatur; expedita priùs Asia minori, quam nepotes Iaphet ex Gomer & Iauan elegerunt: Hæc regio vastissima plures continet prouincias, scilicet Phrygiam, Paphlagoniam, Bithyniam, Cappadociam, Galatiam, Pamphiliam, Cariam, minorem Armeniam, Ciliciam, Liciam, &c. quas nepotes Iaphet inhabitarunt; Paphlagoniam quidem circa Trondem, Riphath filius Gomer; & Phrygiam, Thogorma; Ciliciam, Tharsis filius Iauan; Cappadociam, Mosoch. Similiter inhabitarunt insulas maris Asiæ minori adiacentes, Cethim videlicet filius eiusdem Iauan Cyprum, Dodanim alter filius Iauan Rhodum; quorum posteri Cretam, & alias Archipelagi insulas habitarunt. Hæc regio nunc subiecta dominio Turcæ diuiditur in Caramaniam mari mediterraneo & Natoliam Ponto Euxino iunctam.

Græcia generaliter dicta plurimùm est diffusa, multasque prouincias, imò & plura continet regna, vt Achaiam, Peloponesum, Epirum, Macedoniam & Thraciam: in quibus olim florentissimæ fuerunt ciuitates, & hactenus multæ perseuerant, vt Constantinopolis, Adrianopolis, Athenæ, Corinthus &c. quas diuersi incoluerunt populi, tum scientiis, tum bello clarissimi, vt Attici, Iones, Eolij, Dores, Thraces, &c. Iauan filius Iaphet fundauit Græcos Iones: Thiras fũdauit Thraces. Filius autẽ Iauan nomine Elisa fundauit Eolydes seu Æolios

Gom-

Gomer primogenitus Iaphet(relictis in Asia minori duobus filiis; videlicet Riphat, qui fundauit Paphlagones & Throianos, olim Riphæos populos; Et Thogorma, qui Phryges fundauit: Ac dimisso Ascenes alio filio ad fundandos Sarmates & Tartaros Europæos) penetrauit in Galliam, regnum inclytum & nobilissimum, siue fertilitatem terræ, siue multitudinem prouinciarum, & vrbium, siue illarum pulchritudinem, siue innumerum ferè populum, siue regionum amœnitatem, siue potentiam Regum, siue morum vrbanitatem, siue scientiarum splendorem, siue animi magnanimitatem, inspicias, & quicquid aliud potest regnum aliquod nobilitare. Hoc inclytum regnum habet amplitudinis suæ terminos, montes Alpes cum Italia ab oriente, montes. Pyrenæos cum Hispania ab occidente, mare Mediterraneum à meridie, & Oceanum ac Rhenum fluuium à septemtrione. Plurimos habet & maximos fluuios intra hos limites; nam præter Rhenum habet Rhodanum eius fratrem, qui ex eodem Heluetiorum monte nascens, pluresque prouincias decurrens per centum fermè leucas mare Mediterraneum in Galloprouincia influit; Habet Garumnam, qui de montibus Pyreneis procedens, post centum circiter leucarum cursum in Aquitania ingreditur oceanum; habet Ligerim, qui in Galliæ medio natus post ducentas cursus leucas in oceanum Britannicum decurrit; habet Sequanam, qui natus in Burgundia, & intimas regni prouincias lustrans & Parisios irrigans Britannicum etiam oceanum ingreditur; habet Mosam, qui procedens ex Lotharingia ad Belgicas decurrit prouincias, & Germanicum intrat Oceanum. Quilibet ex his maximis fluuiis in suo cursu minores alios colligit nauigabiles, solus Rhodanus septem tales colligit, præter alios plures fluuiolos. Denique in hoc nobili regno tot sunt flumina maiora & minora, quod vix alia mundi regio potest assignari tam fœliciter aquis irrigata; vnde maxima procedit eius fertilitas. Digna fuit tam nobilis regio, quæ cederet in hæreditatem Gomer primogeniti Iaphet.

Magog filius secundus Iaphet in vastas Germaniæ prouincias

uincias penetrans, vsque ad Gothiam, Daniam & Sueniam
peruenit,& Gothos à se denominauit, qui postea se ad Nor-
uegiam & terras ac insulas sub polo arctico sitas dilatarunt,
& ex dictis insulis ad Americam traiecerunt,sicut & anima-
lia:Quæ quarta mundi pars diu latuit, donec his vltimis sæ-
culis industria Christophori Columbi & aliorum Nautarum
inuenta fuit magno totius orbis stupore. Germania Roma-
ni imperij sede gaudet,in plures & nobiles prouincias,distin-
ctis, subiectas principibus diuiditur, partim Ecclesiasticis
partim secularibus: Principales Ecclesiastici sunt Electores
Imperij, videlicet tres Archiepiscopi, Moguntinus, Colo-
niensis,& Treuicensis:Sæculares sunt Rex Bohemiæ Archi-
dux Austriæ, Dux Saxoniæ,Dux Bauariæ,Comes Palatinus
Marchio Brandeburgensis. Plures alij sunt etiam potentes
sicut & ciuitates liberæ:quæ singula demitere vel etiam ta-
tum indicando longum & odiosum foret. Gothia semp
fuit nominata suorum generositate populorum,qui aliàs I-
liam,Hispaniam, & partem Galliæ occuparunt, & Romam
captam diripuerunt.

Madai tertium Iaphet filium inuenimus regnum Medi
incoluisse, ac Medos denominasse:sed quo iure, vel qua o-
casione inter filios habuerit hæreditatem,ignoratur:nisi fo-
tè dicatur,familias Sem & Iaphet partim mixtas remansi
propter parentum vnionem & æqualem benedictionem ip
à Noë patre datam.

Thubal quintus Iaphet filius(Iauan enim quartus in Græ-
cia mansit) Iberiam Europæ seu Hispaniam peruenit,
etiam secundùm alios Italiam petiit : & multiplicatis su-
posteris has duas regiones nobilissimas coluit. Hispania vn-
dique mari vel Mediterraneo, vel occidentali Oceano ci-
gitur nisi qua parte mediis montibus Pyrenæis Galliam a-
tingit. In multas diuiditur prouincias, ex quibus tria com-
ponuntur regna,videlicet Castellæ,Aragoniæ, & Lusitaniæ
quæ postea suos limites vsque ad Americam diffuderunt.Plu-
res habet & nobiles ciuitates : plura quoque flumina,vt Ibe-
rum, Tagum, Bœtim, Quadianam,Duriam & alia minora
Itali

minora. Italia regio nobilissima satis longa, parùm lata, pulchris ciuitatibus exornata, ad pluribus subiecta principibus, mari cingitur vndequaque, nisi ab occidente, vbi per Alpes tam à Gallia quàm à Germania diuiditur. Plura continet flumina, sed præcipuum & patrem cæterorum habet Padum, olim Eridanum: sequuntur postea Tyberis, Athesis, Ticinus, Abdua, Doria, Liris, & plura alia minora, tum ex Alpibus tum ex Apenninis orta: Hæc regio est fertilissima, & præ cæteris totius orbis gloriari potest quòd sedem Pontificiam Vicarij Christi possidet Episcopatui Romano annexam.

Ascenes filius Gomer primogeniti Iaphet ad Poloniam penetrauit, quam Sarmatæ incoluerunt, & ad finitimas prouincias, quas nunc incolunt Europæi Tartari. Huius posteri ampliùs diffusi Moscouiam & regiones alias adiacentes acquisierunt. Polonia cum aliis adiunctis prouinciis, vt Lithuania & Ruscia, vastissimum constituit regnum, magnis vrbibus plenum. Plures habet fluuios, sed præcipuum Vistulam, qui totum penè regnum decurrit, nam Cracouia antiqua regni curia tendit Varsouiam Regis sedem, & ad vrbem Gedanum in mare Balthicum influit. Moscouia sub nomine Ducatus longè latéque diffunditur, ex Lithuania quippe regni Poloni prouincia vsque ad mare Caspium regni Persici conterminum pertingit. Inter alia flumina Volgam habet præcipuum, qui totam regionem illam decurrens mare Caspium ingreditur.

Filij Iauan, qui Græciam incoluit, insulas maris Mediterranei adnauigarunt: Cethim adnauigauit Cyprum, Dodanim Rhodum; quorum posteri ad alias adiacentes insulas peruenerunt. Quantùm verò ad alias remotiores insulas tam orientis quàm occidentis dicendum est, quòd populi terrarum adiacentium iuxta prædictam diuisionem, seu ex posteris Sem, seu ex posteris Iaphet, seu ex posteris Cham, ad illas traiecerunt: Ita vt filij Sem insulas oceani Indici penè innumeras incoluerint; filij verò Iaphet insulas maris Mediterranei, & alias Europæ in oceano septemtrionali ad polum arc-

ticum declinantes, ex quibus ad Americam traiecerunt; De-nique filij Cham omnes insulas tam ab oriente quàm ab oc-cidente Africæ adiacentes in Zona torrida constitutas.

Si ergo posteri Sem Asiam maiorem versùs orientem & meridiem longè latèque possederunt. Filij Iaphet secundi geniti totam Europam cum Asia minori & aliquot maiori Asiæ prouinciis in hæreditatem obtinuerunt. Vnde, vt ai D.Thomas in cap.10.Genesis,à Tauro monte ad Aquilonem mediam partem Asiæ, & omnem Europam vsque ad ocea-num Britannicum possident, quarum gentium vocabu partim sunt immutata,partim manent.

HÆREDITAS POSTERORVM NOË PER CHAM NATV MINIMVM.

TErtius Noë filius ordine generationis filiis & post hæreditatem versùs meridiem obtinuit, totam scil. Africam, & partem Asiæ meridionalem, in qua contine triplex Arabia,deserta scilicet,fœlix & petræa. Vtrum aut hæreditario iure Phœniciam & Palæstinam obtinuerit, eius posteri contra ius vsurpauerint,dubium est; cum vide-mus vtramque prouinciam à posteris Cham priùs possessa sed postea Dei mandato illis extinctis aut expulsis acqui ab Hebræis posteris Sem.

Primogenitus Cham fuit Chanaan,simul cum patre à s-ctissimo Noë auo maledictus. Eius posteri Phœniciam Palæstiam possederunt,& ipse primus has regiones deno-nauit, communi namque nomine terra Chanaan diceba-tur, quæ Sydone vsque Gazam in littore maris Mediter-næi, & vsque ad Iordanem fluuium interiùs diffusa per-gebat ad Mare mortuum, vbi tunc erat habitatio Sodomi-tum & Gomorræorum. Primogenitus Chanaan fuit Sid à quo denominata vrbs & terra Sydoniorum: alij filij fu-runt Hethæus,Iebusæus, Amorrhæus, Gergesæus, Heuæus, Aracæus,Sinæus,Aradius,Samaræus,& Amathæus;à quibus diuersæ portiones Palæstinæ fuerunt denominatæ & cul

qu

quæ coniunctim sub nomine Palæstinæ breuiter hic describuntur.

Hæc mundi prouincia pluribus successiuè nominibus fuit insignita. Primò namque Terra Chanaan dicta fuit, à progenitore primorum incolarum eius: Deinde dicta fuit Terra Promissionis, quia fuit à Deo promissa Abrahæ: item dicta fuit Palæstina,& etiam Iudæa: nunc denique Terra sancta, & merito nominatur; Tum quia fuit patria Christi Domini,Deiparæ Virginis Mariæ, & omnium ferè Patriarcharum ac Prophetarum tam veteris quàm noui testamenti;tum quia fuit locus, in quo salus humani generis reparata fuit,& vbi tanquam in sanctuario nostræ redemptionis monumenta conseruantur.Palæstina suos habet limites,ab oriente Iordanem fluuium, ab occidente mare Mediterraneuum, à Septemtrione regnum Syriæ, & ab austro desertum Pharan & Ægyptum: eius longitudo à ciuitate Dan ad radices montis Libani sita vsque Bersabee ciuitatem australē Tribus Simeonis,continet 67.leucas;latitudo autem à Iordane vsq; ad mare Mediterraneum continet sexdecim vel octodecim. Iuxta traditionem valde receptam fuit prima terræ portio habitata; siquidem Adam primus parens in campo Damasceno propè Ebron conditus esse dicitur cum Eua, & exclusus à paradiso terrestri ad hunc originis suæ locum rediisse, ibique mortuus,& in monte Caluario sepultus, vbi postea Christus Dominus crucifixus est.In tres præcipuas partes hæc prouincia diuiditur; videlicet in Iudæam, quæ partem australem occupat;in Galilæam,quæ septemtrionalem continet partem; & in Samariam inter alias mediam:in quarum singulis multæ & inclytæ fuerunt ciuitates, de quibus suo loco dicetur. Montes habet plurimos, & in sacris litteris celeberrimos; montem Oliueti propè Ierusalem, montes Ephraim, montem Gelboë,montem Hermon, montem Thabor, montem Betuliæ,nostrum montem Carmelum; & intra muros Ierusalem sanctiores alios habet montes, licet minores, scilicet montem Moria, montem Sion, & montem Caluariæ. Non

alium habet Paleſtina fluuium, præter Iordanem, qui eam a
Arabia diuidit, totamque à ſeptemtrione versùs auſtrum
percurrens aquis ſuis exhilarando fœcundat: plures au-
tem habet fluuiolós ſiue torrentes; ſcilicet Arnon, qui eo-
dem penè curſu ac Iordanis directus in continenti Arabum
decurrit; Ciſſon, qui medium ſecans campum magnum
Eſdrelon, partim in mare Mediterraneum, partim in mar
Galileæ influit; Carith, ad quem directus à Deo noſter Eli
tempore ſiccitatis aliquandiu latuit; Cedron qui in valle Io-
ſaphat inter montem Oliueti & montem Sion decurrit; To-
rentem Ægypti, qui Palæſtinam ab Ægypto diuidit; To-
rentem Beſor, Sorec & alios minùs nominatos. Hæc pro-
uincia fœcundiſſima, ſi quæ alia in mundo, fructus eoſde
profert, quos noſtra Europa: ſed iuxta mare mortuum a
perpetuum Diuinæ vindictæ memoriam, quæ in neſa
pœnam ſceleris quatuor ciuitates igne conſumpſit, po
naſcuntur extrinſecus pulchra viſu, noſtriſque ſimillima, i
trinſecus autem ſolam putredinem continentia, diſſolu
tur in cineres: ſed de his dicetur inferiùs.

Alius Cham filius dicitur Chus, à quo deſcendunt Æthi
pes, & Æthiopia hactenus ab Hebræis ab illo denomina
Chus: ad hanc vel ipſe, vel eius poſteri perrexerunt: Eſt
gio vaſtiſſima, ſed plurimum deſerta, ſub Æquatore conſt
ta: Vnde calidiſſima populos habet nigerrimos, quam
aliunde benè formato: illam à meridie versùs ſeptemtri
nem Nilus fluuius longiſſimis percurrit ſpatiis vſque ad
gyptum; & ad orientem Ægypti mare rubrum pertingit.

Alius Cham filius dicitur Meſraim, à quo proced
Ægyptij, quaſi ipſe Ægyptum incoluerit, quæ eſt regio p
na, creſcentis Nili aquis fœcunda. Maximus hic fluuius
montibus Lunæ procedens, & in fine curſus Ægyptum
greſſus & in plures interſecans partes, ſeptem oſtiis in ma
Mediterraneum influit.

Phuth alius filius Cham vlteriùs in Africã procedens L
biam Mauritaniæ prouinciam ingreditur, quæ ad occide
Ægypti ſita eſt, & fluuium illius regionis à ſe Phuth, & c

cumuicin

cumuicinam illi terram Phuthensem denominauit.

Chus filius Cham plures habuit filios supra nominatos, qui per Africam diuisi diuersas incoluerunt prouincias, plures populos fundauerunt. Nemrod tamen Chaldæam vsurpauit, ibique tyrannicè vixit, vt dicetur infra; & prædicta regio describetur: Saba verò perrexit in Arabiam, à quo eius populi Sabæi denominati sunt. Arabia diuiditur in tres partes, scilicet in desertam, fœlicem & petream: Petrea à ciuitate Petra sic denominata vergit ad austrum, Deserta magis est occidentalis, Fœlix autem est orientalis: Petream vidi, sed non lustraui; vnde nihil amplius dicendum occurrit; benè tamen de Fœlici & Deserta. Arabia deserta à finibus Syriæ versùs orientem longè latèque procurrens ad Fœlicem & ad Chaldæam peruenit: immensas vt plurimùm habet planities; vnde quocumque versùs respexeris, oculorum acies non terminatur: idemtidem tamen montes aliqui & colles plurimi videntur: & aliquæ vrbes ac oppida ad Euphratem fluuium, qui hanc ab oriente terminat. In hoc Arabiæ deserto mirabilis & singularis est ciuitas, curia Regis Arabum, non domibus lapideis, sed mobilibus constructa tentoriis: Arabes in hoc suos progenitores primos, de quibus hic loquimur, imitantur: Quotiescumque hæc ciuitas Camelorum ministerio in diuersa loca trásfertur, semper domus singulæ suum retinent situm in quatuor principalibus vicis, quorum primus ad orientem, secundus ad occidentem, tertius ad septemtrionem, & quartus ad meridiem vergit; Palatium autem regium aulæis in varia cubicula diuisum in medio ciuitatis construitur. Reperiuntur in variis Arabiæ desertæ locis plurimis colles arænæ vento collectæ, qui ventorum impetu modò huc, modò illuc transportantur, quique sæpiùs obruunt prætereuntes. Hic aquæ sunt sæpe insalubres, raræ namque dulcis aquæ scaturigines, plurimæ verò aquæ bituminosæ ac sulphureæ, gustui plurimùm ingratæ.

Arabia fœlix aliarum comparatione fertilis & amoëna videtur: Et præter alios fructus Europæ communes, dactilos in summa quantitate colligit, sicut & manna & thus odori-

ferum. Immensas etiam planities decurrit inter sinum Pe
sicum & sinum Arabicum siue mare Rubeum : sed vbi
medium circiter sinus Persici peruenit versùs oceanum In
cum, in plurimos & asperrimos assurgit montes. Tygrim
Euphratem simul iunctos recipit,quorum aquis irrigata f
cundatur, ac simul in extremis suis ardoribus recreatur,
hac Arabia Fœlici secùs decursum horum,fluminum,pra
alios incolas tam Christianos quàm Mahometanos,inue
tur plures dicti ab Arabibus Sobbi,fortè ab antiquo no
quasi Sabæi, à Saba filio Chus, quem diximus Arabiam
coluisse. Hæc pauca de his prouinciis dixisse suffi
quantum opus erat ad huius historiæ generali euidenti
Sed antequam ex Africana posterorum Cham hære
recedamus,sciendum est in illa sæpe plura nasci mon
quàm in aliis mundi regionibus. Dicit enim S. Augu
in libro de ciuitate Dei, quòd Deus ipse cum sciret q
partium similitudine vel diuersitate contexeret pulch
nem vniuersi, etiam multos monstruosos homines in
dum producere voluit. Dicuntur in Aphrica esse An
næ,qui vtriusque naturæ vicibus inter se coëunt, q
dextera mamma est virilis, sinistra verò muliebris.
Libiam dicuntur esse Athlantes, qui sole tam oriente
occidente excecantur velut ipsis pestifero, vnde diris
bus solis ortus excipiunt,dirisque occasum prosequunt
ab humano ritu prorsus exulant.Plura dicunt authores
milibus monstris, tam in Africa quàm in aliis mundi
bus;sed vtrum sint vera, plurimum dubitatur : certum
dem est monstra diuersi generis vbique nasci, & plura
riori Aphrica; sed quod sint nationes omninò monstru
quales describuntur ab antiquis,non credo;quia in cit
illis regionibus similia non vidi monstra; vnde creden
est, quòd ex casibus particularibus communem doctr
tradiderunt.

DISPER

DISPERSIO POSTERORVM NOE IN VNIVERSAM TERRAM.

FActa terrarum orbis diuisione inter filios Noë, ab ipso eorum parente sanctissimo, Dei mandato: non statim singuli ad suas hæreditates possidendas recesserunt. Fortè ipsimet filij Noë suum parentem dilectum relinquere noluerunt, nepotes verò ægrè terras cognitas & cultas in incognitas & incultas permutabant, & discedere à patria durissimum videbatur exilium. Vel etiam, quia fortè speculatores ad circumuicinas miserant regiones, vt priùs auditis eorum relationibus de transmigrationis commoditate ac regionum bonitate, postea suas transferrent familias.

Dum dispersio posterorum Noë alterutra ex causa differtur; simulque familiariter conuersarentur vt consanguinei, viuentibus adhuc filiis Noë suis parentibus, & superstite ipso Noë cunctorum auo communi; Cum terra esset labij vnius & sermonum eorundem, nec possent simul cohabitare propter multitudinem, cœperunt turmatim ad vicinas prouincias ex triplici filiorum Noë familia proficisci ad austrum; vel vt magis temperatum inuenirent aërem quàm sit in Armenia, vbi tunc simul morabantur; vel vt magis accederent ad medium terræ habitabilis, vt exinde possent melius circumquaque diffundi; vel vt patriam primi mortalium omnium parentis Adam in Palæstina viderent, vbi cum Eua fuit conditus, vbi post expulsionem à paradiso terrestri toto tempore vitæ mansit, vbi mortuus & sepultus fuit, quæ cuncta patris sui traditione didicerant.

In hac profectione primò Mediam proximiorem & Mesopotamiam ingrediuntur; ex Media verò satis montuosa, nec ita fluuiis irrigata, ad Parthiam & Persidem penetrant; inde ad occidentem declinantes, superatis montibus Persidis, immensã Chaldææ planitiem ab oriente ingrediuntur, quã fluuiorum Tygris & Euphratis aliorumque decursu, sicut & maxima fertilitate, maiorique aëris temperie delitiosam inuenerunt;

uenerunt: Cumque Tygrim ſuperaſſent, ingreſſi Meſopotamiam Chaldææ, inuenerunt campum in terra Sennaar, vti que amœniſſimum, & habitauerunt in eo. Accedentes ali ex Meſopotamia Syriæ, ſimul cum his ſua fixere tentoria.

Ad euidentiam eorum quæ hic pertractantur, neceſſarium eſt prouinciam Chaldææ & campum Sennaar deſcribere. Chaldæa, vt vidi, nullis penè exaltatur montibus, ſed in immenſam decurrit planitiem: Nobiliſſimis ac iucundiſſimis fluminibus Tygri & Euphrate fœcundatur, pluribuſque aliis irrigatur fluuiolis, variis arboribus & præcipuè palmis decoratur. Protenditur hæc regio versùs ſeptemtrionem à fluuio Tygri vſque ad aſperrimos montes Perſidis itinere quinque dierum, & à Tygri ad Euphratem versùs meridiem eſt iter ſaltem vnius diei. Nec deſunt alij minores fluuij, qui regionem hanc lætificent. In hac cœpit prima mundi monarchia ſub alternato Caldæorum & Aſſyriorum nomine, cuius curia nunc Babylone hic in Chaldæa, nunc Niniue in Meſopotamia fuit. Babylon illa magna & antiqua iam omninò destructa, ſuiſque ſepulta ruinis iacet itinere vnius diei inter Babylonem nouam, quæ inter Tygrim & Euphratem media, ſpatium illud ingens inter dicta flumina dicuntur occupaſſe, paſſim namque ibidem maximæ videntur ruinæ. In extremo Chaldææ, qua parte Perſidem attingit, videntur etiam ingentes Elimaida ciuitatis ab Alexandro Magno fabricatæ ad fluuiolum ruinæ, cuius aquæ propter nimiam grauitatem ſunt valdæ nociuæ; ibi ſolæ ruinæ, quidam aquæductus, nihil aliud diſtinctum conſpicitur.

Campus ille nominatus in terra Sennaar eſt vaſtiſſima planities, quæ à parte ſeptemtrionali eminentior versùs meridiem depreſſior extenditur quantum acies oculorum penetrare poteſt. Dum ex eminentiori parte versùs nouam Babylonem ad ſex leucas diſſitam properatur, occurrit à ſiniſtris fluuius Tygris iam valde magnus poſt ſuperatam Niniuem, qui rapidis & candidiſſimis vndis recreat intuentes, & vſque Babylonem comitatur; ita vt nihil niſi amœnum in hac planitie appareat, iam palmis cæteriſque arboribus vndique viridantibus

gidantibus consita.

Non mirum, quòd posteri Noë transactis aliis prouinciis hanc planitiem tam amœnam, hunc campum in terra Sennaar tam delitiosum suæ stationi elegerint. Cumque velut inuiti deberent ab illo recedere, vt in vniuersas terras diuiderentur, voluerunt illum insigni quodam opere nobilitare, & in illo perpetuam sui memoriam relinquere. Vnde, vt ait sacer Textus, *Dixit alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni; habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento: & dixerunt; Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras.* Statim verò ciuitatem & turrim intentam opere cœperunt perficere. Generale motiuum celebrandi suum nomen cunctis fuit propositum, vt sic mira concordia cuncti tam magno concurrerent operi: Verùm authores illius alia fortè sub pectore conseruabant motiua; Primum quidem præsumitur esse cupiditas regnandi, & tyrannicam potentiam exercendi super vniuersam terram in vrbe illa, quam & inexpugnabiliter & insuperabiliter fundare intendebant, vsi eorumdem opera quos subiugare volebant; Secundum autem, vt turris hæc altissima, cuius culmen pertingeret ad cœlum, seu nubes aëris altitudine sua superaret, certissimum foret receptaculum, & securum præberet azilum, si fortè diluuium aliud vniuersale terram inundaret. Propterea locum idoneum ædificandæ turri designarunt.

Lateres assumunt pro saxis, & bitumen pro cæmento: quia in illo Babylonis campo, nec montes, nec alia sunt loca, vnde possint lapides excindi, solum ibi coquuntur lateres domibus ædificandis. Non longè ad septemtrionem ab hoc campo distāt fontes bituminis, quos prætereundo vidi, planitiem enim inueni decurrentis riuulo bituminis plenam, dictumque mihi fuit ex altera fluminis Euphratis ripa magnum oriri riuum, aut potius fluuiolum bituminis, quod facile vsque ad locum turris ædificandæ poterat deferri.

Eligitur ergo in dicto campo Sennaar locus idoneus, in

principio scilicet eius ex parte septemtrionali, & erat eminentia quædam amœna, inter Euphratem & Tygrim sita, æquali penè ab vtroque distantia, quæ subiectam illius campi Babylonici planitiem longè latèque diffusam respicit. Ibi superbi & vani homines illi fundamenta turris maximæ fodiunt, æmulatione mirabili construunt ingentes muros, tum crassitie tum circuitu; dicitur enim quòd in circuitu vnum habet milliare, vel iuxta Christianos naturales trecentas nonaginta duas vlnas. Ipsa die qua Babylonem perueni, summo mane turris hæc apparuit, quam mihi comites itineris Armeni regionum illarum peritissimi & incolæ non valde dissitam ostenderunt; ad quam tamen ire non licuit; tum propter Arabes continuò cursitantes, & latrocinia excercentes; tum metu ferarum & immanium serpentum, qui in illis ruinis latere dicuntur. Illam tamen eminus & diu aspiciendo consideraui, ab vno circiter milliari, & apparebat tam in altitudine quàm in circuitu ad instar mœniorum mediocris ciuitatis.

Non consensit sanctus Noë adhuc superstes, nec sancti eius filij Sem & Iaphet hæc inspicientes, posterorum suorum superbiæ & vanitati: sed inualuerat contra suos parentes iuniorum sententia; qui vel coacti, vel decepti, vel etiam sponte, totis viribus huic immenso operi vacabant; nec à sua stultitia destitissent, nisi Deus linguas operariorium confundendo, statim ab opere cœpto coëgisset desistere. Ad quam altitudinem hanc turrim perduxerint, ignoratur; cœlum tamen est authorem relatione multò fuisse altiorem quàm nūc appareat, & adiacentes maximæ ruinæ hoc demonstrant. Quantùm ad ciuitatem tunc etiam inchoatam crediderim esse Babylonem inde dissitam, quam commoditatis causa ad ripam fluminis ædificarunt in ima planitie, quæ postmodum creuit in immensum, & vtrumque flumen suis ædificiis attingebat, ab oriente Tygrim, & Euphratem ab occidente: nisi dicatur, quod finita turri adiacentem voluerunt ædificare ciuitatem, cuius ipsa turris esset vt castrum aut capitolium. Præcipuus huius operis author & promotor fuit Nemrod, qui

qui tyrannicam in terra iam poteſtatem vſurpauerat,& impiè deſpecta Dei religione, & contempla ſuorum parentum reuerentia viuebat, cunctis imperando, & audacter de omnibus diſponendo.

Dum feruentiùs miſeri mortales huic operi vocarent, *Deſcendit Dominus, ait ſacer textus humano modo loquens de Deo, vt videret ciuitatem & turrim quam ædificabant filij Adam* (velut imitatores eius in ſuperbia, ille namque ſcientiam & ſublimitatem Dei voluit habere, iſti verò ſua turri ad cœlum attingere præſumpſerunt:) *Et dicit; Ecce vnus eſt populus, & vnum labium omnibus; cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant: venite igitur deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat* (*ſiue percipiat & intelligat*) *vnuſquiſque vocem proximi ſui.* Atque ita diuiſit eos Dominus ex illo loco in vniuerſas terras, & ceſſauerunt ædificare ciuitatem: & idcircò vocatum eſt nomen eius *Babel* (id eſt confuſio) quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ; & inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum.

Viſa hac mirabili linguarum multiplicatione, timentes aliquid peius huiuſmodi turris ædificatores, ceſſarunt ab opere: nec difficile fuit illis ex hoc portento concipere, quòd Deus voluerat iniquam eorum ſocietatem diſſoluere, vt ſic vnuſquiſque ad conceſſam ſibi Diuinitùs regionem tenderet. Vnde in hoc communi confuſione quilibet ad ſuos accedebat, quorum linguam percipiebat, & ſermones intelligebat, & ab aliis omnibus recedebat, quos variis linguis ſibique peregrinis loquentes audiebat: Et ſic breui tempore diuerſæ familiarum turmæ in diuerſas mundi regiones properarunt: Ex poſteris Sem ad orientem, ex poſteris Iaphet ad ſeptemtrionem, & ex poſteris Cham ad auſtrum & occidentem: Remanente Nemrod cum ſuis in terra Sennaar, vbi primam mundi Monarchiam, ſcilicet Chaldæorum & Aſſyriorum fundauit.

PRIMA CHALDÆORVM & ASSYRIORVM MONARCHIA.

QVatuor ſunt temporales mundi Monarchiæ à Daniele Propheta cap. 7. deſcriptæ, quinta verò ſpiritualis eſt Chriſti Domini. Prima illarum quatuor fuit Chaldæorum & Aſſyriorum, ſecunda fuit Perſarum & Medorum, tertia fuit Græcorum, quarta denique Romanorum. Vocantur autem Monarchiæ, non communi nomine, ſic enim quilibet ſingularis principatus, aut regnum quodlibet vni Regi ſubditum eſt Monarchia; ſed ſpeciali nomine, quia earum imperium ad maiorem orbis partem dilatatum florebat. In principio huius Monarchiæ ſicut & aliarum, imò & regnorum, nomina & geſta ſingulorum principum adducentur, vt ſic facilius cuncta ad ipſos attinentia poſſint reperiri; breuiter tamen iuxta leges compendij. Quamuis poſtea in decurſu temporum indicabitur quid ſub quolibet acciderit.

Prima igitur mundi Monarchia fuit Chaldæorum & Aſſyriorum, ab his prouinciis velut à principalioribus denominata, apud quas ſedes Imperij alternatim modò Babylone, modò Niniue manſit. Huic dedit principium Nemrod ædificata turri Babel & Babylone ciuitate in terra Sennaar prouinciæ Chaldæorum, de quo dicitur Geneſis 10. quòd cœpit eſſe potens in terra, per vſurpatam videlicet tyrannidem; & erat robuſtus venator coram Domino, dicitur enim fuiſſe gyganteæ ſtaturæ ſupra cæteros, vnde præſumens de ſuis viribus, & miris vſus artificiis cœpit alios ſubiugare. Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar: ædificatis his vrbibus ſuam fundauit monarchiam tyrannicam, quæ ſub filio iam dilatata, ſub aliis eius ſucceſſoribus ita creuit, vt totum orientem occuparet. Nemrod fuit filius Chus, nepos Cham, & pronepos Noë: Apud prophanos Authores vocatur Belus, honorario ſcilicet nomine Domini; quamvis non deſint, qui Belum aſſerant eſſe filium Nemrod. Quo mundi anno cœperit

cœperit hæc monarchia, ignoratur: ſcitur tantùm certò ex ſacra Scriptura, quòd in diebus Phaleg diuiſa ſit terra, qui natus eſt anno mundi milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, & poſt diluuium centeſimo primo: ſed quo eius anno præcisè contigerit diſperſio poſterorum Noë in vniuerſam terram, & quo anno poſtea cœperit hæc monarchia, non certò ſcitur: Aliqui coniiciunt cœpiſſe anno mundi 1907. Alij autem anno 1997. Propter hanc Chronologiæ differentiam apud authores ſatis confuſa ſunt imperia primorum principum huius monarchiæ, & in computis annorum quibus regnaſſe dicuntur, potuerunt errores irrepſiſſe.

Nemrod ſiue Belo Ninus ſucceſſit filius, qui ſic inchoatam ſtabiliuit monarchiam, ipſamque dilatando reddidit illuſtrem, quòd quaſi fundator ipſius habeatur. Hic impia pietate in ſuum patrem Belum motus, eius ſimulachrũ pro Deo coli iuſſit. Non ſolùm autem fuit impius in Deum, ob inductam idololatriam; ſed etiam fuit iniurioſus in homines, dum tyrannicum patris imperium retinuit, & noua iniuſtitia plures prouincias vſurpauit in ſingulis poſterorum Noë ditionibus. Cum enim non ſolùm in ſtirpe Cham, ſed etiam in vtraque ſtirpe Sem & Iaphet ad exemplum Nemrod, aliqui principatus vſurpaſſent ædificatis ciuitatibus, fortè vt nouo monarchiæ reſiſterent; ipſe Ninus illos armis aggreditur, ſibique ſubiicit debellatos: Vnde de eo dicit Iuſtinus; Primus omnium Ninus Rex Aſſyriorum veterem & quaſi auitum gentium morem noua imperij cupiditate mutauit: Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, ad terminos vſque Libiæ perdomuit. Ingreditur primò Aſſyriam Chaldææ finitimam, regionem optimam, & iam ab Aſſur filio Sem denominatam, & ex eius acquiſitione tanquam glorioſo nomine vocatur impoſterum Aſſur: de ipſo ſic nominato dicitur Geneſis 10. De terra illa (videlicet Sennaar in Chaldæa) egreſſus eſt Aſſur, & ædificauit Niniuen, & plateas ciuitatis, & Chale; Reſen quoque inter Niniuen & Chale: Hæc eſt ciuitas magna. In Niniuen

à se denominatam & ad ripam Tygris fluuij magnificentissimè constructam sex circiter dierum itinere supra Babylonem, relicta Babylone, curiam Imperij transtulit, vel sui nominis exaltandi cupiditate, vel occasione imperi vlteriùs & facilius dilatandi: inde namque Armenos, Medos, Persas, Parthos, Hircanos, Bactrios cum Zoroastre eorum Rege magiæ primo inuentore, Syros, aliasque regiones Asiæ ipsamque Ægyptum suo dicitur subiugasse imperio; non desunt tamen, qui dicant plures Semiramidis vxoris ac successorem eius victorias ipsi falsò attribui. Traditur quinquaginta duos imperasse annos, & quadragesimo secundo natum esse in Vr Chaldæorum Abraham Patriarcham, ad quem redibimus libro sequenti. Vnde sequentes Monarchiæ ad alias mundi ætates pertinent.

Semiramis vxor Nini propter minorem filij ætatem imperium administrat, simulque cum eo quadraginta duobus annis imperat: hæc Babylonem ampliauit, eiusque muros tanta mole & arte construxit, vt inter mundi miracula numerentur, suæque ditioni plures subiecit nationes, vt magnam Libiæ ac Æthiopiæ partem. Sed cum ad Indiam orientalem subiugandam maximum duxisset exercitum, & rem fœliciter inchoasset, tandem victa, & cæso partim exercitu fluuium Indum remeat, & insequentem Indorum Regem Stabrobatem fugit. Et tandem libidini seruiens, ac in fœdissima incestus cum proprio filio voluntate deprehensa, ab ipso dicitur interfecta.

Ninus II. siue Ninyas cognomento Zames, Nini & Semiramidis filius, trucidata matre, solus triginta octo annis regnat, cuius anno trigesimo tertio Abraham ætatis suæ septuagesimo quintò vocanti Deo obediens, ab Vr Chaldæorum patria parentibusque relictis in terra Chanaan transmigrauit. Hunc Ninyam aliqui dicunt esse Amraphel regem Sennaar, de quo agitur cap. 14. Genesis.

Arius regnat triginta annis, quorum decimo Abraham ætatis suæ centesimo genuit Isaac.

Aralius regnat quadraginta annis, quorum vltimo Esaü

&

& Iacob filij Isaac & Rebeccæ nascuntur vno partu.

Balæus siue Xerces regnat triginta annis.

Armamitres siue Armatrites regnat triginta octo annis.

Belochus regnat triginta quinque annis.

Balæus II. regnat quinquaginta duobus annis, eius tempore Iacob ad filium Ioseph in Ægypto dominantem perrexit.

Althadas cognomento Sethos regnat trigintas duobus annis: Eius tempore viuebat iustus Iob in terra Hus.

Mamythus siue Mamynthus regnat triginta annis: Eius tempore Ioseph Patriarcha moritur in Ægypto.

Machalæus siue Manchalæus cognomento Ascharius regnat viginti octo annis.

Sphærus siue Sperus regnat quadraginta annis.

Mamylus regnat triginta annis.

Sparetus siue Sparthæus regnat quadraginta annis.

Ascades siue Ascatades regnat quadraginta annis: Eius tempore Moyses eduxit filios Israël de Ægypto.

Amyntes regnat quadraginta quinque annis: cuius regni anno nono moritur Moyses, & succedit ipsi Iosuë in dignitatem Ducis, sub cuius ductu filij Israël terram Promissionis ingrediuntur.

Belochus II. regnat viginti quinque annis, & sub ipso Othoniel est iudex in Israël.

Bellepares siue Bellopares regnat triginta annis, & sub ipso vixit Aioth seu Aod Iudex in Israël.

Lamprides regnat triginta annis.

Sosares regnat viginti annis.

Lampares regnat triginta annis: sub ipso floruit Debora in Israël.

Panyas regnat quadraginta quinque annis: eius tempore Gedeon Iudex est in Israël.

Sosarmus regnat nouemdecim annis, sub ipso Abimelech & Thola iudicant Israël.

Mithræus regnat 29. annis, sub ipso Iair iudicat Israël.

Teutanes seu Teutamus regnat triginta duobus annis, hic misit Memnonem in auxilium Troiæ à Græcis obsessæ.

Tautæus

Tautæus regnat quadraginta annis, ſub ipſo floruit Sanſon in Iſraël.

Thinæus ſiue Thimæus regnat triginta annis, eius tempore fuerunt Heli ſacerdos & Samuël Propheta.

Dercylas ſiue Dercylus regnat quadraginta annis, eius tempore regnarunt Saul & Dauid in Iſraël.

Eupales regnat triginta octo annis, ſub ipſo regnat Salomon.

Laoſthenes regnat quadraginta quinque annis.

Pyriciades ſiue Pyrithiades regnat triginta annis, eius tempore regnat Roboam in Iuda, & Ieroboam in Iſraël, regno tunc diuiſo.

Ophratæus regnat viginti annis.

Ophratanes regnat quinquaginta annis.

Acrazapes ſeu Ocrazapes regnat quadraginta duobus annis, ſub ipſo regnat Amaſias in Iuda, & Ioas in Iſraël.

Thonos-Concoleros Aſſyrio nomine, & Sardanapalus Græco, regnat viginti annis: qui cum nimis eſſet effeminatus, ita vt purpuram cum mulieribus neret, à ſuis deſpectus & indignus Imperio iudicatus eſt: ſub ipſo Ionas Propheta Niniuitas ad pœnitentiam conuertit, ipſo Rege fidem adhibente verbis Prophetæ: ſed cum ad vomitum rediiſſet, in ſua imperiali ciuitate Niniue ab Arbace Medo, & Beloſo Babylonico obſidetur, & ad extremas redactus anguſtias in ingentem rogum ſe, filio & vxores proiiciens, igne conſumitur cum quinquaginta menſis aureis totidemque lectis, ac decem millionibus auri, cétumque millionibus talentorum argenti. Eius tempore regnauit Ozias in Iuda, & Ieroboam in Iſraël.

Sunt qui credant tunc terminatam fuiſſe Aſſyriorum Monarchiam, & Perſarum ſeu Medorum inchoatam: ſed iuxta ſinceram ſacræ Scripturæ intelligentiam, ac Sanctorum Patrum authoritatem dicendum tunc non terminatam, ſed tantùm diuiſam fuiſſe hanc Monarchiam; quę denuò in priſtinum rediit ſplendorem, ac ducentis octoginta quinque annis amplius floruit. Licet igitur Arbaces patriam ſuam Mediam, & Beloſus prouinciam Babylonis tyrannicè vſurpauerint, ſuo

qui

que in regno ſucceſſores habuerint: Phul tamen deſolatam Aſſyriorum Monarchiã ſuſcipiens regnat quadraginta octo annis, & in Palæſtinam veniens à Manahen Rege Iſraël mille talenta argenti exegit. Theglat-phalazar ſiue Phul-Aſſar ſucceſſit in imperio, & venit in Palæſtinam tempore Phaceæ filij Romeliæ Regis Iſraël, ac tribum Nephtali in Aſſyrios tranſtulit; regnauit viginti quinque annis.

Salman-Aſſar ſeptemdecim regnat annis, Oſeam Regem Iſraël tributarium primò facit, deinde rebellem debellat, expugnataque Samaria capit illum, & decem tribus captiuas ducit in Aſſyriam.

Sennacherib ſiue Sargon ſeptem regnat annis: hic tempore Ezechiæ Regis Iuda cum immenſo exercitu in Palæſtinam pergit: ſed Deo ſanctum Regem Ezechiam protegente, Angelus Domini eius exercitum delet occiſis centum octuaginta quinque millibus Aſſyriorum: ipſe verò Sennacherib Niniuen reuerſus à propriis filiis Adremelech & Sarazar in templo adorans occiditur.

Aſarhadon filius Sennacherib ſucceſſit patri, ac decem regnat annis. Poſtmodum à Rege Babylonis Merodrac Baladan ſuperatur: vnde rursùs ex Aſſyriis & Babyloniis prima hæc monarchia refloret. Quia tamẽ Imperij ſedes Babylonem transfertur, ideò deinceps in ſacris litteris nomen Imperij Babylonici frequentius eſt. In Babylone regnauerant Beloſus quatuordecim annis, Naſſyus duobus, Chinzerus & Porus quinque, Dulilæus ſiue Dilulorus alios quinque: Quibus ſucceſſit Merodrac Baladan, quem Ioſephus vocat Baladar, & Ptholomæus Mardokempalum, hic erat filius Baladan ſiue Nabonaſſar ex Ptholomæo, qui deuicto Aſarhadon & Aſſyria Babyloniæ rursùs vnita primam Chaldæorum & Aſſyriorum Monarchiam plurimùm reſtaurauit; cuius imperium ad quinquaginta duos annos aliqui dilatant, alij verò ad duodecim limitant.

Mortuo Merodrac Baladan ſucceſſit Ben-Merodrac ſeu ſecundus Merodrac eius filius, & viginti quatuor annis regnat.

Nabolassar siue Nabonassar patri Benmerodrac successit, & regnauit viginti nouem annis.

Nabuchodonosor, ob præclara gesta & insignes victorias, cognomento magnus patri Nabolassar successit. Hic in sacris litteris nominatissimus, & apud Authores prophanos celeberrimus duas tribus reliquas filiorum Israël, scilicet Iuda & Beniamin, captiuas in Babylonem duxit, Regemque Iechoniam excæcatum carceri mancipauit: Ægyptum subiugauit, Tyrum obsidione cepit; cumque alia mirabilia gessisset, & in eo Diuinitus gesta fuissent, moritur anno imperij quadragesimo tertio.

Euilmerodach successit suo patri Nabuchodonosor. Hic Iechoniam soluit è carcere, & aliis Principibus suis anteposuit, sanctumque Prophetam Danielem plurimùm coluit. Cum regnasset viginti tres annos, occiditur proditione cognati sui Niglisar, qui regnum inuadens quatuor imperat annis, suumque filium nomine Labosardac siue Labdassar successorem reliquit: hic suis ita fuit inuisus, vt à propriis seruis anno primo imperij trucidatus fuerit.

Balthassar filius Euilmerodach vsurpatum recuperat imperium, & septemdecim annis imperat, suis delectis Diuinam contra se vindictam suscitans, maximè impietate qua in solemni conuiuio cum principibus, vxoribus & concubinis, vasibus sacris ex Ierusalem adductis ad potandum vsus est: quo sacrilegio commotus Deus, mirabili manus in pariete scribentis prodigio proximam eius mortem, Chaldæorum & Assyriorum monarchiæ ruinam eiusque ad Persas & Medos translationem denuntiat. Vnde capta Babylone à Dario Medorum & Cyro Persarum Rege occiditur, & hæc prima terminatur monarchia, postquam mille quingentos circiter annos perseuerasset in quadraginta nouem Imperatoribus: S. Augustinus lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 6. huius monarchiæ mille ducentos & quadraginta annos numerat ab anno primo quo Ninus regnare cœpit, donec transferuntur ad Medos. Quod debet intelligi de translatione inchoata sub Arbace Medo, pereunte Sardanapalo.

danapalo : vel quando ſub Aſarhadon Aſſyrij ſubduntur Babyloniis,& tunc Medi latiùs dominantur;numerus quippe annorum à S. Auguſtino citatus pro alterutro tempore non multum diſcrepat ab aliorum Chronologia ad quos ſigillatim reddibimus ad exigentiam hiſtoriæ.

IDOLOLATRIA IN MVNDVM INTRODVCTA.

SIngula contra Deum militant peccata, ſed quædam immediatè ac directè. Atheiſmus, ſi verè daretur, quantùm ad affectum peccatoris Deum deſtruit per ſe primò, cum eius neget exiſtentiam ; ſed verè non datur, quia veri Dei notitia ſic homini manifeſta eſt, vt naturaliter homo Deum agnoſcat eſſe, velut in creaturis tanquam in ſuis effectibus relucentem, vt probatur cap. 13. libri Sapientiæ: Sed quidam homines peruerſi ſic viuunt, poſtquam in profundum malorum venerint, ac ſi nullus eſſet Deus, volentes contra naturalem rationis inſtinctum hoc ſibi perperam ſuadere, vt liberiùs ſuæ deſideriis concupiſcentiæ indulgeant; dum tollitur Dei recti iudicis metus, qui bona præmiat opera, & mala caſtigat : vnde non formatis, ſed tantùm materialis eſt Atheiſmus.

Idololatria quoque contra Deum, ſed ex conſequenti militat, ipſumque deſtruere conatur, dum ei qui ſolus eſt Deus quærit æquales, diuidens pluribus Diuinitatem, vni vero Deo ſingulariter propriam. Quamvis autem facili diſcurſu naturali Deum eſſe vnum demonſtretur, facilius tamen percipitur Deum eſſe, quàm Deum eſſe vnum : & ideò licet nullibi gentium receptus fuerit Atheiſmus, tantùm enim dicit incipiens in corde ſuo, Non eſt Deus; recepta tamen fuit communiter idololatria, totamque impleuit mundum, vix in angulo terræ apud Abrahæ poſteros viri Dei cultus publicè docebatur.

Præcipuus idololatriæ inuentor eſt diabolus duplici ma-

lo fine; primo quidem, vt Deo vero debitum honore subtraheret; quem iustum & seuerum experitur iudicem, sicque vindictam in eum exerceret; secundo autem, vt ho minem à veri Dei cognitione remotum facilè perderet, & suæ damnationis æternæ participem efficeret, sicque inui diæ suæ in eum conceptæ satisfaceret. Alius idololatri inuentor est homo peruersus, qui postquam longo vitioru exercitio lumen rationis obscurauit in intellectu, sic in se ipso deordinatur, vt tantum sensibilia consideret ad instar bruti, & in illis Diuinitatem constituat, à quibus vel bonu percipit, vel malum timet. Initium enim fornicationis est e quisitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio vitæ e dicitur cap. 14. Sapientiæ; neque enim erant ab initio, neq erunt in perpetuum; superuacuitas enim hominum hæc a uenit in orbem terrarum, & ideo breuis illorum finis est i uentus.

Certum est in mundi principio per aliquot generatio idololatriam non viguisse: sed postea probabile nimis est a te diluuium regnasse, vbi omnis caro corruperat viam sua nihil enim sic mentem obscurat & velut excæcat ac tæ corruptio in impuditiis, Secundo post diluuium sæ lo renascitur idololatria, viuente adhuc sancto Patri cha Noë cum aliis, qui tanto malo resistere non potuer sicut nec tyrannidi, nec cæteris excessibus posterorum; s torum enim infinitus est numerus, quibus omnia n placent etiam in materia religionis: vnde vix nata vel nata idololatria plurimos habuit fautores, & beneuolos ceptores.

Initium natæ vel renatæ idololatriæ sic prædicto cap. Sapientiæ describitur. *Acerbo luctu dolens pater, citò sibi pti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo m tuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constitui ter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente te pore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta. hos quos in palā homines honorare non poterat, propter hoc q*

longè essent, è longinquo figura eorum allata, euidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt, vt illum qui habebat, tanquam præsentem colerent sua solicitudine. Prouenit autem ad horum culturam, & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia; ille enim volens placere illi qui se assumpsit, elaborauit arte sua vt similitudinem in melius figuraret: multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimauerunt. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommutabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.

Prædictæ à sacra Scriptura fuerunt occasiones idololatriæ, sed primus qui illam authoritatiuè introduxit, fuit Ninus; Is enim affectu nimio patris Nemrod siue Beli motus, eius demortui voluit fœlicem conseruare memoriam. Vnde in publico Principum suorum conuentu laudes eius eximias prædicauit, & facta eius super humanam extollens naturam, Deum esse iactauit, & Diuinos ei statuit honores imposterum exhibendos, aram erexit, & in ea statuam ipsius dedicauit: Ex hac igitur apotheosi publica & communis cœpit idololatria: alij namque Principes & populi ad exemplum Nini plures homines in deos consecrarunt, & quòd absurdius est, plures animantes aut res insensibiles, in quibus excellentia aliqua vel ad bonum communicandum, vel ad malum inferendum apparebat; & sic in infinitum penè multiplicati sunt dij apud omnes nationes.

Hic nouus Deus, qui Chaldaicè & Hebraicè Bel, Syriacè Baal, Græcè Belus, & Latinè Saturnus dicebatur, cœpit vbique in maxima esse veneratione, vt docet S. Hieronymus in caput 46. Isaiæ, dicens: *Confractus est, quem Græci Belum, Latini Saturnum dicunt: cuius tanta fuit apud veteres religio, vt ei non solùm humanas hostias captiuorum, ignobiliumque mortalium, sed & suos liberos immolarent.* Et in Ezechielem sic ait: *Ista crebrò in excelsis, & in templo Dei adorauit statuam Baalis, & cum Assyriis fornicata est: Idolum autem Baal, siue Bel, & vt apertiùs dicam, Beli Assyriorum religio*

gio est, consecrata à Nino Beli filio, in honorem patris, Et
Oseam sic ait: *Ninus in tantam peruenit gloriam, vt patr*
suum Belúm referret in Deum, qui Hebraice dicitur B
Nunc Sidonij & Phœnices appellant Bahal.

Huic falsò Deo parentes suos immolabant filios, vt
Iudæis sic sacrificantibus conqueritur scriptura Ierem
cap. 7. vbi sic habetur: *Ædificauerunt excelsa Tophel, q*
est in valle filij Ennon, vt incenderent filios suos & filias
igni. Et repleuerunt locum istum sanguine innocentum,
ædificauerunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos
in holocaustum Baalim. Nec tantùm sacrificuli Bel crud
erant in filios quos offerebant, sed etiam in seipsum; n
vt dicitur lib. 3. Regum cap. 18. Clamabant voce mag
& incidebant se iuxta ritum suum cultris & lanceolis,
nec perfunderentur sanguine. Ex hac paruulorum im
latione in cultum Beli, qui à Latinis dicitur Saturnus,
luit quòd Saturnus dicebatur comedere filios.

Ecce igitur hanc pessimam idololatriæ pestem in n
dum introductam à Nino Assyriorum Monarcha, dur
qua pollebat authoritate penè vniuersali patrem suu
Deum consecrauit: non sub proprio eius nomine Nem
sed sub alio multùm honorifico Beli, quod Dominu
gnificat; quasi tunc ipsum vt absolutum Dominum n
per antonomasiam constitueret; quod summæ impi
& arrogantis superbiæ signum & opus fuit.

CONTINVATIO POSTERORVM S
VSQVE AD ABRAHAM.

ADductis aliquot filiis & nepotibus trium filio
Noë, qui diuisi in omnem terram singularum
tium authores fuerunt: sacra Scriptura tacens imposte
de cæteris filiorum Noë posteris, prosequitur vnicam
sterorum Sem in familia Arphaxad eius filij genealogi
quam deducit ad Christum Dominum Redempto
mundi. Hanc in præsenti dilucidabimus vsque ad Abrah
ca

cuius ortus terriæ mundi ætati principium dabit.

Sem primogenitus Noë erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio post diluuium. Vbi nota quòd si Arphaxad sit tempore tertius filius Sem iuxta ordinem in scriptura traditum, nam ei præferuntur Ælam & Assur, qui etiam post diluuium nati dicuntur, debuit simul cum alio ex dictis fratribus nasci gemellus: vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, quingentis annis, & genuit filios & filias.

PorroArphaxad vixit triginta quinq; annis, & tunc Gen.11. dicitur genuisse Sale, & vixisse postquã genuit Sale trecentis tribus annis, & posthæc genuisse filios & filias. Septuaginta Interpretes dicunt Arphaxad genuisse Cainan, & Cainã genuisse Sale: Quod etiam affirmat S.Luc. cap.3. sui Euangelij. Hæc sacræ Script. secundùm etiam vulgatam editionem apparens diuersitas Expositores in varias diuisit sententias: Vt probabilius medium admittimus Cainan inter Arphaxad & Sale, illius quidem filium, istius verò patrem; quia cum ex vtraque parte sit authoritas Scripturæ secundùm editionem vulgatam, potiùs authoritatem positiuam S. Lucæ debemus sequi, quàm negatiuam Moysis, qui mysterio nobis incognito generationem Cainan omisit, sicut in genealogia Christi S. Matthæus cap. 1. sui Euangelij mysterio simili quatuor generationes omisit: vnde dicendum iuxta hanc sententiam, quòd Arphaxad triginta quinque annorum genuit immediatè Cainan, mediatè verò dicitur genuisse Sale, quia Cainan eius filius genuit Sale, qui proinde dici potest paruus filius, siue nepos, aut fili⁹ mediatus Arphaxad.

Dimissa generatione tam passiua quàm actiua Cainan, ac proinde prętermissis annis quos habebat cum genuit filium Sale, qui coniiciuntur fuisse circiter triginta vel quadraginta iuxta computum annorum, quibus Patriarchæ sequentes dicuntur genuisse filios; Ipse Sale vixit triginta annis, & genuit Heber, vixitque Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis, & genuit filios & filias.

Heber apud Iudæos nominatissimus, à quo denominati sunt Hebræi, & lingua eorum dicta fuit Hebræa, vixit

triginta quatuor annis, & genuit Phaleg: & vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis, & genuit filios & filias. Credibile est, quòd facta diuisione linguarum in ædificatione turris Babel, prima mundi lingua (quæ fuit Adam primo parenti à Deo statim communicata, & quæ perseuerauit persequentes Patriarchas vsque ad Noë, ac mansit vnica vsque ad prædictam ædificationem) conseruata fuerit illæsa in sancto Noë adhuc superstite, in eius filio aliisque eius posteris, qui superbæ turris ædificationi non consenserant, & præsertim in Heber tunc pietate nominatissimo: Et quòd per ipsos continua traditione ad nos vsque peruenerit, ab hoc Heber dicta deinceps Hebræa.

Vixit Phaleg triginta annis, & genuit Reu: vixitque Phaleg postquam genuit Reu ducentis nouem annis, & genuit filios & filias. Tempore Phaleg, qui interpretatur *diuisio*, facta fuit diuisio linguarum, & consequenter posterorum Noë in vniuersam terram. Vtrum Noë perseuerauerit in Armenia maiori iuxta montem arcæ, cum filio Sem & aliis nepotibus, vel vtrum transierit ad vicinam Syriæ Mesopotamiam, magis temperatam, ignoratur: in hac tamen breui tempore subsequenti familiam Heber inuenimus, quam Deus speciali dilectionis prouidentia conseruauit, ex qua tot sanctos Patriarchas, & Christum Dominum educere decreuerat. Quicquid sit, Hebræa lingua primitiua mundi in Heber eiusque familia permansit quasi propria & hæreditario iure domestica: licet eius posteri, nationibus aliis mixti, linguas earum nouas velut extraneas, in continua communicatione didicerint, & vsi fuerint.

Reu, quem aliqui vocant Ragau, vixit 32. annis, & genuit Sarug: vixit quoque Reu, postquam genuit Sarug, ducentis septem annis, & genuit filios & filias. Notandum hic quod statim à diuisione linguarũ, ac dispersione posterorum Noë in vniuersam terram, vita hominum dimidia parte dicitur abbreuiata, vt constat annorum numero, qui prædecessoribus Phaleg, & eius successoribus cum hac diuersitate attribuuntur. Tempore Reu, cum iam ex prædicta linguarum diuisione

uisione & hominum dispersione gentes essent multiplicatæ, tunc quoque multiplicati sunt principatus & regna. Cum enim ambitio sit valde connaturalis homini propriam gloriam vbique quærentis, qui vel ingenio, vel viribus, vel industria cæteros superabant, quasi excellentes imperare volebant. Dictum est, qualiter circa natiuitatem Phaleg patris Reu Nemrod siue Belus regnum Babylonicum inchoauit: ad eius exemplum alij plures tyrannicè super alios authoritatem vsurpantes, in diuersis nationibus regna propria constituerunt. Ad tempora Reu principia plurimum regnorum solent reduci. Primum est Amazonum mulierum, quæ viuentes in Scythia propè Tanaim fluuium, occasione quorundam latronum, qui occisis earum maritis eas infestabant, audaces ad præliandum effectæ, & his fœlicibus auspiciis animatæ ad regnandi cupidæ, ad loca iuxta Termodonta fluuium, qui post modum ab illis Amazonius vocatus est, recesserunt, ibique suum fundarunt imperium: quod vt continuarent, admittebant vicinos homines; ex quibus si concepissent masculos, eos occidebant; si fœminas, eas educabant: suis filiabus dum adhuc essent paruulæ, dexteram mammam adurebant igne, vel alio medicamine, ne crescendo postea tumeret, & exercitia bellica sagittãdi posset impedire, sinistram relinquentes intactam, quâ genitas lactarent proles. Duas simul reginas sibi constituerunt; Marpesiam scilicet & Lapedonem, tanquam regimini, & militiæ magis idoneas, sed in diuersis prouinciis constitutas, sub quib⁹ suũ quàm plurimùm auxerunt imperium, quod vsque ad tempora Alexand. Mag. perdurasse dicitur. Nec mirum est tunc fœminas in regno fœminarum imperasse, cum hodie in Indiis orie͂talibus sit regina Olalæ, cui viri velut clientes obediunt, & filiæ non filij in regno succedunt. Secundum est regnum Ægypti, quod in variis vicissitudinibus regiminis vsque ad Octau. August. floruit. Tertium est regnũ Boëmiæ, vt ex eius Chronicis constat, cui olim Polonia fuisse subiecta dicitur.

Vixit Sarug triginta annis, & genuit Nachor: vixitque Sarug, postquam genuit Nachor, ducentis annis,

annis,& genuit filios & filias.Hoc tempore cœpit Regnum Bactrianorum sub Zoroaste primo eorum Rege in Asia maiori:qui primus magicæ artis inuentor dicitur;cum nasceretur risit, in hoc risu singularis, solent enim alij pueri in natiuitate flere. Traditur fuisse maximi ingenij, & de septem artibus liberalibus scripsisse:sed eius populi viuebant rapinis,quos cum suo Rege debellauit Ninus in ipso pene regni principio, qui Regem interficiens eius quoque libros combussit. Bactria est prouincia Persis finitima, habens Margianam ab occasu, & ab ortu Sogdianos.

Vixit Nachor 29. ann.& genuit Thare: vixitque Nachor postquam genuit Thare,119.an.& genuit filios & filias.Hoc tempore cœpit in Achaia regnum Sycioniorum, vbi primùm regnauit Egilaus seu Ægialeus. Cœpit etiam regnum Hispaniæ superius descriptum,pluribus constans prouinciis.

Vixit Thare septuaginta annis,& genuit Abram, & Nachor,& Aran:Porrò Aran genuit Lot,mortuusque est Aran ante Thare patrē suum in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum.Quando natus est Abram Patriarcha,Ninus Assyriorum monarcha quadragesimum tertium Imperij annum agebat, qui erat millesimus ducentesimus circiter ante Romam conditam ex S.Augustino.

Ad hanc secundam mundi ætatem,& ferè ad tempus diluuij plures nationes suorum regnorum reducunt initia. S.August.in libris de Ciuitate Dei mentionem facit tam de monarchia Assyriorum in Asia, quàm de regno Sicyoniorum in Europa,& de regno Ægyptiorū in Africa. Alij Authores deducunt initium regni Galliæ continua successione à Gomer primogenito Iaphet filij Noë.Sueui suum incipiunt regnum à Magog item filio Iaphet,quod absque interruptione ad hæc vsque tempora deducunt.Chinenses etiam ad hanc mundi ætatem regni sui primordia referunt : de quibus in fine operis agetur.Sed quia non omnia sunt æquè certa,horum probabilitatem penes Scriptorum authoritatem relinquo:de his autem antiquissimis non quærenda est tanta euidentia,sed minima probabilitas sufficit,& grata est Lectori.

LIBER



LIBER TERTIUS CHRONOLOGIÆ.

TERTIA MUNDI ÆTAS, SIVE ADOLESCENTIA.

PROLOGUS.



Braham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria, qui conseruaret legem Excelsi, & fuit in testamento cũ illo: In carne eius stare fecit testamentum, & in tentatione inuentus est fidelis: Ideò iureiurando fecit illi gloriam in gente sua crescere illum quasi terræ cumulum, & vt stellas exaltare semen eius, & hæreditare illos à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ. Hoc Abrahæ summi Patriarchæ texit elogium Spiritus sanctus Ecclesiastici 44. Simile texit ad Hebræos 11. plurimùm exaltans eius fidem, dicens: Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit nesciens quò iret. Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem: expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Denique tota sacra Scriptura laudibus huius sancti Patriarchæ plena est: Et Dominus velut honoris causa sic Deum Abraham nominat. Si Adam est primus parens hominum, & Noë reparator eorum: Abraham est pater fidei nostræ. Ab hoc sancto Patriarcha incipimus tertiam mundi ætatem, quam vocamus Adolescentiam, & vsque ad Moysem perducimus per spatium annorum quadringentorum viginti quinque.

PRI

PRIMORDIA ABRAHÆ IN TERRA CHALDÆORVM.

QVadragesimum secundum agebat annum imperij Ninus monarcha Chaldæorum & Assyriorum, quando natus est Abraham Patriarcha in Vr Chaldæorum. Pater eius fuit Thare, qui tres genuit filios, nostrum scilicet Abraham, Nachor, & Aran. Aran fuit primogenitus, qui nubẽs genuit filium Lot & duas filias, Melcham scilicet & Ieſcham, quæ postea suis patruis nupserunt, Melcha quidem Nachor iuniori, & Ieſcha sancto Abrahæ, Ieſcha siquidem est ipsamet Sara, quæ vel fuit binomia, vel nomen Sara fuit ei ab Abraham marito in conuersatione coniugali impositum, Sara quippe idem est ac Domina, Abraham autem suam vxorem Ieſcham reuerentiali titulo dominam vocabat.

Thare cum septuaginta esset annorum, genuit Aran suum primogenitum, & deinceps Nachor secundò genitum, quem nomine sui patris insigniuit, vnde hic Nachor dicitur iunior ad differentiam aui sui Nachor patris Thare: Denique genuit Abraham natu minimum & vltimum filiorum, quamvis sanctitate postea maximum, & dignitate primum, vnde cæteris fratribus in Scriptura præponitur. Eius natiuitas ad centesimum Thare patris eius annum differtur, vt ex historiæ Abrahæ & computo annorum ipsius, quando scilicet mortuo patre ducentesimo quinto ætatis anno, ipse vir effectus septuaginta quinque annorum profectus est in Chanaan, demonstratiuè colligitur, & confirmatur ex annorum numero quem habebat dum ibi genuit filios suos Ismaël & Isaac. Quod Aran fuerit primogenitus Thare, multis annis antiquior quàm Nachor & Abraham, ex hoc manifestè coniicitur, quòd Aran fuit Socer suorum fratrum, vnde filias habuit nubiles, cum ipsi ad nubilem peruenissent ætatem, ac proinde non multos iuniores maritis. Quòd Nachor etiam præcesserit Abraham natiuitate, ex hoc infertur quòd nascitur Abraham anno centesimo trigesimo patris

iam

iam ſenis, & inter ſeptuageſimum eius annum quo genuit Aran primogenitum, & centeſimum trigeſimum quo genuit Abraham, debuit in tanto ſpatio interceſſiſſe generatio Nachor: maximè quia ex filiabus Aran maior: nomine Melcha nubet Nachor, & minor nomine Ieſcha nubet Abraham.

Nupſerat Aran primogenitus Thare in annis nubilibus circa trigeſimum ætatis annum, quo videmus alios Patriarchas eius prædeceſſores nupſiſſe: & genuit filium nomine Lot & duas filias iam nominatas. Nupſerunt etiam ſuo tempore Nachor & Abraham fratres cum Melcha & Ieſcha, patrui cum neptibus. Tunc enim nondum prohibiti erant, ſaltem hi gradus inferiores conſanguinitatis, qui iure naturali non prohibentur: & aliàs neceſſarium videbatur in tanta idololatriæ vniuerſalis corruptione, quòd Thare purus in fide filios ſuos, quantum poſſibile erat, extra familiam & domum ſuam vxoribus non ſociaret.

Viuebant ſimul fratres filij Thare in timore Domini ſub eodem tecto, quos Aran primogenitus non ſolùm vt fratres, ſed etiam vt generoſos conſiderabat & amabat; ipſi verò venerabantur ac diligebant ipſum, & vt maiorem natu, & vt ſocerum, ſe autem inuicem diligebant & vt fratres & vt cognatos; ſicut & eorum vxores ſe diligebant & vt ſorores & vt cognatæ. Vnde domus Thare fuit domus pacis, benedictionis & Dei. Nachor ex Melcha coniuge dicitur octo genuiſſe proles, videlicet Hus iuxta aliquos patrem Iob, Buz patrem Beor & Balaam, Batuël patrem Laban & Rebeccæ, Camuël, Caſſeth, Aran, Pheldas, & Iedlaph; Ex concubina verò genuit quatuor. Abraham autem in terra natiuitatis ſuæ nullũ genuit filium, quia Ieſcha ſeu Sara coniux ipſius erat ſterilis, quæ tamen poſtea repromiſſione Diuina filium genuit Iſaac. Nec dictis obſtat, quòd cap. 20. Geneſis Abraham dixit de Sara coniuge ſua Abimelech; verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ: nã in ſacra Scriptura germani & conſanguinei vocantur fratres & ſorores: maximè quia mortuo iam Aran patre Melchæ & Ieſchæ ſeu Saræ, Thare nutriebat has filias velut pater; vnde ipſæ non

auum,

auum,sed patrem illum vocabant:Et ad hoc allusit Abrahā: vel voluit intelligere quòd Sara esset eius germana ex paterna linea Thare communis patris,Aran & Abraham,sed non ex linea materna, quia Thare duas habuit vxores, ex quarum vna prius genuit Aran, ex alia verò genuit Abraham.

Dubitatur inter Authores, vtrum Thare pater & Abraham filius semper fuerint fideles,ab idolorum cultu remoti, & soli Deo seruientes: quidam negant, propter illud Iosue cap.24. Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham; & Nachor,seruierūtque diis alienis: sed multò probabiliùs & vniuersaliùs affirmant alij, & maximè de Abraham;vnde August.lib.16.de Ciuit.Dei cap.12. docet vnam fuisse domum Thare, in qua custodita fuerit plantatio ciuitatis Dei;Et Chrysost.homil. 36. in Genes.ait, nam quia prima ætate non secutus est (scilicet Abraham) errorem paternum,sed pietatem diuini cultus seruauit, id supernam visitationem citò obtinuit,adhuc inChaldæa existens.Sed quicquid sit de Thare,quem ad lucrum idola finxisse,& ob id à filio suo Abraham adhuc iuniore reprehensum dicunt, non videtur negandum de Abraham & aliquo alio,puta Sara,in quibus Ecclesia fuit conseruata. Quis non miretur tantam hominum corruptionem in idololatria generali: quòd his temporibus vix vnus & alter reperiantur, de quorum recta fide non dubitetur.

Cum electa domus Thare tot inter idololatriæ tenebras Dei fide & cultu fulgeret, accidit quòd Aran primogenitus Thare & frater Abraham mortuus fuerit, vel præmatura morte naturali, vel iuxta traditionem Hebræorum (quam vocat fabulosam Hieronym.)morte violenta in odium fidei, quia propositum sibi à Chaldæis ignem noluit quasi Deum adorare, vnde propterea fuit ab illis in ignem coniectus & ibi consumptus. Tunc Thare tulit Abram filium suum, & Lot filium Aran filium filij sui, & Sarai nurum suam vxorem Abram filij sui,& eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terrā Chanaan,venerúntq; vsque Haran,& habitauerunt ibi:& facti sunt dies Thare 205.an.& mortuus est in Haran.

Hi

Hic Thare discessus ex Vr Chaldæorum ex eo contigit, quia voluit suo recessu persecutionem Chaldæorum vitare, quia secundùm Aug.lib.16. de Ciuit.Dei cap.13. in lib. Iudith ex verbis Achior habetur, quod domus Thare fuerit persecutionem passa,quia sequi noluit deos patrum suorum qui fuerunt in terra Chaldæorum. Ex quibus constat, quòd adductus supra locus Iosuë, quamuis Thare nominet inter patres Iudæorum, non tamen illum comprehendit inter cultores deorum alienorum. Cur autem Nachor secundus Thare filius cum vxore & familia, non simul cum patre & fratre discesserit, ignoratur; quidam asserunt ipsum quoque tunc erroribus Chaldæorum fuisse inuolutum.

Discessit igitur Thare cum sana parte suæ familiæ,vt persecutionem fugeret,animo quidem longiùs proficiscendi in terram Chanaan:Sed cum venisset in Haran,ibi manserunt, vel quia tanquam incogniti & aduenæ noui non amplius ab idololatris vexabantur, vel quia ante recessum vlteriorē filium suum Nachor ad se volebat allicere tunc resistentem, vel quia tempus opportunum vlteriùs proficiscendi & occasionem bonam expectabat,interim domui suæ prouidens ex proximo loco consistens in eadem Mesopotamia, possessiones terrarum,ac greges & armenta diuendens, vt faciliùs in terram itinere viginti circiter dierum dissitam transmigraret: certum est enim Thare fuisse in possessionibus & gregibus diuitem. Dum his attendit Thare, moritur in vrbe Haran cum esset ducentorum quinque annorum.

TRANSMIGRATIO ABRAM PATRIARCHÆ IN TERRAM CHANAAN.

Abram post mortem patris sui Thare residebat in Haran, siue Charan iuxta Septuaginta, vrbe Mesopotamiæ,cum Lot nepote suo, Sara coniuge ac reliqua familia quàm plurium seruorum & mancipiorum. Tunc Semiramis post Ninum maritum imperans præclara magnificentiæ suæ monumenta fecit, primùm in extructione Babylo-

nis

nis Chaldæorum Metropolis, deinde in Media ad Bagistanium montem, hortum duodecim stadiorum ambitu plantauit,& in ipsa rupe suam sculpsit imaginem; postmodum ad Chaonem etiam Mediæ vrbem alterum construxit locum deliciarum, vbi non parum temporis consumpsit fœditati libidinum crudelitatem adiungens,suos enim amasios dicitur interfecisse. Denique volens imperij fines dilatare, circumuicinas inuasit regiones; nam ad occasum percurrens Ægyptum, magnum Libyæ partem subiugauit. Verùm cum ad orientem Indos appeteret, quamvis in principio fœliciter processisset, ac Indum fluuium traiecisset, in fine tamen plurimùm delecto exercitu reddire cogitur.

Abram exienti in Haran vrbe Mesopotamiæ Domini apparuisse dicitur prima vice, eique dixisse: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vi in terram quam monstrabo tibi.* Licet Abram simul cum patre suo Thare exisset de Vr Chaldæorum loco natiuitatis & patria sua: quia tamen Haran, ad quam recesserat, non multum ab Vr distaret in eadem Mesopotamiæ prouincia existente,ibiq; frequenter videret cognatos ex Vr accedentes, ac domum paternam possideret; nondum exierat de terra sua, nec de cognatione sua, nec de domo patris sui: Hunc autem discessum imperauit Dominus Abram, quia ipsum elegerat patrem populi sui, quem multiplicare velut stellas cœli & arenam maris disposuerat: vnde terram latam prouidere debuit, ac fluentem lacte & melle, qualis est terra Chanaan. Vnde subiunxit ei Dominus, promittens omnem spiritualem ac temporalem benedictionem: Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi,& magnificabo nomen tuum, erisque benedictus; benedicam benedicentibus tibi,& maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ.

Statim ad præceptum Domini se obedientissimus Abram accingit itineri, quod licet properando viginti circiter diebus conficiatur; totidem enim ipse ex Orpha Mesopotamiæ

miæ, quæ dicitur fuiſſe Vr Chaldæorum patria Abram, vſque ad Palæſtinam inſumpſi: lentè tamen procedendo, qualiter proceſſit Abram, multa familia mancipiorum & gregum onuſtus, aliquot menſibus confici debuit. Egreſſus eſt itaque Abram, ſicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot, nepos & cognatus ipſius. Septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran: Tulitque Sarai vxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, vniuerſamque ſubſtantiam quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haran, ſcilicet mancipiorum & animalium vtriuſque, plurimos enim ſeruos & greges vterque habuit: Et cum hoc comitatu perrexit in terram Chanaan. Illam ingreſſus pertranſiit Abram vſque ad locum Sichem vſque ad conuallem illuſtrem, vbi Chananæum inuenit incolam & Dominum. Tunc Ninyas Nini & Semiramidis filius Aſſyriorum Monarcha trigeſimum tertium imperij annum agebat, cum hæc tranſmigratio Abraham accidit: cuius Ninyæ ac ſucceſſorum eius Imperatorum vix geſtum illuſtre reperimus vſque ad ſucceſſores Sardanapali, deliciis enim ſolùm attenderunt: Vnde Iuſtinus de Ninyas ſub nomine Nini II. ait, quòd contentus elaborato à parentibus imperio, ſtudia depoſuit, & velut ſexum cum matre mutaſſet, rarò à viris viſus in fœminarum turba conſenuit. Ad ſui tamen & imperij conſeruationem prudenter inſtituit, vt quotannis ex ſingulis imperij prouinciis determinatus colligeretur militum numerus, in vrbem Regiam mittendus, vt ibi ſuccederẽt aliis in ſuas prouincias remiſſis: quo inſtituto tria conſequebantur; primum, vt perpetuò exercitum haberet ad omnia paratum, ſi quis fortè in re aliqua detrectaret imperium; ſecundum, vt mutatione copiarum plures in re militari exercerentur; tertium, ne diuturnitate conſuetudinis intra duces ac milites coaleſceret amicitia, quæ ad moliendas res nouas inuitaret. Hæc habet Diodorus.

Suum Abram direxit iter per Syriam, & directè procedens eas pertranſiit regiones, vbi nunc Aleppus, Apamæa, &

Damaſcus ciuitates ædificatæ ſunt : primo vel ſecundo di
ſuperato Euphrate Meſopotamiam egreſſus fuit,ac Syria
ingreſſus: Deinde ad Apamæam Orontem fluuium præte
greſſus terram Hus adit, & exinde ad planitiem Damaſ
deſcendit : Quam ſenſim perluſtrando venit ad Iordanem
ipſoque traiecto ac montibus Galilææ tranſactis, cam
pum magnum Eſdrelon inuenit torrente Ciſſon irrigatum
quem cum peragraſſet,venit ad montes Ephraim,iuxta Si
chem, quæ etiam Sichima & Sichar, nunc autem Neap
lis dicitur,non procul à Samaria, ibique fixis tabernacul
primam fecit ſtationem. Tunc inter principes illius ter
memorabilis inuenitur Melchiſedech Rex Salem poſt
Ieruſalem, quem aliqui dicunt eſſe Sem filium Noë. S
hoc tempus apparuit in Græcia ad Arcadiam prouincia
vir nomine Lyſania,qui poſtmodum Iupiter dictus, a
Gentiles maximus deorum habebatur; dictus eſt autem
piter nomine honorario, quaſi iuuans pater : ideò
apud illum Græciæ populum diuinos ac præcipuos me
honores; quia Græci populi,cum in illis temporibus ſi
ſtres eſſent & barbari, ipſe bono præditus ingenio mu
conſtituiſſe dicitur, quibus eos ad vrbanos & humanos
uendi mores perduxit, aras ſcilicet & ſacerdotes inſtitu
do ad cultum deorum, matrimonia firmando cum p
mulieres eſſent communes. Multa poſtmodum de hoc ip
rum deo finxerunt, quæ farmidabilem apud exteras na
nes reddiderunt:Tradunt habuiſſe tredecim filios aut fili
ſcilicet Mineruam, Apim, Solem, Dianam, Mercuriu
Arcada, à quo deinceps Arcadia regio fuit denominata;
hæc multis mixta ſunt fabulis. Dicunt ipſum fuiſſe fili
Ætherei ac Diei, & fratrem habuiſſe Vranium nomine,
ex Veſta coniuge plures ſuſcepit filios & filias, vt Theti
Cererem, Vulcanum,Venerem,Thytanum & alios : Ab h
igitur fratribus, Ioue ſcilicet & Vranio ſeu Cœlio om
deorum numeroſa proſapia emanauit.

Apparuit ſecundò Dominus Abram in Sichimis, & di
ei : *Semini tuo dabo terram hanc, qui ædificauit ibi alta*

Domi

Domino qui apparuerat ei. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius. Hæc altaria erigebat Abram in signum grati animi erga Deum, qui tam liberalis ac beneficus ipsi erat, vt totam illam suæ peregrinationis terram suis posteris promitteret, & insuper Messiam ex ipso processurum. In hac autem altarium erectione & sacrificiorum iteratione voluit veri Dei cultum inter domesticos promouere, & inter exteros idololatriæ opponere iam in illis regionibus plurimùm dilatatæ. Perrexitque Abram vadens, & vltra progrediens ad meridiem, cum tota scilicet familia, & vt præsumitur ad mandatum Domini, & ex speciali directione ipsius, cui se totaliter commiserat.

PEREGRINATIO ABRAM IN ÆGYPTO, ET REDITVS IN TERRAM CHANAAN.

SVb finem eiusdē anni, quo Abram ex Haran vrbe Mesopotamiæ recesserat, & cuius aliquot menses in sua profectione, aliosque in prædictis stationibus transegerat, facta est fames magna in terra, & Abram sub eadem Dei protectione, vel etiam speciali mandato descendit in Ægyptum, regionem scilicet imam & planam ex montibus Iudææ, vt ibi tanquam in terra fertili necessaria ad vitam suæ familiæ quæreret, alibi deficientia propter carentiam imbrium hoc anno, quam inundatio Nili suppleuerat. Voluit autem Dominus Abram fidelem seruum in Ægypto peregrinari, vt ipsum meritis tot peregrinationum cumularet, & vt Ægyptios eius exemplo ac fide ædificaret.

Sed cum in illo regno sub idololatria morum corruptio vigeret, videns Sarai coniugem suam esse valde pulchram, maximè comparatione mulierum Ægyptiarum, quæ vt plurimùm nimio solis ardore nigrescunt, certò coniecit quòd infideles illi ipsam adamarent, & vt securiùs possent conseruare, si scirent Abram esse maritum illius, interficerent

rent statim, vt sic vel legitimè desponsarent, vel impedirent ne ad maritum aliquando fugeret: vnde cum propè essent vt ingrederentur Ægyptum, dixit Abram Sarai vxori; noui quòd pulchra sis mulier,& quòd cum viderint te Ægyptij,dicturi sunt,vxor ipsius est,& interficient me & te reseruabunt: dic ergo, obsecro te,quòd soror mea sis,vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. Vbi nota quòd solùm necessitate compulsus Abram ingreditur Ægyptum,& confidens in Deo suo quòd in ipsum in omnibus protegeret, & pudicitiam suæ vxoris conseruaret,vsus humana prudentia rogauit ipsam vt diceret se esse sororem suam,quod verum erat, nam in scriptura cognati carne dicuntur fratres & sorores, quo sensu etiam alibi Abram vocat Lot suum fratrem;non autem rogauit,vt diceret se non esse vxorem ipsius,quod falsum fuisset: Vnde ex duabus veritatibus voluit vnam manifestare, aliam tacere.

Cum Abram ingressus Ægyptum fuisset, accidit quod prædixerat: Nam videntes Ægyptij mulierem quòd esset pulchra nimis, nuntiauerunt principes Pharaoni, scilicet Regi, & laudauerunt eam apud illum,& sublata est mulier in domum Pharaonis, cum se sororem Abram dixisset: Abram verò benè vsi sunt, fauore scilicet impendendo, & munera conferendo,propter illam:nam cũ Sara crederetur à Rege desponsanda,iam honorabant Abram vt futurum Regis cognatum, quo mediante multa sibi fore prospera credebant, multaque offerebant dona,& præsertim ipse Pharao: Vnde subditur,quod fuerunt ei oues & boues, & asini & serui, & famulæ (inter quas Agar Ægyptia), & asinæ, & cameli.

Hæc bona ex Ægyptiorum intemperantia Abram aduenerunt, & nullum malum: cum enim Pharao vellet Sara frui,Deus eius protectionem exercens vrgente tunc necessitate,flagellauit eum plagis maximis, tam in propria persona,cruciando scilicet in corpore;quàm in propria domo,variis scilicet infortuniis affligendo, quibus Pharao valde pressus

pressus optabat potiùs ab his flagellis liberari quàm amori & voluptati vacare. Tunc enim intellexit Pharao se talibus puniri flagellis, quia Sarai vxorem Abram sustulisset, & se ab illis non fore liberum, nisi marito suo intactam restitueret. Vnde statim iussit vocari Abram, quem Deo charum esse nouerat damno suo, ac reuerenter cum eo conqueritur, cur celauerit sibi Sarai vxorem ipsius esse, dicens esse sororem, dans occasionem erroris; & post querelam vxorem restituit dicens, nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam & vade, ac sic dimittens honorificè præcepit viris vt deducerent eum, & vxorem illius, & omnia quæ habebat.

Dicitur Abram in Ægypto per tres menses commoratus, quibus elapsis & adueniente fructuum & pascuorum abundantia, recessit ex Ægypto & ascendit montes Iudææ, ad australem scilicet eius partem, secum habens vxorem, Lot nepotem, & vniuersam substantiã quam possidebat in seruis & gregibus: Erat autem diues valde in possessione auri & argenti; reuersusque est per iter quo iuerat in Ægyptum, rediens à meridie in Bethel vsque ad locum vbi priùs fixerat que ad locum vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai in loco altaris quod fecerat priùs, & inuocauit ibi nomen Domini.

Sub hoc tempus ædificatur Memphis inclyta ciuitas Ægypti, quæ nunc etiam perseuerans sub nomine Chayri vastissima est, ad Nilum fluuium sita. Vnde relictis Thebis curia Regum successorum in hanc translata est ciuitatem, quam aliqui Babylonem Ægypti vocarunt, quia in magnitudine & magnificentia cum Babylone Chaldæorum competebat. Ex dictis constat in Ægypto tunc fuisse Regem sub nomine Pharaonis, quod à primo deriuatum est ad alios; ita vt Reges Ægypti multo tempore vocati sint Pharaones, sicut Imperatores dicti sunt Cæsares. Fuerunt quoque in aliis nationibus reges: His Abrahæ temporibus tres numerantur Sicyoniorum reges post Agialeum & Europs, videlicet Selchin, Apis, Thalesson: Primaria sedes huius regni fuit insula in Ægeo mari sita, Epidauro opposita, quod

regnum sub viginti quinque aut sex Regibus octingent[is] sexaginta duobus annis perseuerauit.

Cum familia tam Abram quam Lot plurimum creui[s]set, præsertim in gregibus & armentis, ita vt tantæ multitu[di]dini animalium pascua non sufficerent, cœperunt inter pa[s]stores Abram & pastores Lot oriri rixæ, quæ cum frequen[tes] tes essent, ac possent etiam ad Dominos redundare, suorum iura pastorum defendentes, sanctus Abram vt iurgiorum causam remoueret, persuadet Lot vt ab inuicem diuidantur statione, ne simul stantes ob iurgia diuidantur affectu, ipsi que nepoti dat optionem eligendi regionem quam malue rit: qui præuia inquisitione videns terram Iordani fluui adiacentem esse delitiosam ac plurimùm fertilem, maxime iuxta Pentapolim, quæ irrigabatur vt paradisus, hanc re gionem sibi elegit inhabitandam; & sic recessit ab Abram pattuo suo, qui remansit tunc iuxta Bethel.

Facta iam inter Abram & Lot separatione, apparens Do minus dixit ad Abram: *Leua oculos tuos, & vide à loco quo nunc es, ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occi dentem; omnem terram quam conspicis, tibi dabo & semi tuo vsque in sempiternum,* (id est longissimo tempore *faciamque semen tuum sicut puluerem terræ, surge & per ambula terram in longitudine & in latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.* Ad hoc præceptum Domini mo uens tabernaculum suum Abram venit, & habitau iuxta conuallem Mambre, sic nomine Domini dictam quæ est in Hebron, ædificauitque ibi altare Domino. Mir sanè sancti Patriarchæ pietas, qui statim ædificabat altare Domino, vbi nouum elegisset habitationis locum, in quibu vota sua reddebat Domino, & offerebat sacrificia.

Dum Abram habitaret iuxta conuallem mambre, acci dit quòd Reges Pentapolis, scilicet Bara rex Sodomæ Bersa rex Gomorrhæ, Sennaab rex Adamæ, Senneber rex Seboim, & rex Balæ siue Segor; postquam duodecim an nis fuissent tributarij Regis Elamitarum, decimo tertio an no noluerunt ipsum Dominum agnoscere ac tributum sol uere

uere: Chadorlahomor rex Elamitarum volens de nouo prædictos reges ſubiugare, congregat exercitum, alioſque reges in auxilium inuocat, Amraphel ſcilicet regem Sennaar (quam aliqui volunt eſſe Ninyam Aſſyriorum monarcham, ideò nominatum primo loco, alij verò dicunt eſſe regulum illius regionis prædicto monarchiæ ſubditum;) Thadal regem Gentium, & Arioch regem Ponti. Qui ſimul conuenientes & maximis inſtructi copiis, terram hoſtilem ingreſſi multa habitatoribus inferentes damna ferro & igni delebant omnia: cumque reges Pentepolis congregatum etiam exercitum contra eos adduxiſſent, inferiores viribus ceſſerunt, ac fugientes terram ſuam hoſtibus deripiendam reliquerunt, qui victoria vſi totam regionem diripuerunt, omnẽ illorum ſubſtantiã cum hominibus tranſferentes, & in hac vniuerſali clade cõprehenſus fuit Lot nepos Abram. Cum Abram tam funeſtum didiciſſet nũtium in conualle Mãbre, vbi tunc morabatur, confœderatus Mambre Amorrhęo fratri Eſcol, & Aner; ex ſuis vernaculis elegit trecentos decẽ & octo ad arma idoneos & expeditos; ac ſimul aſſumens Aner, Eſcol & Mambre cum aliis voluntariis terræ illius incolis, perſecutus eſt victores recedentes vſque Dan, ſcilicet ab extremitate meridionali Palæſtinæ vſque ad aliã extremitatem ſeptemtrionalem: cumque ibi certam de hoſtibus relationem habuiſſet, diuiſis ſociis irruit ſuper eos nocte, percuſſitq; eos, & perſecutus eſt eos vſque Hoba quæ eſt ad læuam Damaſci; reduxitque omnem ſubſtantiam, & Lot fratrem ſuum cum ſubſtantia illius, mulieres quoque & populum. Victori Abram redeunti, tanquam eximio benefactori occurrerunt populi & reges congratulabundi, vt rex Sodomorum, qui omnia ſpolia libenter obtulit Abram, ſolis contentus ſubditis: ſed vir ſanctus & magnificus nihil ſibi præter expenſarum conpenſationem, voluit, ſociis verò ſuæ expeditionis partem ſpoliorum acceptauit. At verò Melchiſedech rex Salem (poſtea Ieruſalem) proferens panem & vinum, erat enim ſacerdos Domini altiſſimi, benedixit ei, & ait; Benedictus Deus excelſus, quo prote-

gente hostes in manibus tuis sunt; & dedit ei decimas e[x] omnibus, scilicet Abram ex tunc cœpit decimam parte[m] dare Melchisedech, tanquam summo Sacerdoti, omniu[m] quæ quotannis sibi proueniebant, siue fructuum siue ag[ro]norum ac similium. Iosephus docet Salem esse dictam po[ste]stea Ierusalem, alij volunt hanc vrbem Salem fuisse pro[pe] Iordanem,& ibi ruinas domus Melchisedech adhuc osten[]di:quem fuisse verum Dei cultorem,summum sacerdotem ac eximium sanctum Scriptura testatur.

PACTVM DEI CVM ABRAHAM, & MVLTIPLEX PROMISSIO.

POst tam insignem victoriam,dilectus Deo & hominib[us] Abram morabatur in cōualle Mambre,iam inito fœ[de]re cum Mambre Amorrhæo regionis illius domino,ex [q]sic vallis illa denominabatur,ibique copiosam in seruis,[gre]gibus & armentis familiam habebat; & præter decim[as] quas summo sacerdoti Melchisedech sponte offerebat, [tri]butum aliquod Amorrhæo terræ domino quotannis solu[isse] coniicitur,vt incola regionis cū iure pascuorū admitteret[ur].

Viuens sic pacificè sanctus Patriarcha, & cultus Di[ui] Zelator eximius,multos Dei fauores obtinuit,& plures e[t] visiones.Et primò dixit illi in visione; *Noli timere Abr[am] ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis:* Cumq[ue] Abram se tendere ad mortem sine liberis allegasset, qui[bus] suam hæreditatem relinqueret, statim sermo Domini [fa]ctus est ad eum, promittens quòd non vernaculus Dam[as]cus Eliezer filius procuratoris eius esset futurus hæres,sed [fi]lius qui egrederetur de vtero eius:Disposuerat enim Abra[m] in defectu filiorum naturalium tandem hunc adoptare ve[r]naculum præ cæteris dilectum.

Secundò, promisit illi Dominus maximam posteroru[m] successionem, quasi stellas cœli: Vnde foras eum educe[ns] ait; *Suspice cœlum & numera stellas si potes, sic erit sem[en] tuum:*Credidit Abram Deo,& reputatū est illi ad iustitiam.

Tertiò, promisit illi Dominus, se daturum terram illam Chananæorum ipsi in semine ipsius, dicens; *Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam*: Cumque sanctus Patriarcha pignus aut signum aliquod talis promissionis à Domino petiisset, Diuino mandato sacrificium instituit mysticum, & postea constitutus in sopore & horrore magno Diuinum hoc habuit responsum de variis suæ posteritatis vicissitudinibus, hoc tenore sermonis: Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis; Verumtamen gentem, qui seruituti sunt, ego iudicabo, & post hæc egredientur cum magna substantia: Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona; generatione autem quarta reuertentur huc, necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus. Quasi dans rationem, quare tunc non daret illi in propria persona terram Chananæorum, quam postmodum ipsius semini daturus erat: quia scilicet populi possessores illius nondum compleuerant iniquitates, propter quos debebant de terra illa expelli, quas deinde compleuerunt, & expulsi sunt.

Quartò, in illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens; *Semini tuo dabo terram hanc à flumine Ægypti*, quo scilicet Palestina diuiditur ab Ægypto, vsque ad fluuium magnum Euphratem; Cinæos & Cenecæos, Cedmonæos & Hethæos, & Pheresæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Chanæos, & Gergesæos, & Iebusæos. Ex tunc hæc terra Chanaan vocata fuit terra Promissionis: Quòd si filij Israël posteri Abrahæ non illam possiderint in tota latitudine promissionis permanenter; hoc eorum ignauiæ ac infidelitati debet attribui; quia scilicet non omninò deleuerunt, cum possent, gentes illas: Vnde iniqua commiseratione parcentes illis, fouerunt hostes in medio sui, quibus ab integra possessione terræ promissæ fuerunt impediti, mò etiam continuis Phili-

ſthiim bellis attriti diu illis ſeruierunt,ad maximum ſui de-
decus & malum.

Facta promiſſione Diuina ſancto Patriarcha Abram de
tam numeroſa poſteritate, cum Sarai vxor illius videns ſe
ſterilem iudicaret hanc inſignem poſteritatem venturam
marito ex alia muliere, vt aliquam ibi partem haberet,
perſuaſit ipſi Diuino vt creditur inſtinctu,vt ad ſuam ancil-
lam Agar Ægyptiam intraret: vnde dicit ei;Ecce concluſit
me Dominus ne parerem, ingredere ad ancillam meam, ſi
fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios. Iam decem fluxerant
anni, ex quo Abram cum vxore terram Chanaan habita-
bat, cum ingreſſus ad Agar genuit filium, quem cum an-
cilla concepiſſet Dominam deſpiciebat: ſed cum mari-
annuente Sarai illam affligeret, domo aufugit, cum-
que vaga per ſolitudinem veniſſet iuxta fontem, occurrit
Angelus Domini, qui iubet eam in domum reuerti ac d-
minæ humiliari. Deinde didicit ab illo magnam ac in-
merabilem penè filij quem paritura erat poſteritatem, ſi
quoque didicit nomen futurum Iſmaël, quia Domin
audierat eius afflictionem. Agar ancilla videns ſe ab An-
gelo in nomine Domini apparente conſolatam, fontem il-
lum ſiue puteum appellauit, Puteum viuentis & videnti
Octoginta & ſex annorum erat Abram,quando peperit
Agar Iſmaëlem. Ab iſto Iſmaële denominati ſunt Iſma-
litæ, qui poſtea dicti ſunt Agareni, poſtremò Saraceni. I
maël virtute benedictionis Diuinæ, quia filius erat Abra-
ham, multos genuit filios.

Poſtquam Abram nonaginta & nouem annorum eſſe cœ-
perat,apparuit ei Dominus,dixitque ad eum: *Ego Deus om-
nipotens,ambula coram me, & eſto perfectus; ponamque fœd-
meũ inter me & te,& multiplicaberis vehementer nimis.*Ceci-
dit Abram pronus in terram. Dixitque ei Deus: *Ego ſum
& pactum meum tecum,eriſque pater multarum gentium;* nec
vltra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberi
Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te
faciamque te creſcere vehementiſſimè,& ponam te in gen-
tibus

tibus, regesque ex te egredientur: Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Ex tunc cœpit Dominus se Deum Abraham, Isaac & Iacob nominare, quasi hoc nomine glorioso gauderet: voluitque fœdus initum externo & apparenti signaculo consecrare. Vt autem ex semine Abraham electum haberet populum, iteratò terram Chanaan illi promittit dicens: *Dabo tibi & semini tuo terram & peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum.*

Signaculum autem fœderis sic statuit Deus; dicens ad Abraham: *Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis*; Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos: Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra; eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum: masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.

Nec ibi diuina promissa Abraham facta steterunt: imò & illi promittit filium ex Sarai coniuge dilecta, in quo prædictum fœdus firmare vellet, & factas promissiones complere. Propterea sicut priùs sancti Patriarchæ nomen ampliauit additione particulæ, ita vt qui dicebatur Abram seu Pater excelsus, diceretur postea Abraham seu pater multarum, videlicet gentium; postquam ei promiserat amplissimam posteritatem: sic deinde, postquam voluit intimare ipsi hanc eximiam posteritatē ex dilecta coniuge processuram, ampliauit nomen ipsius, non quidem additione particulæ, sed potiùs subtractione; ita vt quæ priùs dicebatur Sarai ab Abram, id est princeps mea, quasi domina

familiæ;

familiæ; diceretur postea Sara, siue princeps absolutè, qua si futura princeps multarum gentium. Vnde Deus ait ad Abraham: *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo.* Hæc audiens Abraham, non tanquam incredulus, sed attonitus de tam singulari promisso, cecidit in faciem suam adoraturus Deum de promisso tam grandi beneficio; sed prodigium extraordinarium in hoc considerans risit dicens in corde suo, putasne centenario nascetur filius & Sara nonagenaria pariet: & respondit Deo; Vtinam Ismaël viuat coram te: quasi diceret, pro maximo reputarem beneficio, quòd filium meum Ismaëlem conseruares, & tu Domine tam extraordinarium concedis beneficium, filium mihi ex Sara coniuge cum tot prærogatiuis promissas. His sancti Patriarchæ submissionibus commotus, uiter Dominus, promissiones factas Abraham ampliùs declarat, & extendit ad Ismaëlem propter ipsum. Vnde dixit ei: Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac, id est Risus ex prædicto risu patris: & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. Super Ismaël quoque exaudiui te, ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valde: Duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. Pactum verò statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.

Abraham de tot tamque magnificis promissis simul attonitus ac lætabundus, post redditas gratiarum actiones immensas, voluit statim initum cum Deo pactum circumcisionis exequi, tum in seipso, tum in filio Ismaël, tum in cæteris suis domesticis viris; quamvis exequutio foret ardua, & periculo vitæ non carens. Vnde tulit Abraham Ismaël filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, vniuersosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ, & circumcidit carnem præputij eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus. Erat autem nonaginta

ginta & nouem annorum, quos iam compleuerat & annum centesimum inceperat, quando circumcidit carnem præputij sui: & Ismaël filius tredecim annos impleuerat tempore circumcisionis suæ. Eadem igitur die circumcisus est Abraham, & Ismaël filius eius; & omnes viri domus illius, tam vernaculi quàm emptitij, & alienigenæ pariter circumcisi sunt. Circumcisio fuit Sacramentum antiquæ legis, quo non solùm exteriùs electus Dei populus signabatur, sed etiam interiùs masculi ab originali peccato mundabantur; qualiter autem fœminæ mundarentur, ignoratur: nunc in lege gratiæ sacramentum baptismi succedens circumcisioni, imprimit characterem Christianæ militiæ, & in omnibus peccatum origine abluit.

FAMILIARIS APPARITIO, & CONFERENTIA DEI CVM ABRAHAM.

HÆc est sexta Dei apparitio facta Abraham, sed ex multiplici capite commendabilis est præ cæteris. Primo, quia apparuit trinus & vnus: Secundo, quia familiariter cum illo comedit: Tertio, quia filium ex Sara coniuge efficaciùs promisit: Quarto, quia sua Diuina consilia & iudicia contra Sodomitas manifestauit: Quinto, quia precibus illius Lot de Sodomis liberauit; quibus toties & tam familiariter detulit.

Cum esset Abraham in conualle Mambre sedens ad ostium tabernaculi sui sub ipso feruore diei, paratus scilicet ad opera charitatis erga peregrinos exercendæ, tres vidit propè se viros, statim surgens in occursum cucurrit, ad eos perueniens humiliter adorat inclinatus vsque ad terram, officiosè inuitat ad hospitium: cuius precibus cum assensissent, sanctus Patriarcha iubet vxori panes subcinericios coquere, ipse verò ad armenta currens vitulum tenerrimum sumit & parat: simulque deferens lac & butyrum, mensam sub arbore suis hospitibus strauit, ipse verò stabat ibidem comedentes intuens & considerans.

Postquam

Postquam comederunt, in præmium hospitalitatis pro-mittunt Saræ eius vxori filium intra annum, quæ talem au-diens promissionem, & seipsam vetulam & Abraham ma-ritum iam senem considerans occultè risit, quasi diffi-dens de veritate promissionis: sed de hac diffidentia re-prehenditur ab hospitibus his; Nunquid Deo quid-quam est difficile, & iterum in facta promissione confi-matur.

Vbi de mensa surrexerunt, viam quæ ducit Sodomam in-grediuntur, simulque cum illis gradiebatur Abrahã aliqui-diu comitatus. Cuius humanitate ac excellenti charita-cõmotus Deus, statuit ei familiariter sua cõmunicare decre-ta. Vnde ait: Num celare potero Abrahã quæ gesturus sum cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ: scio enim quòd præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se, vt cu-stodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam, adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locu-est ad eum. Dixit itaque Dominus: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum a-grauatum est nimis; descendam & videbo, vtrum clam-rem qui venit ad me, opere compleuerunt.* Cumque ve-sùs Sodomam vlteriùs pergerent, Abraham misericord-motus pro miseris Sodomitis rogare cœpit; tamque effi-citer, quod ipsum Dominum instantia multiplici repe-ad hoc reduxerit; vt primò promiserit ipsi propter qui-quaginta iustos ibidem repertos toti impiorum multitudi-parcere, deinde propter quadraginta, vlteriùs propter tri-ginta, exinde propter viginti, ac denique propter decem. H-ita conclusis Dominus abiit, Abraham autem reuersus e-in locum suum.

Tunc mandato Dei duo Angeli venerunt Sodoma-vespere, quos sedens Lot in foribus ciuitatis humaniter co-legit, & ad suum hospitium non tam inuitauit, quàm co-git intrare, & solemne conuiuium eis parauit: antequam autem irent cubitum, Sodomitæ pessimi pulcherrimos vi-

dent

dentes iuuenes, turmatim ad domum Lot accurrerunt, & importunè dictos iuuenes ad vsum nefandi sceleris postulabant: cumque rationibus ipsius non acquiescerent, etiam duas nubiles filias obtulit eorum libidini, vt sic à nefanda prætensione cessarent, ostendens quantum illud scelus detestabatur, & quanto affectu suos hospites defendebat: faciens ex perturbatione talem filiarum oblationem, quam ex deliberato consilio sine culpa facere non potuisset; nullum quippe quantumcumque minimum peccatum debet quis facere, vt vitet aliorum peccata quantumcumque maiora. Cumque nefandi illi magis contra Lot insolescerent, ac vellent fores effringere, percusserunt eos Angeli cæcitate. Postea Diuinam diræ punitionis sententiam contra ciuitates illas manifestantes, dixerunt Lot vt omnes suos domesticos secum assumeret, ac simul de ciuitate illa mox delenda fugerent: qui foras egressus non potuit hoc generis suis qui accepturi erant filias eius persuadere, quibus visus est quasi ludens loqui. Cum iam mane esset Angeli compellebant Lot cum suis de ciuitate protinus exire: sed dissimulantes & moram trahentes manibus apprehenderunt, & extra ciuitatem posuerunt. Suadent vt statim ad vicinum montem conscenderent: sed Lot timens vel ascensus laborem, vel aliud in monte nocumentum, obtinuit in azilum ciuitatem Segor, ad quam Angeli iusserunt eos properare: eisque de Sodoma recedentibus præceperunt, ne post tergum suum respicerent; tum ad exercitium obedientiæ, vt illa liberationem suam pleniùs mererentur; tum in delectationem gentis sceleratæ, quàm à recedentibus néc respici volebant; Tum in reuerentiam Diuinorum iudiciorum, quæ potiùs metuenda quàm curiosius inquirenda sunt; Tum denique in signum necessariæ festinationis in fuga. Ad ortum solis Lot cum suis ingressus est Segor: Tunc Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia. Hanc terram fuisse de cœlo tactam, testatur ad perpetuam

rei

rei memoriam, humus nigra, exusta, ac cinere soluta, qua nascentia poma, licet extrinsecùs pulchra & matura appareant, intrinsecùs sunt hactenus putredine plena, & pressa fumum exhalant. Cum in recessu vxor Lot contra præceptum Domini post tergum respexisset, conuersa fuit in statuam salis, mutata videlicet substantia & remanente figura. Abraham verò consurgens mane, & procedens ad locum in quo die præcedenti cum Domino steterat, ac inde respiciens versùs Sodomam & cæteras ciuitates, vidit ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum.

Timens autem Lot sibi, vel quia non fideliter obediverat, & quasi violenter licentiam extorserat remanendi in ciuitate Segor, vel quia mortuos ibi vidit omnes illius incolas, sola ciuitate precibus eius conseruata, citiùs in montem conscendit, ibique speluncam suæ familiæ habitationi delegit: Cumque eius filiæ falsò & leuiter sibi persuasissent prædicto casu viros omnes interfectos, vt genus humanum conseruarent, inebriarunt Lot patrem suum, vt sic cum illo dormirent & filios conciperent: ex hoc concubitu incestuoso maior filia peperit filium Moab patrem Moabitarum, minor autem peperit Ammon patrem Ammonitarum.

PEREGRINATIO ABRAHAM IN GERARIS, & NATIVITAS ISAAC.

POst excidium Sodomorum profectus est Abraham de conualle Mambre in terram australem, & habitauit inter Cades & Sur, & peregrinatus est in Geraris. Causa huius transmigrationis & peregrinationis Abraham coniicio fuisse defectus pascuorum propè Hebron: Cum enim innumeros greges & armenta plurimùm copiosa diuersi generis nutriret, exigua vallis ipsi non sufficiebat: vnde sæpe huc illuc transmigrare debebat.

Accedit in illa peregrinatione, quòd Abimelech rex Geraræ, beneuolus receptor Abrahæ, videns Saram, & audi-

ab Abraham esse sororem ipsius, elegerit in vxorem, volens fortè tali matrimonio firmam stabilire societatem cum nouo hospite tam potente: vnde missis ad Abraham nuntiis honorariis tulit Saram in domum suam, quam sanctus Patriarcha tradidit ei, confidens in Domino quòd sibi coniugem suam ex domo regis reduceret incontaminatam. Quod ita contigit: nam cum elapsis aliquot diebus celebrandæ essent nuptiæ, & consummandum foret matrimonium, in ipsa nocte per somnium Dominus apparuit Abimelech, & mortem minitatus est, nisi Saram restitueret Abraham, cuius esse vxorem denuntiauit. Nimium exterritus Abimelech statim surgit, seruos aduocat, mysterium pandit, iubet acciri Abraham, cum eo conqueritur quòd ipsum ad periculum mortis euidentissimum adduxerit, imponens ipsi tradendo quasi sororem quam sciebat esse ipsius vxorem. Excusat se meliori modo quo potuit Abraham, & culpam in eius populum remisit, à quo timebat occidi, si Sara velut vxor habita fuisset, cum tamen causa illius quasi sororis creditæ fauores ab omnibus speraret. Tunc Abimelech agnoscens Abraham & innocentem coram se, & sanctum coram Domino, videns erga eum tam specialem Dei prouidentiam, multa contulit ei munera, seruos & ancillas, oues & boues, & insuper mille argenteos Saræ applicandos ad honestum capitis ornamentum conueniens mulieri nuptæ; ipsique Saræ recedenti præcepit ne vltra simili se astutia sororem Abrahæ diceret, & recordaretur se iam in æquiuocatione deprehensam fuisse. Concessitque Abrahæ facultatem amplam in terris suis habitandi vbicumque voluerit: precibus autem Abrahæ Deus sanauit Abimelech, & vxorem, & ancillas eius ab sterilitate, cui totam eius domum addixerat, quia Saram vxorem Abrahæ tulerat; & sic filios procreauit.

Regnabat apud Assyrios Arius monarcha, & decimum imperij annum agebat, cum Abraham centesimo suæ ætatis anno genuit ex Sara coniuge filium: Visitauit enim Dominus Saram, sicut promiserat, & impleuit quæ locutus est,

 concepitque

concepitque & peperit filium in senectute sua, tempore qu
prædixerat ei Deus. Vocauitque Abraham nomen filij su
quem genuit ei Sara, Isaac; & circumcidit eum octauo die,
sicut præceperat ei Deus, cum centum esset annorum, ha
quippe ætate patris natus est Isaac: dixitque Sara; *Risu
fecit mihi Deus, quicumque audierit, corridebit mihi*: Ru
sumque ait; *Quis auditurum crederet Abraham, quòd Sa
lactaret filium, quem peperit ei iam seni.*

Vix exprimi potest gaudium tam Abrahæ quàm Saræ
natiuitate filij sui Isaac, quem considerabant vt filium pr
missionis, in quo Deus decreuerat inclytam ipsius Abra
domum fundare. Vix credi potest qua amoris teneritud
Sara mater filiolum lactabat, qua sollicitudine Abrah
pater omnia ipsi necessaria prouidebat. Cum autem p
creuisset, ablactatus est, fecitque Abraham grande co
uium in die ablactationis eius, quam contigisse quinto
tis anno docet Hieronymus.

Simul Ismaël & Isaac fratres ex patre Abraham educab
tur: Ismaël circiter vigesimum ætatis agebat annum, & I
sextum. Cum quadam die vidisset Sara Ismaëlem fili
Agar Ægyptiæ ancillæ suæ ludentem cum Isaac filio suo,
sumque persequentem, vel malè tractando, vel quasi pri
genitum se ipsi præferendo, iusta indignatione commo
dixit ad Abraham: *Eiice ancillam hanc & filium eius,
enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Dure
cepit hoc Abraham pro filio suo Ismaële, quem plurim
etiam diligebat, & considerabat vt futurum authorem
tarum gentium: obedire tamen tenetur vxori Saræ dep
canti, ac simul Domino exequutionem imperanti, qui
xit ei; *Non tibi videatur asperum super puero, & super
cilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius,
in Isaac vocabitur tibi semen: sed & filium ancillæ facia
gentem magnam, quia semen tuum est*; quasi dixerit, ne
se est vt præcipuam Isaac curam geras, in cuius successi
honorificabo te, & benedicam omnes gentes; Vnde cum
cietas Ismaël alterius filij tui eius educationi nociua vid

tur,ac domus tuæ perturbatiua, eiice illum cum matre sua; nec inde contristeris, quia curam ipsius habebo propter te, quia filius tuus est, & faciam eum in gentem magnam.

Abraham Diuinum exequens mandatum, summo mane sumens panem & vtrem aquæ tradidit ancillæ, ac Ismaëlem puerum, ac dimisit fortè in Ægyptum patriam suam. Pergens ipsa cum filio errabat in deserto Bersabee, consumptaque aqua in vtre, videns se cum filio ad extremas redactam angustias, puerum sub arbore collocat,& inde aliquantulum recedit ne illum siti morientem videret, fleuitque plurimum. Tunc angelus Domini vocans Agar puteum ostendit,cuius aqua sibi & filio subuenire posset; & insuper promisit,quòd faceret filium ipsius in gentem magnam.Qui creuit, & moratus est in solitudine, factusque est iuuenis sagittarius: habitauitque in deserto Pharan,& accepit illi mater sua vxorem de terra Ægypti: ex qua genuit duodecim filios.

Deinde Abimelech videns Abraham sub Diuina protectione tam fœliciter in dies prosperare, sollicitauit ipsum ad strictum amicitiæ fœdus ineundũ, quod mutuò percusserunt, ac solemni iuramento firmauerunt in loco dicto postea Bersabee ex tali iuramento: Plantauit ibi Abraham nemus, & inuocauit nomen Domini Dei æterni; Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

Cum Isaac vigesimum secundum ætatis annum ageret, Egydius Sicyoniorum rex sextus,patre Thalesone defuncto regnare cœpit,& regnauit annis triginta quatuor. Cum autem Isaac esset viginti nouem annorum, Cres seu Orion primus Cretæ insulę rex regnare cœpit teste Eusebio,ipsamque insulã ex se Cretam denominauit,quæ habet in longitudinem ducenta septuaginta passuum millia, in latitudinem verò quinquaginta millia.Videtur ad principatũ totius Græciæ fuisse situata, cuncto siquidem imminet mari circa quod Græci sunt positi: imò videtur esse in medio mundi collocata;prima dicitur nauibus,sagittis,& scientiis claruisse;nunc est ditionis Venetæ. Cum illam præteritis annis Turcæ in-

uasiſſent,& Caneam ciuitatem iniuſtis armis cepiſſent,dein
ceps theatrum belli fuit,vbi Diuina prouidentia potiùs quã
humana virtute & induſtria præſtantes veniti,contra hoſt
tam infenſum & potentẽ ſoli non ſolùm ſteterunt,ſed etiã
cum ſtupore totius mundi variis illum victoriis fregerunt.

Ex inito cum Abimelech fœdere viuebat pacificus Abra
ham in Berſabee, cum Sara vxore & Iſaac filio, iam eni
Agar ancillam & Iſmaëlem filium dimiſerat; & ſic totu
amorem paternum in dilecto Iſaac filio vnitum habebat,q
cum miris tam naturæ quàm gratiæ dotibus polleret, ſu
in admirationem rapiebat parentem. Sed quia ſanctus P
triarcha Abrahã bonus erat, neceſſe fuit quòd tentatio p
baret illum: Vnde Dominus ait illi; *Tolle filium tuum qu
diligis Iſaac, & vade in terram viſionis* (*ſcilicet in conu
Mambre*) *atque ibi offeres eum in holocauſtum, ſuper vn
montium quem monſtrauero tibi.* Statim obedit Abraham
nocte conſurgens, & ſternens aſinum ſuum, aſſumpſit
iuuenes,& filium Iſaac tunc viginti quinque annorum: C
que pergerẽt ad locum ſacrificij præſcriptum,tertio die p
cul illum aſpexit. Tunc ibi relinquens iuuenes, ligna ſacri
cij impoſuit Iſaac, ipſe verò gladium & ignem defereb
ſimulque ad montem properant, quem tradunt poſtmod
montem Caluariæ denominatum, in quo poſtea Chri
Dominus immolatus fuit, cuius ſacrificij figura præcel
in hoc ſacrificio Iſaac. Cum incederent, obediens Iſaac
citatur à patre de hoſtia ſacrificij, qui totaliter in Domi
confidens reſpondit; *Deus prouidebit ſibi victimam ho
cauſti.* Vbi montem conſcenderunt,Abraham ædificauit
tare,& de ſuper ligna compoſuit; cumque alligaſſet Iſaac
lium ſuum,poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum
tenditque manum,& arripuit gladium, vt immolaret fil
ſuum.Sed Angelus Domini præcepit Abrahæ,ne filium i
molaret,ipſique ſubſtinuit arietem quem poſt ſe vidit co
bus hærentem. Poſt hæc in præmium obedientiæ dixit
*Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti h
rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me, b
dicam*

dicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris; possidebit semen tuum portas inimicorum suorum: benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. His ita gestis reuersus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabee simul, & habitauit ibi.

Sub hoc tempus nuntiatum est Abrahæ, quòd Melcha soror suæ vxoris Saræ & filia Aran fratris sui, genuisset in Mesopotamia filios Nachor, Hus primogenitum, & Buz fratrem eius, & Camuël patrem Syrorum, & Cased, & Aran, Pheldas quoque & Iedlaph, ac Bathuël de quo nata est Rebecca: Octo istos genuit Melcha Nachor fratri Abrahæ. Concubina verò illius nomine Roma peperit Tabre, & Gaham, & Tahas, & Maacha.

MORS SARÆ, NVPTIÆ ISAAC, ET ITERATVM CONNVBIVM ABRAHÆ.

REdierat Abraham cum familia ex Bersabee in conuallem Mambre ad Hebron, & ipse erat centum triginta septem annorum, Sara verò vxor eius erat centum viginti septem, & Isaac vtriusque filius erat triginta septem: Cum Sara sanctissima fœmina, & plurimùm dilecta tam à marito quam à filio, mortua est plena dierum ac bonorum operum, in vrbe Arbee quæ est Hæbron in terra Chanaan. Celebrauit Abraham cum filio officium solemne funeris, & tenero fleuit illam affectu: Cum autem surrexisset, voluit peculiare sepulchrum suæ domui appropriare; vnde quamvis filij Heth incholæ regionis honorificum obtulissent ipsi sepulchrum in electis suis, tanquam principi à Deo ipsis misso, post debitas gratiarum actiones, elegit speluncam duplicem quæ erat in agro Ephron filij Seor, & quadringentis argenti siclis siue vnciis emit: confirmatusque est ager quondam Ephronis, ipsi Abrahæ possibili solemnitate iuris, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre, tam ipse quàm

ſpelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum. Concluſa iam emptione tam agri quam ſpeluncæ duplicis, Abraham corpus Saræ ſepeliuit.

Ex tunc decreuit Abraham permanentem habere domum ſeu habitationem in conualle Mambre propè Hebron, quandoquidem agrum ibi & ſepulchrum ſuis poſteris emit; prius erat aduena & peregrinus in terra Chanaan. Ratio autem cur ibi potiùs quàm alibi ſuam elegit habitationem, potest adduci ſanctitas loci, in quo Deus toties tamque familiariter illi apparuerat, & maximè quia inde videbatur mons ille ſacer electus à Deo, ad quem deſtinatus fuerat vt ibi filium ſuum Iſaac immolaret, & in quo complenda fore aliquando Diuina redemptionis myſteria didicerat.

Erat autem Abraham ſenex, dierumque multorum, & Dominus in cunctis benedixerat ei. Cumque iam ſe mortem proximum iudicaret, voluit dilectum filium ſuum Iſaac nubilem deſponſare, vt ſic aptè domui ſuæ prouideret, præparans coniugem in cultu veri Dei fidelem filio ſuo ex paterna domo, vt ſic in ſua poſteritate fides Dei conſeruaretur immaculata. Videbat filias Chanaan idololatras, audiuerat Nachor fratrem ſuum in Meſopotamia copioſam filiorum & nepotum familiam habere, ex qua poſſet condignam filio ſponſam accipere.

Determinauit igitur honorificam mittere legationem in domum fratris ſui Nachor in Meſopotamia, vt inde puellam nubilem ad ſe adduceret. Vocat præcipuum ſeruorum ſuorum, qui plurimum confidebat, & ſolemne iuramentum ab illo exigit, quòd non acciperet vxorem filio ſuo de filiabus Chananæorum, inter quos habitabat, & nunquam filium ſuum in Meſopotamiam duceret, ſed in Palæſtina conſeruans ipſi ex domo fratris ſui Nachor vxorem adduceret, ſi poſſet ibi puellam inuenire quæ venire poſſet. His ita concluſis, ſeruus ille fidelis decem aſſumit camelos de grege domini ſui, quos ex omnibus bonis eius onerat, vt inde & conſanguineis Abrahæ, & futuræ filij eius ſponſæ pretioſa offerret munera. Iter confeſtim arripit, & in Meſopotami-

ſopotamiam ad vrbem Nachor properat, ſiue ipſe Nachor in patria ſua Vr Chaldæorum remanſerit, ſiue poſtmodum in Haran ad exemplum patris ſui Thare receſſerit. Cumque ad vrbem perueniſſet, & veſpere camelos ſuos iuxta puteum accũbere feciſſet, cœpit rogare Deum Domini ſui Abraham, vt fœliciter ſuam negotiationem terminaret; cuius inſpiratione iudicauit illam puellã virginem futurã ſponſam Iſaac, quæ ab ipſo rogata dare potũ aquæ, non ſolùm ipſi, ſed etiam camelis libenter offerret: vt iudicauerat, accidit; nam paulò poſt veniens Rebecca filia Bathuël filij Nachor fratris Abraham, tam officiosè huic ſeruo eiuſque camelis potum tribuit, quòd ſeruus ipſi ſtatim armillas & inaures aureas dederit. Cucurrit puella in domum, refert patri Bathuël & fratri ſuo Laban quæ viderat & audierat, ſibique data protulit munera: quibus Laban commotus feſtinus exit, ſeruumque Abrahæ cum camelis in ſuam domum introducit. Poſt exhibita vrbanitatis ſigna, ſtatim ſeruus ſuam manifeſtat legationem antequam comedat, & breui cunctis conſentientibus & maximè Rebecca concluſum eſt matrimonium.

Retinuiſſent libenter parentes Rebeccam ſuam, ſaltem per decem dies; ſed ſeruo Abrahæ reditum accelerante, ſtatim dimittitur; cui parentes omnia fore proſpera deprecabantur, eique nutricem dederunt comitem. Conſcenſis igitur camelis, feſtinus & lætabundus redibat ſeruus ad Dominum ſuum Abraham. Eo autem tempore deambulabat Iſaac per viam quæ ducit ad puteum, cuius nomen eſt viuentis & videntis, habitabat enim in terra auſtrali, & egreſſus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die; cumque eleuaſſet oculos, vidit camelos venientes procul. Rebecca quoque conſpecto Iſaac deſcendit de camelo, & ait ad puerum; Quis eſt ille homo, qui venit per agrum in occurſum nobis? dixitque ei, ipſe eſt Dominus meus: at illa tollens citò pallium operuit ſe. Seruus autem cuncta quæ geſſerat narrauit Iſaac, qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit eam vxorem, & in tantum dile-

xit eam, vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat,tem
peraret.

Quamvis Abraham fixum in conualle Mambre prop
Hebron elegisset habitaculum; cum tamen seruum misit i
Mesopotamiam, coniicitur fuisse in Geraris ad australe
plagam, quò rediit idem seruus expleta legatione, vbi in
uenit Isaac propè puteum viuentis videntis. Fortè illuc re
cesserat Abraham cum filio Isaac, ne videntes in Hebro
quotidie sepulchrum Saræ nimium contristarentur: vel for
tè iam Abraham separauerat à se filium, quem nuptui trad
re decreuerat, & remiserat ad regionem Geraræ vbi ma
& potior pars familiæ Abraham remanserat, quam filio tu
quam hæredi iam pater commiserat; & ipse nouam fam
liam in Hebron formare decreuerat, ducens aliam vxore
nec tamen multùm dissitæ erant huiusmodi stationes, po
rant enim pater & filius se sæpiùs visitare. Quod vide
confirmari ex hoc, quòd in reditu serui nulla fit men
Abrahæ in Geraris.

Abraham verò aliam duxit vxorem nomine Ceturam
quam sanctus Hieronymus Hebræos sequutus docet ea
dem esse ac ancillam Agar Ægyptiam, quæ de concubi
transiit in vxorem: hoc etiam tanquam probabilius sequi
D. Thomas, ac plures alij Patres & Expositores: sed S. A
gustinus libro 16. de ciuitate Dei cap. 33. Ceturam dis
guit ab Agar, ipsumque multi sequuntur. Duxit aut
Abraham post mortem Saræ secundam vxorem; non ex i
continentia, quæ cum tanta fidei sanctitate hac tam se
ætate non poterat subsistere; sed vt Deo nouos procrea
seruos, & sibi in graui senectute remedium prouideret. Co
uenientius autem fuit, vt Agar duceret, quam iam ante co
gnouerat, maturæ iam ætatis, quàm si iuniorem aliam assu
meret: Ad hanc etiam electionem concurrisse præsumitur
paternus & tener amor Abrahæ erga filium suum Ismaëlem
quem ex Agar prius genuerat: vnde ex consequenti connu
bio cum eius matre, ipsum reuocabat in domum, ex qu
ægrè dimiserat amore pacis & cócordiæ cum Sara seruand

Propterea

Proptérea breui tempore ſubſequenti ſimul in exequiis Abrahæ reperiuntur Iſaac & Iſmaël. Cur autem ſecunda hæc vxor Abrahæ vocetur Cetura & non Agar; vt indicetur quòd non amplius erat concubina, ſed vera vxor, Cetura enim idem eſt ac copulata ſiue coniuncta, vtique matrimonio.

Ex hac ſecunda vxore genuit Abraham plures filios eadem virtute ſibi Diuinitùs cõmunicata, videlicet Zamran, & Iecſan, & Madan & Madian, & Ieſboc, & Suë: Iecſan quoque genuit Saba & Dadan: Filij Dadan fuerunt Aſſurim, & Latuſim, & Loomim. At verò ex Madian ortus eſt Epha, & Opher, & Henoch, & Abida, & Eldua; omnes hi filij Ceturæ. Ioſephus docet, Abrahamum duxiſſe Ceturam vxorem, antequam ſeruum mitteret in Meſopotamiam pro vxore Iſaac; cui iam potiorem hæreditatis partem tradiderat.

MORS ABRAHÆ, & MVLTIPLICATIO POSTERITATIS IPSIVS.

CEnteſimus ſeptuageſimus quintus erat annus vitæ ſanctiſſimi Patriarchæ Abrahæ, cum didicit ſe breui moriturum. Tunc cœpit ſe Domino tam fideli feruentiùs commendare, vt animam ſuam in pace recipiens, in chorum ſanctorum Patriarcharum ſuorum prædeceſſorum per Angelos deduceret: Ipſam in manibus eius tanquam patris fiducialiter commendabat; cui confidenter dicere poterat; *Domine feci quod iuſſiſti, da mihi quod promiſiſti.* Simul diſpoſuit, vt cum dilecta coniuge ſua Sara in ſpelunca duplici ſepeliretur.

Deinde diſponens domui ſuæ, ac filiorum paci & tranquillitati, dedit Iſaac filio promiſſionis cuncta quæ poſſederat, id eſt reliquam partem ſubſtantiæ, quam ſibi ſanctus Patriarcha reſeruauerat, illi tradidit, & maximè agrum quem emerat; ipſique iniunxit, vt præſumitur, vt ad Hebron familiam ſuam reduceret, ibique impoſterum habitaret, ac

in ſpelunca duplici ſe ſuoſque filios ſepeliri iuberet. De fa-
cto ſic eueniſſe ex ſcriptura habetur, quæ tradit ipſum in
Gereram abiiſſe, vbi nunc tempore mortis Abrahæ dicitur
habitaſſe. Filiis autem concubinarum, ſeu concubinæ vt
exponit D. Thomas, vel fortè comprehenduntur etiam
concubinæ ſeruorum, largitus eſt munera, & ſeparauit eos
ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe viueret, ad plagam orien-
talem. Cauſa huius ſeparationis fuit; Tum quia terram
promiſſionis ſingulari ſuo hæredi Iſaac voluit relinquere:
Tum quia timuit ne progenies aliorum eſſet nociua poſteri-
tati Iſaac, ad verum Dei cultum electæ; Tum quia iudicauit
vtilius ſuos filios diſpergi, vt ſic plures occupando regiones,
ſaltem in hoc principio cultus veri Dei ampliùs dilataretur.
His ita diſpoſitis, ſanctus Abraham Patriarcha deficiens
mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæque ætatis, & plenus
dierum ac bonorum operum, congregatuſque eſt ad popu-
lum ſuum, ad ſanctos ſcilicet Patriarchas ſuos prædeceſſo-
res in Lymbo exiſtentes, qui deinceps poſt receptionem ta-
ti hoſpitis, ſinus Abrahæ cœpit in ſcripturis vocari, ad quem
omnes fideles ſancti tanquam ad patrem fidei deducebantur,
antequam Chriſtus Dominus Redemptor generis hu-
mani cœlos in ſua Aſcenſione glorioſa reſeraſſet. Corpus
autem ipſius ſepelierũt Iſaac & Iſmaël filij ipſius in ſpelunca
duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron filij Seor & Heth in
regione Mambre, quem emerat à filiis Heth, ibi ſepultus eſt
ipſe & Sara vxor eius. Quamvis autem Abraham alios ha-
beret filios iam nominatos, in eius tamen ſepultura fit tan-
tùm mentio Iſaac & Iſmaëlis, quia iſti iam erant viri, reliqui
verò paruuli.

Poſt obitum & ſepulturam Abrahæ, benedixit Deus Iſaac
filio eius, qui in his temporibus habitabat iuxta puteum
nomine viuentis & videntis, qui non multò poſt in conualle
le Mambre habitauit, vbi deceſſerant & ſepulti erant eius
parentes. Cæteri autem Abrahæ filij iuxta hiſtoricos He-
bræorum occupauerunt Ituræam, Traconitidem, & Ara-
biam vſque ad terminos maris rubri: Ait enim Ioſephus

His omnibus filiis ac nepotibus Abrahamus deducendi colonias author fuit, occupaueruntque Troglodyticam regionem, & Arabiæ fœlicis quidquid ad mare rubrum pertinet. Ac inter se etiam aliquantum diuisi, ac in illis regionibus diffusi terras à se cultas diuersimodè suis insignierunt nominibus. Inuenimus enim postmodum in sacris Scripturis terram Madian, terram Epha, & terram Ophir à filiis Abrahæ ex Cetura sic denominatam.

Specialem tamen filiorum Ismaëlis mentionem facit scriptura, vt ostenderet quàm fidelis fuerit Deus Abrahæ in promissis de ipso factis. Ait enim: *Hæ sunt generationes Ismaël filij Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ*: Et hæc nomina filiorum eius in vocabulis & generationibus suis. Primogenitus Ismaëlis Nabaioth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabsam; Masma quoque, & Duma, & Massa, Hadar, & Thema, & Iethur, & Naphis, & Cedma. Isti sunt filij Ismaëlis, & hæc nomina per castella & oppida eorum, duodecim principes tribuum suarum. Et facti sunt anni vitæ Ismaëlis centum triginta sepptem, deficiensque mortuus est, & appositus ad populum suum: Habitauit autem ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Ægyptum introëuntibus Assyrios, siue qua parte intratur in terram Assyriorum: coram cunctis fratribus suis obiit. Promiserat Dominus Abraham, quòd ex Ismaël duodecim duces populorum siue nationum generaret, vnde concessit ipsi duodecim filios, ex quibus duodecim populi vel nationes denominatæ sunt. Nam à primogenito eius Nabaioth omnis regio ab Euphrate vsque ad mare rubrum, quæ est pars Arabiæ, dicta fuit Nabathena: à Cedar dicta est Cedar regio in deserto, à Duma dicta est regio eiusdem nominis; sicut à Thema & Cedma denominatæ sunt regiones Theman ad austrum, & Cedma ad orientalem plagam: & sic de aliis.

Sed dimissis generationibus aliis, & prædictis per transennam tantùm adductis, scriptor sacer ad filium promissionis accedens, eius progeniem quasi singularem incipit describere. Hæ quoque sunt generationes Isaac filij Abraham: Abraham

Abraham genuit Isaac,qui cum quadraginta esset annorũ duxit vxorem Rebeccam,filiam Bathuëlis Syri de Meso-tamia,sororem Laban , quæ erat sterilis disponente sic De sicut & in Sara vxore Abraham, & Rachel vxore Iacob; ostenderet genus Israëlitarum,electi scilicet populi, non na-turali successione , sed gratia & fauore suo multiplicandu esse,sicut stellas cœli,& arenam quæ est in littore maris, promiserat fideli seruo suo Abraham, in præmium tam ex-ctæ ac promptæ ipsius obedientiæ.

Mœsta plurimùm erat Rebecca de sua sterilitate, plu-mùm quoque mœstus Isaac quòd tandiu fructu coniugij c-reret. Vnde tam desiderio filiorum, quàm amore coniug dilectæ , deprecatus est Dominum pro ipsa , qui exaudi eum & dedit conceptum Rebeccæ , duos enim concepit f-lios. Sed cum paruuli colliderentur in vtero eius,ipsa fra-no filiorum certamine pressa , quasi de conceptu dolens *Si sic mihi futurum erat , quid necesse fuit concipere.* C que hanc filiorum in vtero pugnam non tam naturali quàm prodigiosam , sibique ac ipsis filiis mortiferam c deret,perrexit ad altare,in quo consueuerat,à sancto Patri-cha Abraham erectum , vt de his consuleret Dominum,q respondens ait : *Duæ gentes sunt in vtero tuo , & duo po ex ventre tuo diuidentur,populusque populum superabit,& ior seruiet minori.*

Regnabat apud Assyrios Aralius monarcha,& quadrag-simum ac simul vltimum Imperij sui agebat annum : & a-huc perseuerabat in senectute bona Abraham, quando Isa filio suo iam sexagenario gemini nati sunt ; imò quindecim annis eorum natiuitati superuixit:vnde nepotes suos,& m-ximè Iacob potuit in multis instruere præscius futurorũ.Cu iam tẽpus pariendi Rebeccæ matri aduenisset, qui prior g-minorum egressus est, rufus erat , & totus in morem pell hispidus , vocatumque est nomen eius Esaü : Protinus alte egrediens,plantam fratris tenebat manu,& idcircò appella-uit eum Iacob , id est supplantator. Eusebius refert sanctum Isaac continentiam singularem seruasse Rebecca consentien-

te,

te poſtquam hos geminos procreauit.

Miram filiorum curam tam Iſaac quàm Rebecca geſſerunt, cum adhuc eſſent paruuli, illos in timore Domini educantes. Cum iam eſſent adulti: Eſaü ſe totum venationi & agriculturæ occupauit, Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis. Iſaac amabat ſpecialiter Eſaü, eo quòd de venationibus illius veſceretur, & quia negotiis agriculturæ magis erat idoneus, vnde maximum patris ſollicitudini præſtabat ſubſidium. Rebecca verò plus diligebat Iacob; tum ob prædictam reuelationẽ, qua didicerat fratrem ei quaſi domino in ſuis poſteris ſeruiturum; tum quia Iacob manẽs in tabernaculis, matremque adiuuans in rebus domeſticis, cum aliàs eſſet ſimplex & candidus, matris eius miras dotes contemplantis amorem tenerrimum meruerat; tum quia vt plurimum diuiſi ſunt amores parentum, ſi enim pater quempiam filiorum plus alio diligat, mater plus diligit alium à patre minus dilectum, velut inſtinctu naturæ, quæ in huiuſmodi filiorum dilectione quærit æqualitatem.

Accidit quadam die, quòd Iacob manens domi coxit pulmentum: ad quem cum veniſſet Eſaü de agro laſſus ait; *Da mihi de coctione hac rufa, quia valde laſſus ſum.* Cui dixit Iacob; *Vende mihi primogenita tua.* Primogenituræ multæ dignitates ac vtilitates erant annexæ: nam tunc in lege naturæ primogenitus habebat dignitatem ac veſtem ſacerdotalem, qua Deo offerebat ſacrificia: finalem benedictionem in conuiuiis, ac duplicem ferculorum partem: Duas partes hæreditatis, ac primam vbique ſedem aut ſeſſionem. Reſpondit Eſaü: *En morior fame, quid mihi proderunt primogenituræ?* Replicat Iacob; *Iura ergo mihi*: Iurauit ei Eſaü, & vendidit primogenita. Et ſic accepto pane & lentis edulio, comedit & bibit, & abiit paruipendens quòd primogenita vendidiſſet.

Hoc tempore monarchiam Aſſyriorum gubernabat Baleus cognomento Xerces, qui à primo Iſaac triginta regnauit annis. Apud Sicyonios regnabat Thurimacus, & regnauit annis quadraginta quinque. Anno Iſaac ſexageſimo primo

cœpit

cœpit regnum Argiuorum, quorum primus rex fuit Inac per annos quinquaginta, cui successit Phoronæus eius fil & deinde successiuè alij, qui regnauerunt annis quing quadraginta quatuor vsque ad Perseum, qui regnum Ar uorum transtulit Mycenas. Hic primus Argiuorum rex l chus præter Phoronæum filium regni successorem, habui liam nomine Ysidem postea reginam Ægypti, tota hæc p uincia à ciuitate metropoli dicta fuit primo Argos, dei à Thessalo rege denominata fuit Thessalia, in qua post dum ædificata fuit Thessalonica ciuitas, nunc etiam lebris.

PEREGRINATIO ISAAC, & VAR EIVS SVCCESSVS.

ORta fame super terram post eam sterilitalem, qu ciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abim regem Palæstinorum in Gerara. Quia fortè in eius di satis ampla maior erat rerum victui necessariarum co cum magis accedat ad Ægyptum, vbi ex inundatione fluminis impenguatur terra, maximaque reperitur abund tia tritici, quæ tempore famis vicinioribus prouinciis fa communicatur. Aliunde verò Abimelech intimus Abraham, & eandem cum Isaac contraxerat amicitiam sertim cum tot annis apud eum mansisset cum sua fami ibi namque degebat, dum Rebecca ad eum venit ex M potamia.

Cum autem ex Hebron Isaac venisset ad Abimelech, & set in Geraris, apparuit ei Dominus & ait: *Ne descen in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi, & p grinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi; Tibi enim semini tuo dabo vniuersas regiones has*, complens iuram *tum quod spopondit Abraham patri tuo. Et multiplic semen tuum sicut stellas cœli, daboque posteris tuis v uersas regiones has: & benedicentur in semine tuo om gentes terræ, eo quòd obedierit Abraham voci meæ, &*

custodi

ſtodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias legeſque ſeruauerit. Voluit Dominus ſuas promiſſiones iam ante factas Abraham, Iſaac etiam immediatè ac familiariter manifeſtare, vt ipſum ad perſeuerantiam in fide parentis ac in bonis operibus animaret: maximè tunc cum vrgente fame deberet peregrinari, ac multum pati.

Manſit itaque Iſaac in Geraris: cumque interrogaretur à viris loci illius ſuper Rebecca vxore ſua; reſpondit ſuam eſſe ſororem: timuerat enim confiteri quòd ſibi eſſet ſociata coniugio, reputans ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinem; in hoc ſanctum parentem imitatus. Mirabitur quis, cur Abimelech verbis Iſaac decipi potuerit, cum Iſaac eſſet in Geraris apud Abimelech, dum Rebeccam duxit vxorem, quod non latuit ipſum regem. Dicendum tamen, quòd tunc mulieres coniugatæ, & nunc etiam in oriente non vagantur, imò nec ab exteris ordinariè videntur: & cum aliàs iam per aliquot annos Iſaac cum Rebecca & tota familia receſſiſſet de Geraris, facilè potuit contingere, quòd Rebecca poſt reditum ibi non agnoſceretur. Cognita tamen fuit à rege Abimelech, velut vxor Iſaac, cum curioſiùs rex per feneſtram reſpiciens, vidit Iſaac cum Rebecca iocantem, ſiue familiaritate maritali cum ea conuerſantem. Et tunc aduocatum ad ſe Iſaac, & de hac veritate conuictum reprehendit: ſimulque timens, ne ſimilis punitio ſibi populoque ſuo inferretur à Deo, qualem priùs propter Saram vxorem Abraham paſſus fuerat; præcepit omni populo dicens, *Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur.*

Colens Iſaac in Geraris agros, vel iam aliàs poſſeſſos, cum ibi moraretur, vel acquiſitos de nouo, ſeuit triticum & alia ſemina, & inuenit in ipſo anno centuplum. Nec mirum: ſemper enim Palæſtina fuit admodum fertilis; nunc etiam, vt in illis partibus didici, tempore ſterilitatis ſemina multiplicant vſque ad vigeſimum, tempore autem ordinario vſque ad quadrageſimum, ſed tempore fertilitatis vſque ad ſexageſimum: & ſegetes ſic creſcunt, vt æquitans quis intra ipſas latere poſſit. Vnde benedictione Domini locupletatus

tus est Isaac,& ibat proficiens atque succrescens, donec m-
gnus vehementer effectus est : habuit quoque possessio-
ouium & armentorum , & familiæ plurimum.

Propterea inuidentes ei Palæstini,omnes puteos quos f-
derant serui patris illius Abraham , illo tempore obstru-
runt, implentes humo: In tantum vt ipse Abimelech dice-
ad Isaac ; *Recede à nobis , quoniam potentior nobis fact-
es valde.* Isaac cedens inuidiæ , recessit inde , & vltra pr-
grediens versùs torrentem Geraræ, tabernaculum ibi fix-
cœpitque fodere alios puteos, quos foderant serui patris
Abraham , & quos illo mortuo olim obstruxerant Phi-
sthiim ; appellauitque eos eisdem nominibus quibus a-
pater vocauerat. Foderuntque in torrente , & reperer-
aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit inter pastores G-
raræ & pastores Isaac,singuli namque ad seipsos aquam
tinere dicebant , sed diuersis titulis : propterea vocau-
puteum illum calumniam : Foderunt etiam alium pute-
pro quo etiam rixati sunt ; vnde Isaac appellauit eum ini-
citias. Visa huiusmodi cõtradictione, proficiscitur inde Is-
& fodit alium puteum , pro quo non contenderunt ; ita-
vocauit nomen eius *latitudo*,dicens, *Nunc dilatauit nos D-
minus , & fecit crescere super terram.*

Inde digressus, iuit in Bersabee , vbi apparuit ei Do-
nus in ipsa nocte dicens : *Ego sum Deus Abraham patris-
noli timere , quia ego tecum sum : Benedicam tibi , & m-
tiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham* : I-
que pius Isaac ædificauit ibi altare, & inuocato nomine D-
mini extendit tabernaculum,pręcepitque seruis suis vt fo-
rent puteum. Videns Abimelech , quòd Isaac benedictio-
Domini semper cresceret , ac potens in omnibus euader-
Cum aliàs illum apud se residentem in Geraris offendis-
imò expulisset , timuit ne potentior effectus vindictam-
se & populo suo pro iniuriis sumeret. Vnde necessit-
compulsus decreuit ad eum accedere,vt fœdus stabile cum-
iniret. Venit igitur ad Isaac in Bersabee de Geraris rex A-
melech,& secum adduxit Ochozath amicum suum, & Ph-

col ducem militiæ : Hos videns Isaac, attonitus de eorum aduentu, dixit eis; *Quid venistis ad me, hominem quem odistis & expulistis à vobis?* Ipsi responderunt: *Vidimus tecum esse Dominum, & idcircò nos diximus, sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet; sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini.* Acceptans Isaac qualemcumque eorum excusationem, fecit eis conuiuium, & post cibum & potum surgentes mane iurauerunt sibi mutuò, dimisitque eos Isaac pacificè in locum suum.

Cum Isaac centum esset annorum, & Esau filius eius quadraginta, hic parentibus inobediens duxit successiuè duas vxores ex nobilioribus Chananæis, scilicet Iudith filiam Beeri Hethęi, & Basemath filiam Elon eiusdem loci: secundam fortè duxit propter sterilitatem primæ. Quæ ambæ offenderunt animum Isaac & Rebeccæ, vel quia idololatræ, vel quia alienigenæ, vel quia turbulentæ. Cum autem Isaac viginti supra centum annos ageret, in prouincia Attica Græciæ magnum accidit diluuium regnante Ogyge, quod propterea dictum est Ogygium, & medium fuit inter Noëmiticum illud maximũ, in quo nulli homines euaserunt, nisi qui in arca esse potuerunt, & aliud diluuium Deucalęonis, quod contigisse dicitur anno sexagesimo septimo Moysis; quo maius fuit istud Ogygium: Vtriusque diluuij mentionem facit S. August. lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 8. Hoc tempore regnabat in monarchia Assyriorum Armamitres seu Armatrites.

Dum senuisset Isaac & caligassent oculi eius, accidit quòd Iacob arte mirabili matris inductione paternam benedictionem Esau fratri suo præripuerit. Sic casum narrat scriptura. Quodam die Isaac Patriarcha coniiciens se iam morti proximum, vocat Esau primogenitum suum, iubetque sumptis armis ad venationem procedere, vt sic afferens de venatione benedictionem ipsius impetraret. Hæc audiens Rebecca dilecto suo Iacob persuadet vt de grege duos afferat hædos, quorum carnem in cibum patris pararet, & pellibus

nuda colli & manuum tegeret: Renitentem filium metu pa-ternæ indignationis tandem ſuo conſilio compellit aſſenti-ri. Dum in agris vagatur Eſau, afferuntur hædi, parantur ci-bi, & cætera mandantur exequutioni: Tunc introgreſſus ad patrem Iacob, oblatis cibis benedictionem petit, quam pater concedit reſponſionibus & tactu filij deceptus. Vnde ait: *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus; Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini; Et ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus, eſto domine fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij ma-tris tuæ; qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus; & qui bene-dixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Vix completa huiuſ-modi benedictione, & vix egreſſo Iacob accedit Eſau affe-rens patri de venatione ſua, qui audiens præreptam ſibi à fratre benedictionem, indignatur ſummopere, ſupplantato-rem ex ſuo nomine vocat, & irrugiens clamore magno pa-uam tantùm & ſecundariam obtinuit benedictionem: quam pater ita largitur: *In pinguedine terræ, & in rore cœli deſu-per erit benedictio tua, viues in gladio, & fratri tuo ſeruies, tempuſque veniet, cum excutias & ſoluas iugum eius de ſer-uicibus tuis.* Tunc Iſaac creditur fuiſſe annorum centum triginta octo, Iacob autem & Eſau ſeptuaginta octo: Belo-chus verò monarcha Aſſyriorum agebat annum decimum imperij.

PROFECTIO IACOB IN MESOPOTAMIAM SYRIÆ.

ODerat Eſau fratrem ſuum Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater; dixitque in corde ſuo: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Hæc audiens Rebecca mater, quæ Iacob ſpeciali dilectione pro-ſequebatur, ipſum vocat, dixitque malum fratris animum in eum; Ac ſimul ſuadet, vt inde fugiens proficiſcatur in Haran Meſopotamiæ ad Laban fratrem ſuum & auuncu-lum ipſius, donec requieſceret furor Eſau ex eius abſentia re-

moto

moto indigationis obiecto, promittens ei se congruo tempore reuocaturum. Nouerat efferatum Esau animum, qui sola patris reuerentia, timens exhæredari ac maledici ab ipso, ab effusione fraterni sanguinis abstinebat: formidabat etiam ipsa simul vtrumque amittere filium, Iacob quidem morte violenta, Esau verò fuga post fratricidium arrepta.

Vt electa Iacob in Mesopotamiam profectio tutiùs ac fœliciùs succederet, iudicauit necessarium esse patris beneplacitum. Vnde accedens ad Isaac ait: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth; si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.* Isaac iam plurimum offensus ab vtraque nuru vxore Esau Hethæa, consilium Rebeccæ approbat de profectione Iacob: ipsumque vocans ac benedicens, præcepit eî ne duceret coniugem de genere Chanaan, sed proficisceretur in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuël aui eius materni, & acciperet inde vxorem de filiabus Laban auunculi. Statim Iacob acquiescit patri, iam matris suæ consiliis præuentus: Vnde breui paratis omnibus iamiam profecturus accedit ad patrem eius benedictionem petiturus, quam his verbis Isaac impertitur: *Deus omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet, vt sis in turbas populorum: & det tibi benedictiones Abrahæ & semini tuo post te, vt possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est auo tuo.*

Dimissus cum hac benedictione paterna, & cum fœlicibus matris suæ votis profectus Iacob venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuël Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ. Hæc audiens Esau, vt sibi patrem ac matrem conciliaret, quos sciebat Chananæis offensos, iuit ad domum Ismaëlis patrui sui iam defuncti, & ex eius filiabus germanis suis duxit vxorem, absque iis quas priùs habebat, Maheleth filiam Ismaël filij Abraham, sororem Nabaîoth.

Profectus Iacob de Bersabee pergebat Haran: post secundum aut tertium diem itineris, cum vesperi decubuisset supponens lapidem capiti suo, ac dormiens requiesceret, mysticam vidit scalam in terra, cuius summitas cœlum at-

tingebat, & in ea vidit Angelos aſcendentes & deſcendentes, ac ipſum Angelorum Dominum ſcalæ innixum. Dum hanc viſionem mirabundus aſpiceret Iacob, ipſum audit Dominum ſic alloquentem: *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac; Terram in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo, eritque ſemen tuum quaſi puluis terræ, dilataberis ad occidentem, & orientem, & ſeptemtrionem, & meridiem: Benedicentur in te & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ, & ero cuſtos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc; nec dimittam, niſi adimpleuero vniuerſa quæ dixi.* Cumque euigilaſſet Iacob de ſomno illo myſtico, ait; *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam*: totuſque pauidus ait; *Quàm terribilis eſt locus iſte! non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli.* Surgens ergo Iacob mane tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum de ſuper: appellauitque nomen vrbis *Bethel*, id eſt *domus Dei*, quæ prius *Luza* vocabatur. Vouit etiam votum dicens: *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum; reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum vocabitur* domus Dei, *cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

Perueniens Iacob in ciuitatem Meſopotamiæ Haran, ad quam tendebat, propè illam in agro reperit puteum, ad quem tres ouium greges accubabant, expectantes cæteros, quia mos erat ibi paſtoribus ſimul omnes greges adaquare, amouentibus ex ore putei præ grandem lapidem quo tegebatur, ne quilibet ad libitum aquam hauriret, quæ fortè non ſuperabundabat. Interrogat Iacob illos paſtores, vnde ſint, & reſpondentes ſe eſſe de Haran, rursùs interrogat an nouerint Laban filium Nachor, non quidem immediatum, ſed mediatum ſiue nepotem, erat enim filius Bathuëlis filij Nachor: Hi ad interrogata ſigillatim reſpondentes, dicunt illum benè valere; & ſubdunt affuturam breui Rachel eius

filiam.

filiam. Quam vt vidit cum grege venientem, amouit lapidem de ore putei, & gregem eius adaquauit, significans se eius esse germanum, & osculatus eam eleuata voce fleuit, vel præ gaudio, vel præ amoris teneritudine. Ipsa statim ad patrem festinans nuntiat aduenisse Iacob suum consobrinum.

Laban statim accurrit obuiam Iacob, inuentum salutat, amplectitur, & in oscula ruens ducit in domum suam. Vbi post multas de salute parentum suorum, & maximè matris Rebeccæ sororis ipsius, audiens causam suæ profectionis & fugæ in Mesopotamiam, ipsum solatur dicens, *Os meum es & caro mea.* Transacto mense, cum Iacob auunculo suo Laban sedulò ministraret: noluit auunculus gratuitum eius esse ministerium, & interrogans de mercede quam vellet, audit nepotem offerre seruitium septem annorum, vt ei traderetur Rachel filia ipsius in vxorem; Tunc enim emebant, & nunc etiam in oriente viri emunt vxores suas ab eorum parentibus. Inito pacto, & euolutis septem annis seruitij, Iacob dilectam suam Rachelem petit: sed in tenebris substituitur Lia eius soror maior; hæc lippis erat oculis, Rachel autem decora facie & venusto aspectu.

Mane sequenti detecta fraude, Iacob mœstus ad auunculum & socerum accedit, ac de sua deceptione lamentatur. Verùm audiens congruam ipsius rationem, promittit se per alios septem annos seruiturum pro Rachele, quo pacto inito, & euolutis septem annis Rachelem suam obtinet vxorem. Cuilibet filiæ Laban pater vnam tradit ancillam, Liæ scilicet Zelpham, Racheli verò Balam. Tradunt Hebræi Liam & Rachelem fuisse gemellas sorores, & Liam fuisse natiuitate priorem. Bala verò data Racheli ancilla, dicitur filia Rhethæi fratris Delboræ nutricis Rebeccæ, & traditur esse nata eadem die qua Rachel.

NATIVITAS FILIORVM IACOB, ET EIVS REDITVS IN TERRAM CHANAAN.

CVm Iacob amorem Rachelis amori Liæ prætulisset, quasi despiciens Liam, voluit Dominus hunc Iacob defectum corrigere & afflictum Liam consolari. Vnde aperuit vuluam eius, Rachele sterili tunc permanente seu non fœcunda: quæ consecutiuè denis quibusque mensibus quatuor filios produxit. Primogenitũ vocauit Ruben, qui interpretatur visionis filius, dicens; *Vidit humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.* Secundogenitum vocauit Simeon, qui interpretatur Auditio, dicens; *Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi.* Tertiogenitum vocauit Leui, qui interpretatur Additio seu appositus, dicens; *Nunc quoque copulabitur firmo amore mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios.* Quartogenitum vocauit Iudam, qui interpretatur confessio seu gratiarum actio, dicens; *Modo confitebor Domino:* Cessauitque pro tunc parere, deinceps alios filios paritura. Cernens Rachel, quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ tam fœcundæ. Cumque videret se non posse concipere, tradit Iacob marito suo Balam famulam suam in coniugium, vt genitos inde filios quasi proprios reputaret. Bala duos Iacob peperit filios: primum illorum Rachel vocauit Dan, qui interpretatur iudiciũ, dicens; *Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam dans mihi filium:* Secundum autem vocauit Nephtali, qui vertitur Æquiparatio, dicens; *Comparauit me Deus cum sorore mea, & inualui.* Lia cum parere desiisset, mota æquali contra sororem inuidia, Zelpham quoque famulam suam marito tradit in cõiugem, volens ex illa filios suscipere quasi proprios: quæ duos peperit filios; priorum primũ Lia vocauit Gad, lætè suscipiens illum, dixitque; *Fœliciter:* Secundum verò vocauit Aser, dicens, *Hoc pro Beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres:* In natiuitate prioris se fœlicem, in posterioris autem natiuitate se vocat beatam, quod magis est.

Non multò post ipsamet Lia quintum concepit & peperit

rit filium : Occaſio illius traditur in ſcriptura dicente,quod Ruben primogenitus Liæ egreſſus ad campum tempore meſſis triticeæ mandragoras inuenit, quas domi Rachel videns vehementer appetiit,quia pulchras viſu & odoriferas : conuenerunt Rachel & Lia pro mandragoris, quòd illa nocte Lia maritum haberet, qui ſeruandæ pacis domeſticæ cauſa debitum coniugale diuidebant vxoribus : Natum inde filium Lia mater vocauit Iſſachar,dicens ; *Dedit Deus mercedem mihi,quia dedi ancillam meam viro meo.* Peperit quoque ſextum, quem vocauit Zabulon, dicens ; *Dotauit me Dominus d*[illegible]*e bona, etiam hac vice mecum erit maritus meus* (per affectum ſpecialis amoris) *eo quod genuerim ei ſex filios.*Poſtquam peperit filiam nomine Dinam.

Recordatus quoque Dominus Rachelis exaudiuit eam,& aperuit vuluam eius:quæ concepit & peperit filium, dicens; *Abſtulit Deus opprobrium meum*, & vocauit nomen eius Ioſeph, qui vertitur additio ſiue Augmentum, dicens, *Addat mihi Dominus filium alterum.* Opprobrium erat magnum mulieribus Iudæis, amiſſa virginitate carere fructu coniugij : propterea ſic anguſtiabatur Rachel carens filiis poſt aliquod tempus celebrati coniugij. Et coniicitur ſuis precibus ſterilitatem euaſiſſe, & fœcunditatem filiorum obtinuiſſe. Ex dictis coligitur,Iacob ſpatio ſeptem annorum ex quatuor coniugibus duodecim proles genuiſſe, vndecim ſcilicet filios,& vnam filiam.Ex Lia quidem genuit Ruben,Simeon,Leui,Iudam,Iſſachar, Zabulon, & Dinam : Ex Bala genuit Dan, & Nephtali : Ex Zelpha genuit Gad, & Aſer ; ac tandem ex dilecta Rachele primaria vxorum genuit Ioſeph,& poſtmodum in terra Chanaan genuit Benjamin.

Finitis quatuordecim annis, quibus Iacob conuenerat cum Laban auunculo & ſocero ſuo pro duabus filiis eius, voluit cum illis ac filiis ad patriam redire : quod cum Laban indicaſſet, videns ille quàm proſperè cuncti greges ſub directione nepotis ac generi ſui procederent, permittere noluit,timens ne eius diſceſſu ſua proſperitas deſineret. Vnde libenter obtulit munera pro annis præteritis : quæ tamen

generosè respuens Iacob,solum cum eo nouum init pactum pro futuro labore,vt sic deinceps copiosæ suæ familiæ quatuor vxorum ac duodecim filiorum prouideret. Conuenerunt igitur primò, vt oues maculosæ forent merces Iacob, albæ verò & nigræ manerent Laban: facta hac conuentione Diuinitùs Iacob edoctus,accepit virgas populeas, quas cum ex parte decorticasset ponebat in canalibus, vbi oues bibebant, vt eas tempore conceptionis videntes maculosos conciperent agnos. Hoc autem fecit Iacob instinctu Domini, vt sic iniustitias Laban contra Iacob compensaret.

Cum Diuina benedictione ditatus esset Iacob vltra modum, habens greges multos, ancillas & seruos, camelos & asinos,cœperunt filij Laban contra eum murmurare,& apertè dicere quòd bona patris sui abstulisset:ipse quoque Laban cœpit toruis eum oculis respicere:quod aduertens Iacob vocat ad se in campū vbi erat,vxores suas filias Laban,illis præsentibus exponit patris ac fratrum ipsarum malum erga se animum: seipsum iustificat in bonorum eius administratione,quamvis ius omne contra ipsum violasset sæpius mutando mercedem. Tandem concludit, sibi ex præcepto Domini apparentis redeundum esse in terram natiuitatis suæ. Paratus ad hoc inuenit Iacob vxores, æqualiter de domo patris sui querulas ac dicentes; *Nunquid habemus residui quidquam in facultatibus & hæreditate domus patris nostri; Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum: sed Deus tulit opes patris nostri,& eas tradidit nobis ac filiis nostris; Vnde omnia quæ præcepit tibi Deus fac.*

Videns Iacob in vxoribus tam promptum discedendi ex domo paterna animum, statim profectionem parat, ac breui dispositis omnibus surrexit, & impositis liberis ac coniugibus suis super camelos abiit: Tulitque omnem substantiam suam, & greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan: Traditur enim iam mortua esse mater eius Rebecca.Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues,& Ra-

chel furata est idola patris sui; noluitque Iacob confiteri socero suo, quòd fugeret.

Recesserat igitur Iacob cum tota familia vxorum & filiorum, ac omnibus quæ sui iuris erant, ex domo Laban, & Euphrate transmisso reliquerat iam Mesopotamiam, ac vlterius procedens pergebat contra montem Galaad, cum tertia die post eius discessum nuntiatum est Laban quòd fugeret. Tunc Laban assumptis fratribus suis magna cum diligentia septem diebus illum insequutus, tandem attingit in monte Galaad: furens, vt præsumitur, & vlcisci volens insequebatur; sed Deus protector Iacob in somnis apparet Laban, & strictè prohibet non solùm nocere sed nec asperè loqui contra Iacob. Vnde Laban suaues tantùm formans quærelas sic ait ad Iacob: *Quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas quasi captiuas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis? non es passus vt oscularer filios meos & filias: stultè operatus es, & nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum; sed Deus patris vestri hori dixit mihi, caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius. Esto ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui, cur furatus es deos meos?* Iustificauit se Iacob quoad alia, de idolis nesciens quidquam consensit necari qui illa furatus erat, quæ tamen ipse Laban omnem scrutatus supellectilem, arte Rachelis delusus inuenire non potuit. Tandem post varias hinc inde contestationes fœdus æternum societatis inierunt, erecto ibi aceruo lapidum in titulum: vnde mons ille deinceps dictus est *Galaad*, id est *tumulus testis.* Post inuocationem Dei, & victimarum oblationem, Laban de nocte consurgens osculatus est filios & filias suas, & benedixit illis, reuersusque est in locum suum.

Inde progressus Iacob obuios habuit Angelos, quos intuitus ait; Castra Dei sunt hæc, quorum occursu iudicare debuit cũcta sua sub Dei esse protectione. Deinde præmisit nuntios ad Esau fratrem suum in terram Seir in regionem Edom, vt ei significaret suum de Mesopotamia reditum cum fami-

lia valde copiosa & plurimis gregibus. Cumque ex redeuntium nuntiorum relatione resciuisset Esau fratrem suum in occursum suum cum quadringentis viris venire, timuit valde, & postea sibi prouidens omnem substantiam in duas turmas diuisit. Tum ad Deum recurrens enixè deprecatur vt promissiones sibi factas compleret, circa eius protectionem, filiorum multiplicationem, gratiasque simul agit, quòd cum Iordanem cum solo baculo in sua profectione transierit, nunc in reditu cum duabus turmis illum transmittat. Ipsum præsertim exorat, ne permittat quòd Esau sibi vel suis noceat.

Die sequenti de his quæ secum habebat separauit munera fratri suo, Capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas & arietes viginti, camelos fœtas cũ pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum decem. Et misit per manus seruorum suorum singulos seorsum greges, illisque præcepit vt antecederent ipsum gregibus per spatia diuisis. Ac simul iniunxit, vt obuium habentes Esau humiliter salutarent, & dicerent hæc omnia ipsi in munus oblata, & fratrem eius paulò post sequentem. His ita præmissis, cum Iacob alia die maturè surrexisset, tulit duas vxores suas, & totidem famulas cum vndecim filiis, & transiuit vadum Iaboc, traductisque omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane, qui cum videret quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora:* Respondit Iacob *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Ait ergo; *Quod nomen est tibi?* Respondit; *Iacob.* At ille; nequaquam, inquit *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis.* Interrogauit eum Iacob; *Dic mihi, quo appellaris nomine* Respondit; *Cur quæris nomen meum?* Et benedixit ei in eodem loco. Vocauitque Iacob nomen loci illius *Phanuël*, dicens; *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea:* Ortusque est statim sol, postquam transgressus est Phanuël

Phanuël ; ipse verò claudicabat pede.

Eleuans autem Iacob oculos suos, vidit venientem Esau, & cum eo quadringentos viros, diuisitque filios Liæ & Rachel,& ancillarum:& posuit vtramque ancillam & filios earum in principio ; Liam verò & filios eius in secundo loco, Rachel autē & Ioseph nouissimos. Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius, qui accurrens osculatus est eum, & amplexatus fleuit. De singulis interrogans Esau, & agnoscens esse vxores ac filios fratris sui gauisus est,& vix Iacob rogante munera quæ præcesserant acceptauit. Cumque vellet Iacob & familiam eius honorifico ac securo illo comitatu deducere : Noluit ipse Iacob gratiam acceptare; Vnde illo die reuersus est Esau cum suis in Seir, Iacob autem venit in Socoth,vbi ædificata domo & fixis tentoriis habitauit : Transiit deinde in Salem vrbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, & habitauit iuxta oppidum, emitque partem agri in quo fixerat tabernacula,à filiis Hemor patris Sichem centum agnis,& erecto ibi altari inuocauit super illud fortissimum Deum Israël. Ecce Iacob reducem de profectione Mesopotamiæ, in qua viginti consumpsit annos:quo tempore moritur Belochus Assyriorum monarcha, cui successit Baleus II. in Imperio.

INCOLATVS IACOB IN TERRA CHANAAN.

PRomiserat Iacob fratri suo Esau, quod ipsum sequeretur in Seir,seu in Edom aut Idumæam : Sed postea mutauit sententiam, & timuit illò ire, ne leui forsitan occasione redintegrata tunc amicitia frangeretur. Vnde venit in Socoth, vbi per annum cum dimidio mansisse dicitur.

Deinde transiit in Salem vrbem Sichimorum, vbi empto agro plurimum spatioso, sed vili pretio centum agnorum propter defectum incolarum, octo mansit annis, non intra sed iuxta vrbem in agro quem emerat fixis tentoriis familiæ & gregibus.

Dum

Dum in Sichimis moraretur Iacob, & Dina eius filia iam esset nubilis, annorum scilicet sexdecim & quatuor mésium curiositate ducta paternam domum egressa ingreditur oppidum, vt videret & alloqueretur mulieres regionis illius. Quam vt vidit Sichem filius Hemor Heuæi adamauit, rapuit, & vi opprimens deflorauit, nimiumque tristem blanditiis deliniuit. Sic adhæsit affectu puellæ Sichem, quòd eam à patre suo petierit vxorem : vnde pater & filius principes terræ illius ad domum Iacob festinarunt vt connubium puellæ impetrarent, ac firmam societatem mutuam inirent, ita vt adinuicem filias nuptui traderent, & ex duobus vnus efficeretur populus. Redierant ex pascuis filij Iacob, qui stupro sororis sauciati, & desiderio vltionis fæuientes responderunt illis principibus in dolo, se non posse cum illis inire societatem nisi circumcidantur. Assentiunt tandem principes, suumque persuadent populum legem circumcisionis admittere, propositis pluribus commodis consequentibus prædictam societatem. Vnde circumciduntur omnes : Sed tertia die, quando vulnerum dolor erat grauissimus, Simon & Leui duo filij Iacob fratres Dinæ, arreptis gladiis assumptisque pluribus aliis ex seruis & mancipiis, ingressi sunt vrbem, & omnes permiscuè ferientes gladio penitùs deleuerunt, nec pepercerunt ipsi principi, & sororem suam Dinam inde abstulerunt. Quibus egressis irruerunt super occísos cæteri filij Iacob, & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri : Oues eorum, & armenta & asinos, cunctaque vastantes quæ in domibus & in agro erant; paruulos quoque eorum & vxores duxerunt captiuas. His auditis Iacob dixit audacter ad Simeon & Leui : *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ huius; nos pauci sumus, illi congregati percutient me, & delebor ego & domus mea.* Cui responderunt : *Nunquid vt scorto abuti debuere sorore nostra?*

Hoc filiorum Iacob facinus tot fuit sceleribus impletum, quòd vicinis populis horrorem ac indignationem commoueret in paucos aduenas, qui regionis incolas & domin[...]

crudeliter occiderant. Vnde videtur infallibile, quòd simul congregati domum Iacob ferro flammaque deleuissent, tum vlciscentes amicorum necem, tum parem sibi sortem ab aduenis illis timentes: sed Deus Abraham, & Isaac, & Iacob, qui sæpiùs ipsis dixerat, *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*, in hoc extremo rerũ discrimine succurrit Iacob, qui valde timidus se totum eius prouidentiæ committebat.

Vnde locutus est Deus ad Iacob, dicens: *Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum.* Tunc Iacob conuocata omni domo sua Diuinum transmigrationis mandatum indicauit. Præcepitque singulis, vt capta Sichimis idola, inaures ac spolia omnia sibi traderent, vt sic mundarentur, & mutatis vestibus in locum sanctum Bethel ascenderent, ibique altare Deo excelso erigerent, qui suæ profectionis in Mesopotamiá socius fuerat. Cum Iacob prædicta spolia obtinuisset, ea infodit subter terebinthum quæ est post vrbem Sichem.

Cum profecti essent de Sichimis, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes. Venit igitur Iacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel, ipse & omnis populus cum eo, ædificauitque ibi altare, & appellauit nomen loci illius, *Domus Dei*, ibi enim apparuit ei Deus, cum fugeret fratrem suum. Tunc ibi mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum, vocatumque est nomen loci illius, *Quercus fletus.*

Iacob in monte Bethel commoranti rursùs apparuit Deus, & confirmans iam impositum ei nomen Israël, benedixit dicens, *Non vocaberis vltra Iacob, sed Israël erit nomen tuum*, quod saltem in posteris eius inualuit, nam deinceps Israëlitæ, non autem Iacobitæ dicti sunt. Simulque suas confirmans promissiones, subiunxit: *Ego Deus omnipotens, cresce & multiplicare; gentes & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur: terramque quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi & semini tuo post te.* Post apparitionem Iacob in gratiarũ actionem erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat

rat ei Deus, libans ſuper eum libamina, & effundens oleum, vocanſque nomen loci illius, *Bethel*, id eſt, *Domus Dei*.

Accedente verno tempore volens Iacob familiam ſuam ad patrem Iſaac adhuc viuentē adducere, egreſſus Luza ſiue Bethel versùs meridiem progrediens venit Ephratam. Tunc accidit, quòd Rachel grauida dolores partus grauiſſimos pateretur, ita vt præ dolore animam ageret: Et imminente iam morte vocauit filium ſuum *Benoni*, ſeu *filium doloris mei*: pater autem vocauit eum *Benjamin*, ſeu *filium dexteræ*. Mortua eſt ergo Rachel, & ſepulta in via quæ ducit Ephratā ſeu Bethleem: erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius. Corpus igitur eius fuit terræ defoſſum, & impoſitis ſepulchro duodecim lapidibus ad numerum filiorum ſuorum, ſuperpoſuit alium lapidem maiorem ad inſtar pyramidis acuminatum. Quadraginta circiter quinque annorum eſſe creditur Rachel cum mortua fuit. Quantum ex eius morte mœrorem contraxerit, & luctum fecerit Iacob, colligitur euidenter ex ſingulari amore, quo præ cæteris illā diligebat.

Vlteriùs progrediens fixit tabernaculum trans Turrem gregis: Hebræi volunt hunc eſſe locum, vbi poſtea fuit ædificatum templum Salomonis, de quo Michæas dicit; *Et turris gregis nebuloſa filia Sion*: Sed ſi ſequamur ordinem vel ſeu itineris Iacob ex Salē venientis in Hebron iam tranſacta Ephrata ſiue Bethleem, potiùs eſt locus paſtorum iuxta Bethleem, vbi vel grex Angelorum in ortu Domini fuit, vel Iacob pecora ſua parit loco nomen imponens, vel quod verius eſt, quodam vaticinio futurum iam tunc myſterium in hoc monſtrabatur, & ob illud ſic prius erat locus ille vocatus. Hæc docet S. Hieron. Tunc accidit inceſtus ille turpis Ruben primogeniti Iacob cum Bala eius vxore, qui maxime Iacob afflixit.

Diſcedens inde peruenit Iacob ad Iſaac patrem ſuum in Mambre, ciuitatem Arbee, hæc eſt Hebron, in qua peregrinatus eſt Abraham & Iſaac. De quo dicit D. Thomas, quòd Scriptura loquitur de primo aduentu perſonalis viſitationis: ſatis eſt mirabile quòd poſt reditum ex Meſopotamia tan-

tempore deſtiterit viſitare patrem ſenem & cæcum: vnde videtur quòd ſolùm loquatur de illo aduentu, quo cum tota familia & gregibus ſuis venit manſurus cum patre ſuo in Hebron. Vnde præſumitur, quòd ſtatim poſt ſuum aduentum in terrã Chanaan patrem viſitauerit, & munera detulerit, vbi fratrem Eſau dimiſit. Deinde ad familiam rediens deſcriptas fecit ſtationes ad mandatum Domini, ac tandem ordine prædicto totam familiam ad domum patris reduxit: In qua iam mortua Rachele tres erant vxores, Lia ſcilicet, Bala & Zelpha: Duodecim filij, & vna filia; ex Lia Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Iſſachar, Zabulon, & Dina; ex Bala Dan, & Nephtali; ex Zelpha Gad, & Aſer; ac tandem ex dilecta Rachele Ioſeph, & Benjamin.

Iam à multo tempore iacebat ſenex ac cæcus Iſaac, antequam enim Iacob proficiſceretur in Meſopotamiam, caligauerant oculi eius præ ſenectute. Nunc complecti dicuntur dies illius centum octoginta annorum, conſumptuſque ætate mortuus eſt, & appoſitus populo ſuo ſenex ac plenus dierum: Sepelierunt eum Eſau & Iacob filij ſui. Non dubium, quin ante mortem ſanctus hic Patriarcha domui ſuæ diſpoſuerit, facultates ſuas valde amplas filiis diuidens, cum debita proportione, ne aliter efficiens pro hæreditate rixas & inimicitias relinqueret. Iam propriis diues erat bonis Iacob: acceſſione hæreditatis paternæ ditiſſimus eſt effectus, ſicut & Eſau frater ipſius, cuius poſteritatem nunc recenſemus.

POSTERITAS ESAV IN EDON SIVE IN IDVMEA.

TRes duxit Eſau vxores, vt ſupra dictum eſt, duas quidem ex genere Chananæorum, tertiam autem germanam ſuam ex Iſmaële patruo ſuo: quæ diuerſis in ſacra Scriptura nominibus appellantur. Prima dicitur Ada filia Elon Hethæi, Geneſ. cap. 36. quæ cap. 26. dicta fuit Baſemath. Secunda dicitur priori loco citato Oolibama filia Anæ filiæ Sebeon, quæ poſteriori dicta fuit

Iudith filia Beeri Hethæi. Tertia dicitur Basemath filia Ismaël, quæ cap. 28. Dicta fuera Mahelet. Ex tribus his vxoribus genuit Esau quinque filios in terra Chanaan; ex Ada genuit Eliphaz; ex Oolibama genuit Iehus, Ihelon & Core; ex Basemath genuit Rahuël.

Hæc erat familia Esau in terra Chanaan, quando mortuus est Isaac, in qua etiam plures filiæ continebantur. Post mortẽ patris tulit Esau vxores suas, & filios & filias, & omnem animam domus suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan, & abiit in alteram regionem, recessitque à fratre suo Iacob: diuites enim erant valde, & simul habitare non poterant, nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum; habitauitque Esau in monte Seir, ipse est Edom. Constat, quòd Esau adhuc viuente patre iam ex parte recesserat in Edom ad montẽ Seir. Vnde venit in occursum Iacob fratris sui redeuntis ex Mesopotamia, & quò recessit post mutuam ipsorum salutationem: Sed nunc totaliter illuc recessisse dicitur, translata penitùs omni familia & substantia sua post mortem patris.

Postquam Esau, qui & Edom, & Seir etiam nominatur loco habitationis, recessit ex Chanaan in terra Edon ad montem Seir, cœpit eius posteritas plurimum augeri. Primogenitus eius Eliphaz plures genuit filios tam ex præcipua vxore quã ex concubina, quos duces vocat, quia fuerunt capita familiarum; videlicet ex vxore genuit Theman, Omar, Sepho, Cenez, Gatham: Ex concubina verò Thamna genuit Core & Amalech: his adiungi debent filiæ, quæ in Scriptura sacra rarò nominantur. Qui omnes ex Esau & Ada eius vxore processerunt.

Nulla fit mentio posterorum Esau ex Oolibama vxore, sed tantùm tres eius filij nominantur, tanquam duces & capita familiarum; videlicet Iehus, Ihelon, & Core.

Plures autem assignantur posteri Esau ex Basemath vxore, quæ genuit ei Rahuël: ipse verò Rahuël sequentes genuit filios, duces & capita familiarum; scilicet Nabath, Zara, Samma, & Meza. Hi Esau posteri terram Edom seu Idumæam

prin

priùs vt aduenæ incoluerunt: postmodum autem vt domini, postquam habitatores terræ illius subiugarunt. Vnde imposterum reges ac Duces Idumææ prouinciæ ex posteris Esau nominati reperiuntur.

Habitatores terræ Edom, quando illud aduenit Esau, dicebantur filij Seir Horræi, qui montem illius regionis ex se denominauit montem Seir. Hic genuit hos filios, scilicet Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Dison, Eser, & Disan. Lotan primogenitus Seir genuit Hori, & Heman, habuitque sororem cui nomen Thamna. Sobal secundus filius Seir genuit Aluan, Manahar, Ebal, Sepho, & Onam. Sebeon tertius filius Seir genuit Aia, & Ana; qui habuit filium Dison, & filiam Oolibama. Dison quintus filius Seir: nam Ana quartus non dicitur genuisse filios, genuit Hamdan, Esceban, Iethram, & Charan. Eser sextus filius Seir genuit Balaam, Zauan, & Acan. Disan septimus filius Seir genuit Hus, & Aran. Qui omnes dicuntur duces Horræorum, qui imperauerunt in terra Seir.

Cum posteri Esau potentes effecti terram Edom subiugarunt, ex suis reges constituerunt, qui cunctis nationalibus imperarent, antequam haberent regem filij Israël. Primus rex dictus est Bela, nomenque vrbis eius Denaba; Secundus fuit Iobab filius Zare de Bosra; Tertius Husan de terra Themanorum; Quartus Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab, & nomen vrbis eius Auith; Quintus fuit Semla, de Masreca; Sextus fuit Saul, de fluuio Rohoboth; Septimus fuit Balanan filius Achobor; Octauus fuit tandem Adar, nomenque vrbis eius Phau, cuius vxor vocabatur Meetabel filia Matred filiæ Mezaab.

Postquam Idumæi descendentes ex Esau bellis lacessiti, & ab Israëlitis subiugati de prima illa gloria deciderunt, non amplius Reges, sed tantùm Duces habuerunt, qui sibi hoc ordine successerunt: Primus fuit Thamna, deinde Alua, Ietheth, Oolibama, Ela, Phinon, Cenez, Theman, Mabsar, Magdiel, Hiran. Hi duces Edom habitantes in terra imperij sui, descendentes ab Esau patre Idumæorum: quorum

principatus tempore Regum Iuda & Israël perdurauit.

VENDITIO & TRANSLATIO SANCTI IOSEPH PATRIARCHÆ IN ÆGYPTVM.

MOrtuo Isaac in Hebron,& recedente in terram Edom Esau, Iacob Patriarcha habitauit in eodem loco terræ Chanaan,qui conuallis Mambre,& vallis Hebron dictus est vbi pater eius Isaac, & auus Abraham decesserant, ibique maiorem familiæ partem habebat,vt in domo paterna: cogebatur tamen propter immensa bestiarum armenta, & innumeros greges, illam diuidere. Vnde filios maiores gregibus & armentis præfectos huc illuc mittebat pascuorum causa, & præsertim in terram Sichem, vbi priùs habitauerat, & agros emerat. Iam aliquot annorum spatio odium Sichimorum in filios Iacob deferbuerat,iustam ipso patriarcha sancto satisfactionem ac compensationem illis pro damno illato faciente.Domi tamen retinebat filiolum Beniamin & dilectum præ omnibus filiis suum Ioseph, qui miris tum naturæ tum gratiæ donis præditus erat consolatio patri sui & baculus senectutis.

Singularis amor Iacob erga Ioseph filium suum,tot significationibus externis comprobatus, præsertim tunicæ polymitæ ipsi à parente traditæ, magnum aliorum contra eum concitauit odium: vnde non poterant ei quidquam pacificè loqui. Summam etiam causauit inuidiam, quam confirmarunt somnia Ioseph puerili simplicitate fratribus relata,quibus se dominaturum illis prænuntiabatur; vt dum dixit, *Se vidisse collectos in agro fratrum manipulos, cadentes in terram suam in medio stantem manipulum adorare*; & dum retulit,*se vidisse solem,& lunam, & stellas vndecim ipsum adorare*. Quæ sic relata fratribus indignationem lethalem ipsi quoque patri molestiam causarunt.

Cum alij fratres Ioseph in pascendis gregibus patris mo-rarentur in Sichem, & Iacob ab aliquo tempore nunt[ios] eorum caruisset,decreuit dilectum Ioseph illò mittere,vt vi-der[et]

deret si cuncta prosperè erga fratres & pecora procederent, & rediens singula sibi renuntiaret. Erat tunc Ioseph sedecim annorum, & aliquali etiam experientia artem pascendi nouerat, nam adhuc puer in valle Hebron cum fratribus pascebat gregem, quos crimine pessimo apud patrem accusauerat, quod magis communiter creditur fuisse peccatum contra naturam.

Missus Ioseph de valle Hebron venit in Sichem, vbi cum fratres non inuenisset, diligenter huc illuc discurrens quærit: cumque per agros errando ab occurrente sibi homine didicisset illos recessisse in Dothain, post illos festinauit. Vt apparuit amabilis Ioseph, eius aspectu, odium contra se fraternum renouauit: vnde aliqui; & præsertim ab illo priùs accusati, cum vidissent eum procul cogitauerunt occidere, & mutuò iam efferati loquebantur: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusque, Fera pessima deuorauit eum, & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua.* Non æquè omnes oderant Ioseph: Ruben mitior in illum fuit; audiens enim malignum fratricidarum consilium, nitebatur liberare eum dicens; *Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem, sed proiicite eum in cisternam hanc quæ est in solitudine, manusque vestras seruate innoxias;* Hoc autem dicebat, volens illum eripere de manibus eorum, & reddere patri suo.

Vix ad fratres peruenerat Ioseph, cum statim illum nudant tunica talari & polymita, ac miserunt in cisternam veterē. Accidit tunc illuc Ismaëlitas mercatores transire, venientes de Galaad, & in Ægyptum proficiscentes, quibus ex consilio Iudæ viginti argenteis Ioseph vendiderunt; quem dicti mercatores Ismaëlitæ siue Madianitæ duxerunt in Ægyptum. Ruben, qui fortè tunc aberat dum venderetur Ioseph, accedens ad cisternam solatij vel adiutorij causa, cum eum non inuenisset, scissis vestibus pergens ad fratres suos ait; *Puer non comparet, & ego quo ibo:* Reliqui verò fratres, vt crimen suum patri celarent, sumpto sanguine hœdi tunicam Ioseph inficientes ac lacerantes miserunt qui eam ferrent ad Ia-

cob,dicentes; *Hanc inuenimus, vide vtrum tunica filij tui sit, an non.* Quam cum agnouisset pater,ait: *Tunica fili mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph*; Scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Congregatis autem cunctis eius filiis,vt lenirent dolorem eius, noluit consolationem accipere, sed ait; *Descendam ad filium meum in infernum.*

Madianitæ peruenientes in Ægyptum, vendiderunt Ioseph Putiphari Eunucho Pharaonis, magistro militum siue principi exercitus viro Ægyptio,qui sic Ioseph æstimauit & dilexit post aliquam prudentiæ ac fidelitatis eius experientiam, vt ipsum velut idoneum dispensatorem domus suæ constituerit, & eius dispositioni cuncta commiserit. Cuius intuitu benedixit Dominus domui Ægyptij, & multiplicauit tam in ædibus quàm in agris cunctam eius substantiam. Sed quia Ioseph erat pulchra facie, & decorus aspectu,eius domina vxor Putiphari amore illius exarsit, & ad nefarium opus impudenter inuitauit, cui castissimus & Domino fidelissimus iuuenis consentire noluit, rationibus eius insolentiam repellens: sui mulier impos vltra prosequitur sanctum Ioseph,& quadam die cum solum inuenisset domi, vestimentum eius arripuit, volens ad peccatum pertrahere; verùm ille relicto in manibus dominæ trahentis pallio discessit. Cumque vidisset mulier eius vestem in suis manibus,altè clamat, domesticos aduocat, quibus accurrentibus cœpit de Ioseph conqueri,quasi vim sibi voluisset inferre,& effugisse forasi psa succlamante & auxilium postulante,cuius rei testimonium pallio eius ostenso confirmabat: Deinde etiam marito iisdem argumentis suam imposturam persuasit: vnde ipse nimium credulus verbis suæ coniugis iratus est valde, tradiditque Ioseph in carcerem. Fuit autem Dominus cum Ioseph,& misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris, qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos, qui in custodia tenebantur, & quicquid fiebat sub ipso erat.

Dum Ioseph carceri mancipatus detinetur in Ægypto

in terra Chanaan Iudas frater eius venit Odollam, ibique diuertit ad ciuem Hiran nomine, cum esset annorum viginti: & videns eius filiam Suë dictam accepit vxorem, ex qua tres suscepit filios, videlicet Her, Onan, & Sela. Has Iudas inscio patre celebrauit nuptias, qui Abrahæ & Isaac vestigiis inhærens filiis præceperat ne cum Chananæis societatem coniugalem inirent. Hoc tempore apud Sicyonios regnabat Messapus nonus eorum rex, qui primo nati Ioseph anni regnare cœpit. Hoc etiam tempore Leui tertius Iacob filius, cum esset viginti octo annorum, duxit vxorem nomine Melcham, ex qua tres suscepit filios, scilicet Gerson, Caath, & Merari: Gerson fuit primogenitus, alij duo consecutiuè sequentibus annis nati sunt.

LIBERTAS, & SVMMA GLORIA PATRIARCHÆ IOSEPH IN ÆGYPTO.

HVmiliatus erat Ioseph in carcere: sed Deus illum exaltauit, & gloriosum effecit in Ægypto, mirabili modo de carcere liberando. Contigit quòd duo ministri regis Ægypti, magister scilicet pincernarum & princeps pistorum, coram rege delinquerent, qui plurimùm iratus eos carceri mancipauit, vbi Ioseph detinebatur. Cum, vt vidimus, custos carceris Ioseph diligeret, ac omninò confideret ipsi, nouos hospites eius curæ commisit, quibus ipse multa charitatis & consolationis officia sedulus impendebat.

Accidit quadam die, vt ambo ministri regis noctu congrua sibi somnia haberent, quæ sequenti die Ioseph accedenti narrauerunt. Magister pincernarum fœlicem sui somnij interpretationem à Ioseph consequitur, cui cum libertatem post tres dies, ac proprij officij restitutionem prædixisset, se eius pietati commendat, dicens: *Memento mei, cum benè tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furte sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.* Princeps autem pistorum infelicem somnij sui consequutus inter-

pretationem, post tres dies iuxta prædictionem Ioseph suspenditur.

Ad pristinam dignitatem restitutus pincerna factæ promissionis Ioseph obliuiscitur, donec transactis duobus annis occasione memorabili memor illius effectus, causa fuit eius libertatis. Somniauit Pharao Rex Ægypti, & in somnis primò vidit septem boues pulchras & crassas nimis, deinde septem aliàs fœdas & confectas macie: expergefactus Pharao rursum obdormiuit, & somnians vidit septem spicas in eodem culmo pullulantes plenas atque formosas, postmodum totidem vidit tenues & percussas vredine. Cum mane surrexisset Pharao de suis somniis inquietus misit ad omnes Ægypti coniectores, vt eorum interpretationem consequeretur: sed frustra cunctis interrogatis, & vanè respondentibus; Magister pincernarum, qui tunc aderat, regi Ioseph indicans ait, *Erat in carcere ducis militum puer Hebræus, eiusdem ducis famulus, cui narrantes somnia audiuimus quicquid postea rei probauit euentus.*

Protinus ad regis imperium eductus Ioseph de carcere, ad eius conspectum adducitur. Cumque ei coram se stanti rex somnia sua retulisset, veram & ex tunc plausibilem apud omnes interpretationem obtinuit; dixit enim ei Ioseph instinctu Diuino, *Per septem boues pulchras & crassas, & similiter per septem spicas plenas & formosas priùs apparentes præmonstrari futuros septem annos priores fertilitatis; per septem verò boues fœdas & macie confectas, ac similiter per septem spicas tenues & percussas posteriùs apparentes septem annos posteriores sterilitatis.* Et suam complens interpretationem ait: *Nunc ergo prouideat rex virum sapientem & industrium, & præficiat eum terræ Ægypti, qui constituat præpositos per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, qui iam nunc futuri sunt congreget in horrea, & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, seruetur que in vrbibus, & præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum, & non consumetur terra inopia.*

Placuit

Placuit Pharaoni consilium;& cunctis ministris eius: locutusque est rex ad eos; *Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?* Dixit ergo ad Ioseph: *Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid sapientiorem & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantùm regni solio te præcedam:* Constituitque eum super vniuersam terram Ægypti, tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit; fecitque eũ ascendere super currum suum secundum clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti. Dixit quoque rex ad Ioseph: *Ego sum Pharao, absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti*; vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca, *Saluatorem mundi*, deditque illi vxorem Aseneth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos.

Triginta tunc erat annorum Ioseph, & commissam sibi curam exequens circuiuit omnes Ægypti regiones, & iuxta datum à seipso consilium singulis abundantiæ annis maximam tritici copiam in horrea publica recondebat, vt postea tempore famis non solum indigenis Regni, sed etiam alienigenis aduentantibus in summam Regis vtilitatem posset succurrere. Priusquam fames adueniret, nati sunt duo filij Ioseph ex Aseneth filia Putipharis: vocauitque nomen primogeniti Manasses, qui interpretatur *Obliuio*, dicens; *Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei*: Nomen quoque secundi appellauit Ephraim, qui interpretatur *crescens*, vel *augmentum*, vel *fertilitas*, dicens; *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.*

Transactis septem annis abundantiæ, qui fuerant in Ægypto, cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Ioseph, & in vniuerso orbe fames præualuit; in cuncta verò terra Ægypti panis erat. Sed succedentibus sibi peioribus annis priuata defecerunt horrea: propterea clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens. Quibus ille respondit: *Ite*

ad Ioſeph, & quicquid ipſe vobis dixerit, facite. Creſcebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitque Ioſeph vniuerſa horrea,& vendebat Ægyptiis,nam & illos oppreſſerat fames. Omneſque prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent eſcas,& malum inopiæ temperarent.

Sub hoc tempus apparuit Iob vir ſanctiſſimus,de cuius origine quatuor ſunt ſententiæ:quidam volunt illum ex Nachor fratre Abraham procedere, vt ſupra dictum eſt: Alij dicunt ex Chananæis ortum: Alij docent Iſraëlitam eſſe: Alij denique vocant Idumæum ex progenie Eſau; dicunt igitur fuiſſe filium Zara filij Rahuël filij Eſau: Prius vocabatur Iobab, cum autem accepiſſet vxorem Arabiſſam,generat filium cui nomen Emmon; erat autem ipſe, aiunt Septuaginta, filius Zaræ de filiis Eſau,matris Boſorræ, ita vt ipſe ſit quintus ab Abraham. Habitauit autem in terra Hus dicta Auſitide in finibus Idumeæ & Arabiæ. Specialis habetur in ſacris litteris liber eius hiſtoriæ: quomodo Diuina diſponente prouidentia de ditiſſimo breui factus eſt pauperrimus, imò filiis & filiabus eius miſerabiliter enecatis, totoq; vulneratus corpore redactus eſt in ſterquilinium.Sed poſtea ad fœliciorem ſtatum ſublimatus eſt, ac plenus dierum & bonorum operum deceſſit, poſtquam vidit filios filiorum ſuorum vſque ad quartam generationem.

Hoc etiam tempore natus eſt Caath filius ſecundo-genitus Leui, pater Amram, & auus Moyſis & Aaron. Tunc etiam Iudas dedit Her primogenito ſuo vxorem nomine Thamar, qui cum eſſet octodecim annorum, & nequam in conſpectu Domini, tertia die nuptiarum à Deo dicitur occiſus, quia fundens ſemen extra vas naturale generationem impediebat: Illo ſic mortuo Iudas coniunxit Onan ſecundo genitum Thamar; ſed ille æquè malus ac frater, ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad vxorem fratris ſui ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur; & idcircò percuſſit eum Dominus, quod rem delectabilem faceret. Cum autem Iudas timeret, ne tertius quoque filius Sela moreretur,ſi Thamar vxorem acciperet, illam dimiſit in domum

domum pàtris sui sub spe futurarum nuptiarum cum filio: quæ cum se delusam vidisset, socerum suum Iudam sub ementito meretricis habitu cognouit, ex quo concepit & peperit duos gemellos, scilicet Phares & Zaram.

Legitur ædificata hoc tempore ciuitas in insula Lyciæ, quæ dicebatur prius Ophnisa, deinde stadia, nomine Rhodus græcè, latinè verò Rosa, à qua tota insula denominata postmodum fuit. Hæc ciuitas olim illustrissima fuit, præsertim immensa Colossi statua Ioui vel Soli sacra, quam Cares Lindus decies septenum cubitorum altam ex ære conflauit: Fuit etiam inclyta Equitum Melitensium dominatione. Hæc insula nongentorum stadiorum ambitu priùs incolas habuit Thelchines, postea Eliades, deinde Christianos, nunc Mahometanos. Hoc etiam tempore condita legitur Sparta ciuitas à Sparto Phoronæi filio in Peloponnesi regione, dicta Lacedæmon prouincia. Tunc quoque Heractus decimus Sicyoniorum rex Mesappo succedens regnare cœpit anno quinquagesimo Ioseph, & quadraginta sex annis regnauit. Eodem etiam anno Ioseph apud Assyrios imperare cœpit Altadas succedens Balæo, & triginta duobus annis imperauit.

His temporibus vixit Apollo medicus clarissimus, Vulcani & Mineruæ filius; similiter Chiron sapientissimus & iustissimus medicus, Saturni & Pelopeæ filius; Sicut & Venus illa notissima Gentilibus, ob pulchritudinem dicta cœli & diei filia: quæ dicitur fuisse admodum impudica. De quibus multa traduntur, sed vt plurimùm fabulosa: Vnde his cæterisque Gentilium diis leuiter tantum per transennam indicatis, ad alia certiora properamus.

PROFECTIO IACOB PATRIARCHÆ IN ÆGYPTVM CVM FILIIS SVIS.

FAmes magna sæuiebat in terra Chanaan, ibique deficientibus ad victum necessariis, Iacob Patriarcha venerabilis senex, vt amplæ familiæ prouideret, decem filios, solo Beniamin omnium minore secum retento, misit in Ægyptum,

ptum, vbi triticum vendi publica didicerat fama. Cum fili Iacob accedentes in Ægyptum coram Ioseph fratre suo ipsi incognito, & in regno principi stetissent: Ioseph ipsos agnoscens, volens illos probare & aliquantum vexare, primò vocat eos exploratores, deinde de sua natione & progenie diligentiùs examinans, cum audiuisset ipsis referentibus se patrem valde senem, ac iuniorem fratrem habere, post tres dies carceris illos dimisit, retento & ligato Simeone, cum hac conditione, quòd amplius ad eum non accederent, nisi secum fratrem suum minorem adducerent. Sic rudiùs tractati decem fratres, de tam miserabili sorte simul dolentes, hanc venditioni Ioseph fratris sui referebant, dicentes: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcircò venit super nos ista tribulatio.* Quibus adiunxit Ruben; *Nunquid non dixi vobis, Nolite peccare in puerum, & non audistis me, en sanguis eius exquiritur.* Hæc flentes coram Ioseph loquebantur, nescientes quòd intelligeret, eo quod per interpretem loqueretur ad eos, quibus auditis auertens se parumper fleuit.

Illos dimittens Ioseph cum frumento, reposita quoque pecunia in saccis, iussit omnia cibaria itineri necessaria prouideri. Cumque saccos aperuissent, ac singuli delatam pecuniam frumenti pretium inuenissent, obstupuerunt, & ad patrem peruenientes cuncta quæ successerant narrauerunt. Miratur Iacob, & tristis admodum effectus quòd Beniamin dilectus filius esset in Ægyptum transferendus ait: *Absque liberis me esse fecistis, Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin auferetis, in me hæc omnia mala reciderunt:* cumque propriis oblatis filiis Ruben instaret, vt sibi Beniamin committeretur, subiunxit; *Non descendet filius meus vobiscum, frater eius mortuus est, & ipse solus remansit, si quid ei aduersi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.*

Adducto deficiente tritico, cum fames præmeret, voluit Iacob filios in Ægyptum remittere reseruato Beniamin; sed illis

illis ire nolentibus dilectum Beniamin ſimul mittere cogitur. Vnde duplicem pecuniam eis tradens cum muneribus reſinæ, mellis, ſtoracis, ſtactis, terebinthi & amygdalarum, illos remittit. Cum in Ægyptum peruenientibus coram Ioſeph apparuiſſent, ab illo benignè excipiuntur, & de patris ſalute interrogati, ſoſpitem eſſe reſpondent: Sed viſus inter illos Beniamin commouit viſcera Ioſeph fratris ſui, qui præ amoris in eum teneritudine lachrymas temperare non valens, inde recedens fleuit, ſed rediens lauto excepit conuiuio.

Cum dimittere vellet Ioſeph fratres ſuos, diſpenſatori præcepit, vt impletis frumento ſaccis, pecuniam quoque immitteret in illos, & inſuper ſcyphum ſuum in ſacco iunioris abſconderet. Quod cum feciſſet, ac illi diſceſſiſſent, idem diſpenſator mandato Ioſeph poſt illos currens, arguit furto, repertoque ſcypho in ſacco Beniamin tanquam fures ad Ioſeph reducit, qui cùm cæteros dimittere vellet velut innocentes, & ſolum Beniamin quaſi reum furti captiuum retinere, ſinguli miris modis anguſtiabantur, ſuam Ioſeph miſeriam exponentes, factum patri promiſſum de reductione iunioris fratris referentes: quilibet ſe captiuum pro Beniamin offerebat; ſed inter alios Iudas dicens; *Manebo ſeruus tuus pro puero in miniſterio Domini mei, & puer aſcendat cum fratribus ſuis: non enim poſſum redire ad patrem meum abſente puero, ne calamitatis quæ oppreſſura eſt patrem meum teſtis aſſiſtam.*

Hæc videns & audiens Ioſeph non poterat vltra ſe continere. Vnde cæteris qui aderant excluſis, vocem cum fletu eleuans ait fratribus: *Ego ſum Ioſeph, adhuc pater meus viuit?* non poterant reſpondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer ait; *Accedite ad me, ego ſum Ioſeph frater veſter quem vendidiſtis in Ægyptum.* Deinde ſuam venditionen affirmat ex Diuina prouidentia ad eorum ſalutem accidiſſe, ne fame perirent quæ iam per duos annos durauerat, & per alios quinque perſeueratura erat. Poſtmodum corruens in ſingulorum amplexus, & maximè fratris ſui Beniamin vbertim lachrymatus eſt.

Cum

Cum hæc Ægyptiis innotuissent, & ad aures Pharaonis peruenisset fratres Ioseph aduenisse, gauisus est rex cum omni curia ipsumque Ioseph aduocans dixit vt citò fratres in terram Chanaan cum iumentis dimitteret, ac patrem suum cum tota familia & gregibus in Ægyptum venire curaret. Illis proficiscentibus dedit Ioseph plaustra & cibaria in itinere: singulis quoque proferri iussit duas vestes, Beniamin verò dedit trecentos argenteos cum quinque vestibus optimis, tantumdem pecuniæ & vestium mittens patri suo, addens & asinos decem qui subueherent ex omnibus diuitiis Ægypti.

Profecti cum lætitia filij Iacob venerunt in terram Chanaan ad patrem suum, eique nuntiauerunt filium suum, Ioseph adhuc viuere, & in Ægypto dominari. Quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tum non credebat eis: illi è contra referebant omnem rei ordinem; cumque vidisset plaustra & vniuersa quæ miserat, reuixit spiritus eius & ait, *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit, vadam & videbo illum antequam moriar.*

Paratis breuiter omnibus ad iter necessariis, statim profectus est Iacob cum omnibus quæ habebat siue in filiis ac nepotibus, siue in armentis & gregibus; venitque ad puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audiuit eum per visionem noctis sibi dicentem: *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere, descende in Ægyptum; quia in gentem magnam faciam te ibi; Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem, Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.* Vnde surrexit Iacob à puteo iuramenti, tuleruntque eum filij cum paruulis & vxoribus in plaustris quæ miserat Pharao, ad portandum senem, & omnia quæ possederat in terra Chanaan.

Iam nepotes Iacob ex filiis valde erant multiplicati in terra Chanaan, qui simul omnes cum parentibus & auo ipso descenderunt in Ægyptum. Filij Ruben primogeniti Iacob fuerunt Henoch, Phallu, Hesron & Charmi. Filij Simeon Iamuël, Iamin, Abod, Iachin, Sohar, & Saul filius Chanaanitidis

dis.Filij Leuì Gerson,Caath,& Merari.Filij Iuda tunc viuentes (nam Her & Onan fuerant occisi à Domino) Sela,Phares, & Zara: Porrò Phares genuerat Hesron & Hamul. Filij Issachar Thola,Phua,Iob, & Semron. Filij Zabulon Sared, Elon,& Iahelel: His sex filiis Iacob & Liæ coniungi debet Dina soror ipsorum. Filij Gad Sephion, Haggi, Suni, Esebon,Heri,Aredi,& Areli.Filij Aser Iamne,Iesua,Iessui,& Beria;Sara quoque soror eorum:Porrò Beria genuerat Heber,& Melchiel:Hi filij Iacob ex Zelpha.Filij Ioseph ex Aseneth nati in Ægypto ante aduentum Iacob,Manasses,& Ephraim.Filij Beniamin Bela, Bechor, Arbel,Gera, Naaman,Echi, Ros, Mophim,Ophim,& Ared:Hi filij Iacob ex Rachel.Filij Dan Husim. Filij Nephtali Iasiel, Guni, Ieser, & Sallen: Hi filij Iacob ex Bala. Tandem omnes animæ filiorum ac nepotum Iacob,quæ ingressæ sunt Ægyptum septuaginta sunt,absque vxoribus filiorum, & emptitiis ac mancipiis, quæ in infinitum penè creuerunt, vt in principio libri sequentis videbitur.

Cum iam appropinquaret Iacob ad regiam Ægypti ciuitatem,misit ante se Iudam ad Ioseph, vt nuntiaret ei,& occurreret in Gessen:Quò cum peruenisset,iuncto Ioseph curru suo,ascendit obuiam patri suo ad eundem locum, vidensque eum irruit super collum eius, & inter amplexus fleuit. Cui pater ait: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* Finitis huiusmodi paternæ venerationis & fraternæ dilectionis significationibus, Ioseph nuntiaturus Pharaoni aduentum patris & fratrum, eos admonet, vt cum vocati fuerint à rege de sua professione, respondeant se pastores esse, vt sic facilè possent obtinere terram Gessen, dictam postea Thebaidem, pascendis gregibus idoneam; Ægyptij siquidem oues abominabantur in ordine ad esum, quia sub earum specie sua venerabantur idola.

Audiens Pharao referente Ioseph aduentum patris ac fratrum eius,voluit eos videre. Vnde Ioseph patrem suum, & quinque maiores natu fratres suos introduxit ad regem,cui sciscitanti

ſciſcitanti quòd officium aut artem exercerent, iuxta veritatem ac inſtructionem Ioſeph reſponderunt ſe eſſe paſtores, ac ſimul terram Geſſen ſibi concedi poſtularunt, quam rex vltrò conceſſit cuncta nutui Ioſeph remittens: qui audito regis beneplacito, eos in optimo terræ Rameſſes loco conſtituit. Singulariter autem Pharao magnis beneuolentiæ ſignis Iacob interrogauit, quot eſſent dies annorum vitæ ipſius: Cui reſpondit; *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali, & non peruenerunt vſque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati ſunt; & benedicto rege egreſſus eſt foras.*

Cum Iacob venit in Ægyptum, tertius currebat annus miſeræ famis, quæ quidem vniuerſalis erat per totum orbem: ſed extrema penitus erat in terra Chanaan, & fuiſſet in Ægypto, ni Ioſeph inſtinctu Diuino tam aptè prouidiſſet. Cum autem Ægyptij ſuam omnem pecuniam in emendo tritico conſumpſiſſent, poſſeſſiones etiam ſuas regi vendiderunt pro alimentis: quas tamen Ioſeph ſuis reliquit poſſeſſoribus cum hac conditione, quòd impoſterum quintam frugum partem ſoluerent regi, tanquam certum tributum, quod poſtea multis ſæculis perſeuerauit. Et ſic Ioſeph plurimum regi profuit, eius reditus in immenſum augendo.

Vixit Iacob in terra Geſſen cum filiis ac nepotibus admodum pacificè, auctuſque eſt ac multiplicatus nimis, per decem & ſeptem annos: vnde compleuit centeſimum quadrageſimum ſeptimum ætatis annum. Cum iam ſe morti proximum videret, dilectum ſuum Ioſeph vocauit, & ſolemni iuramento aſtrinxit, ne ipſum in Ægypto ſepeliret, ſed ad ſepulchrum patrum ſuorum in Hebron transferret.

Refertur à Vincentio Gallo ſub hoc tempore paulò ante mortem prophetia Iacob Patriarchæ de aduentu Chriſti ac vocatione gentium, & ſic inducitur loquens: *De ſtirpe Iuda filij mei in primis virgo naſcetur; ſtellam habens byſſinam, veſtemque candidiſſimam, de qua naſcetur Agnus immaculatus, qui eſt agnus Dei gratia ſaluans omnes, cuius regnum erit in æternum, quod minimè corrumpetur*

petur: Dominus Deus magnus itaque apparebit in terra vt homo, corpusque assumet, & comedet vt homo: Orietur astrum eius in cœlo, ac ipse in terra vt sol resplendebit, cœli aperientur super eum, & ex templo gloriæ veniet ad ipsum sanctificatio non modica cum voce paterna, & ipse effundet spiritum gratiæ super nos, eritisque filij eius in veritate. Hic erit ex Leui sacerdos, & ex Iuda rex, Deus & homo, mediator Dei & hominum, qui omnes tenebras quæ sub cœlo sunt tollet, & erit pax in vniuersa terra, vox denique impiè agentis contra eum, nescientis eius resurrectionem. Ipsius autem innocentis sanguinem recipietis super capita vestra, & in passione ipsius petræ scindentur, & sol extinguetur, & cætera quæque turbabuntur, inuisibiles spiritus contremiscent, & infernus spoliabitur. Ipse verò portas paradisi reserabit, & stare faciet minentem gladium aduersus Adam, & dabit sanctis comedere de ligno vitæ, Belial ligabitur ab ipso. Tunc videbitis Enoch, Noë, Sem, & Abraham, Isaacque, ac meipsum patrem vestrum, resurgentes à dextris in exultatione, suisque filiis potestatem dabit conculcandi pernitiosos spiritus: & quotquot crediderint in eum in terra, vtique gaudebunt. Tunc omnes resurgent, & ij quidem in gloriam, impij verò ad ignominiam, atque in primis Israelem iudicabit, quia non crediderunt ei, &c.

Hoc tempore regnabat apud Assyrios Mamythus, qui Altadæ successerat, qui regnauit annis triginta. Apud Sicyonios quoque regnabat Plemeus rex vndecimus, cuius regnum à sexagesimo octauo Ioseph anno incipiens quadraginta octo durauit. Apud Argiuos regnabat Argus, qui propter admirabilem prudentiam & circunspectionem dicitur centum oculos habuisse. Hic traditur nauem fabricasse Iasoni in Colchos eunti ad quærendum vellus aureum, quæ ab ipso authore denominata fuit Argos, ad quam concurrerunt plures inclyti iuuenes Græciæ, vt Hercules, Orpheus, Castor, Pollux. Hoc etiam tempore floruerunt insignes viri, tres scilicet fratres, Prometheus, Atlas, & Hesperus in Arcadia: Primus ingenij acutissimi rudes homines ad vrbanos mores reduxit, simulachra arte mobilia finxit, ignem de silice eliciens,

ciens, vel etiam formationem fulminis inueniens, ignem de cœlo furatus dicitur: secundus cum astrorum cursum studio peruigili comprehendisset, & primus inter Græcos de Astrologia disseruisset, cœlũ suis humeris portasse fingitur, quamvis hoc attribuatur Atlanti, præcelso monti ab eodem denominato; genuisse dicitur septem filias appellatas ex pulchritudine Nymphas, hæ fuerunt Maya Iouis concubina & mater Mercurij, Electra Dardani mater, Stenope Martis concubina & mater Parchon, Celben habita virgo perpetua, Celenæ Neptuni concubina, Thayeta Tantali Apollinis Thessali & Lacedæmonis mater, ac tandem vltima nomine Pyrra: Tertius Italiam primò, deinde Hispaniam suo nomine denominauit Hesperiam, sicut & stellam Hesperum; tres dicitur filias genuisse, scilicet Eglem, Arethusam, & Hespertusam.

BENEDICTIO PROPHETICA IACOBI PATRIARCHÆ FILIIS DISTRIBVTA.

IAm accedebat mors pretiosa sancti Patriarchæ Iacobi. Cum illum ægrotare audisset Ioseph, statim accurrit, cuius aduentu confortatus pater sedit in lectulo. Deinde dilectum suum Ioseph de Diuinis promissis sibi factis, ac futuris euentibus instruit. Dixit primo, qualiter Deus apparens sibi in Luza siue Bethel dederit semini suo terram Chanaan; significauit se huius terræ promissionis hæreditatem filiis suis diuidendam, ad cuius partem duos eius filios in Ægypto natos ante suum aduentum, quasi proprios à se genitos assumebat: Quibus proinde benedixit, sicut benedixit aliis filiis, dexteram super iuniorem Ephraim & sinistram supra Manassem natu maiorẽ imponens, quamuis reluctante patre: Illisque benedicens ait; *Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in presentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum*

meorum Abraham & Isaac,& crescunt in multitudinem super terram: prætulit autẽ Ephraim Manassi, quia futurus erat maior illo in multiplicatione posteritatis. Deinde prænuntians Ioseph futura dixit; *En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum: Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo, quæ fuit in Sichimis.*

Cum Iacob se breui moriturum intelligeret, volens suas prosequi benedictiones, quas in Ephraim & Manasse inceperat, vocauit filios suos, & ait eis: *Congregamini, vt annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis; congregamini & audite filij Iacob, audite Israël patrem vestrum.* Cunctis præsentibus sic prophetice loquitur. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principiũ doloris mei, prior in donis, maior in imperio; effusus es sicut aqua, non crescas; quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius:* Quasi diceret; Tu qui titulo primogenituræ debebas esse fortitudo mea, fuisti principium doloris mei propter incestum à te commissum; Tu qui debebas esse prior in donis & maior in imperio cunctis fratribus tuis, effusus es sicut aqua in incestuosa tua concupiscentia. Vnde non crescas in dignitatem primogenituræ, nec in temporalem primatum.

Deinde conuertens se ad Simeonem & Leui in malo peragendo concordes, ait: *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima, & in cœtu illorũ non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum* (id est Sichem ob stuprũ sororis Dinæ) *& in voluntate sua suffoderunt murũ: maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorũ, quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergã eos in Israël.* Vnde hi tres filij Iacob natu maiores ob peccata sua de prærogatiua primogenituræ quantùm ad dominiũ super alios exciderunt.

Ad Iudam ait: *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui: Catulus leonis Iudas ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat*

qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium: ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitam ô fili mi aſinam ſuam; lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum: pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. Ecce Iacob regnum & principatum filiorum Iſraël contulit Iudæ, quem propterea comparat leoni animalium regi, & aſſerit perſeueraturum in eius tribu vſque ad Chriſtum: ex quo ſcilicet inchoaſſet in Dauid, quem plurimi reges ſubſequuti ſunt in regno Iuda vſque ad captiuitatem Babylonicam, poſtea ſubſequti ſunt duces: Et quamvis tempore Machabæorum tribus Leui dominaretur, hoc tamen fuit ex conſenſu tribus Iuda, quæ cum Leuitica matrimoniis erat coniuncta. Hic tamen principatus omninò deſiit, cum Herodes regnare cœpit paulò ante natiuitatem Chriſti; conueniens enim fuit vt ante aduentum Chriſti Iudæi certò crederent ex hac prophetia, ipſum breui venturum, cum viderunt alienigenam apud ipſos regnare.

Ad Zabulon ait: *Zabulō in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidonem.* Iuxta hanc Iacobi prophetiam magna pars maritima terræ promiſſionis, ceſſit in ſortem tribus Zabulon, in diſtributione ipſius; occupabat namque planitiem illam pulcherrimam, quæ inter Carmelum montem & mare Mediterraneum per multa millia excurrit, & ipſum montem admodum fertilem ac delicioſum poſſidens ad mare Galilææ pertingebat.

Ad Iſſachar ait: *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos; vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſeruiens.* Hoc ideò propheticè Iacob enuntiauit, quia in diſtributione terræ promiſſionis tribus Iſſachar optimam & fertiliſſimam obtinuit portionem, ſcilicet ad radices meridionales Carmeli inter tribum Zabulon & dimidiam tribus Manaſſis, occupans maiorem partem campi magni Eſdrelon abundantiſſimam: vbi colens aſſiduè terram velut aſinus fortis, in copioſis meſſibus accubabat, ibi namque hactenus terra tempore fertilitatis ſegetes admodum elatas, & vſque

ad sexagesimum multiplicatus producit: Et quia transferens triticũ alibi vendendũ vectigalia soluebat, tributis seruiebat.

Prosequens suas benedictiones ita Dan alloquitur: *Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israël: Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò; Salutare tuum expectabo Domine.* Hæc prophetia in tribu Dam intelligitur completa in Samsone, qui iudex fuit in Israël, & qui Philistiim inimicos Israëlitarum miraculosa fortitudine sæpiùs confregit, non secus ac coluber Cerastes mordens equum, illũ cum ascensore deiicit: Et quia Samson fuit figura Christi de dæmonibus triumphantis, ideò fit mentio Christi venturi, qui dicitur salutare Domini: vel intelligitur complenda in Antichristo, qui de tribu Dan oriundus creditur, & qui tanquam Cerastes coluber cornutus populum fidelem persequetur, iactans se Christum Saluatorem; cui tamen Patriarcha Iacob verum Christum opponit, quẽ saluatorem seu salutare Domini vocat.

Ita Gad benedicens alloquitur: *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.* Id est iuxta cap. 32. Numeri, tribus Gad, quæ vltra Iordanem suam obtinuerat sortem, armis accincta & expedita ante populum electum erat præliatura, ad acquirendam aliis tribubus promissionis terram: Et post quatuordecim annos ad possessionem suam trans Iordanem reuertens reperit prælium vicinarum gentium contra se, & victis hostibus dimicauit fortiter.

Sic Aser benedicit: *Aser, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Quia tribus eius ad septemtrionales montis Carmeli radices sita, versùs Ptolemaidam latè diffunditur in planities fertiles & deliciosas, in quibus triticum optimum & regibus dignum abundanter colligitur.

Pergens ad Nephthali sic ait: *Nephthali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.* Quia portio terræ promissionis, quæ cessit tribui Nephthali in superiori Galilæa propè Iordanem & mare Tiberiadis opportunè ac abundanter irrigata, est velocis fertilitatis in suis pullulationibus, quasi ceruus emissus & currens: dans pulchros flores & fructus, sicut

os eloquẽs dat pulchra eloquia; vel quia præsertim ibi Chri stus Dominus tempore suæ prædicationis dedit eloquia pul chra vitæ æternæ.

Perueniens ad Ioseph ait: *Filius accrescens Ioseph, murũ filii accrescens & decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuiderũtque illi ha bentes iacula; Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincu la brachiorum & manuum illius, per manus potentis Iacob, in pastor egressus est lapis Israël. Deus patris tui erit adiu tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desup benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictiones vberum vuluæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt patrum eius, d nec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Iosep & in vertice Nazaræi inter fratres suos.* Sic Iacob dilectũ suu Ioseph benedicit, quasi dignum primogenituræ propter miam eius sanctitatem vocans Nazaræum: dicit igitur, q filiæ Ægypti discurrebant, & per fenestras aspiciebant, vt pu cherrimum Ioseph transeuntem viderent; quem fratres eiu inuidiæ iaculis moti exasperauerunt, vendentes in Ægyptum sed fiducia eius in Deo forti collocata dissoluit eius vincul qui est potens defensor & protector posteritatis Iacob: vn Ioseph de carcere egressus est pastor & saluator Ægypti, & la pis ibi fundamẽtalis authoritate sua sustentans populũ Israël Deinde prædicit illi futuras benedictiones de cœlo, de terr & circa multiplicationem, quia benedictiones Dei Iacobi datæ propter merita paternarum benedictionum Abrahæ Isaac, confortatæ sunt in Ioseph ob eius potentiã in Ægyp

Tandem Iacob concludens suas benedictiones in Beniam ait: *Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vesp diuidet spolia.* Quia tribus Beniamin futura erat bellicos Vnde adinstar bellantium multas erat raptura prædas, postmodum erat diuisura militibus spolia: Quam prophetia specialiter D. Paulo S. Augustinus appropriat in sensu legorico.

Finitis benedictionibus Iacob dixit filiis: *Ego congregor populum meum, sepelite me cum patribus meis in spelunca d*

pli

plici, quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæi in possessionem sepulchri: ibi sepelierunt eum & Saram vxorem eius, ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua, ibi & Lia condita iacet. Finitisque mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obiit cum esset centum quadraginta septem annorum, appositusque est ad populum suum.

Cum Ioseph mortuum vidisset patrem, ruit in faciem eius, & deosculatus est eum, & præcepit Medicis aromatibus condire. Deinde transactis septuaginta diebus luctus, mediis intercessoribus domesticis Curiæ Pharaonis, ab illo facultatem obtinuit transferendi corpus patris sui in terram Chanaan: Vnde comitantibus ipsum Ægypti magnatibus, ac suis fratribus, solis paruulis in terra Gessen cum gregibus relictis, pompam funebrem celebrauit. Non recta processit via, cuius causa ignoratur: sed primo venit in arcam Arad, quæ sita est trans Iordanem, vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleuerunt septem dies; qua propter locus ille dictus est planctus Ægypti. Inde verò mouentes venerunt in Hebron, & sepelierunt corpus Iacob in spelunca duplici. Reuersusque est Ioseph in Ægyptum cum fratribus suis & omni comitatu, sepulto patre.

PERSECVTIO ISRAELITARVM IN ÆGYPTO POST MORTEM IOSEPH.

CVm filij Iacob sepulto patre rediissent in Ægyptum, timentes ne fortè Ioseph factam sibi vindicaret iniuriam, quam ob reuerentiam patris adhuc viuentis dissimulare credebant, vnum ex ipsis deputauerunt ad ipsum, qui velut ex persona Iacob loquens ait: *Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te:* Et concludit in nomine fratrum dicens; *Nos quoque oramus, vt seruis Dei patris tui dimittas iniquitatem.* Quibus auditis fleuit Ioseph, veneruntque ad eum fratres sui, & pro-

ni adorantes in terram, dixerunt *Serui tui sumus.* Respondi
Ioseph : *Nolite timere, num Dei possumus resistere volun-
tati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus versit illud in bo-
num, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & salu-
faceret multos populos. Nolite timere ergo, pascam vos & par-
uulos vestros*, consolatusque est eos, & blandè ac leniter e
loqutus.

Post mortem Iacob, perseuerarunt eius filij in terra Ge
sen sub authoritate Ioseph fratris sui, prospere in omnib
agentes, quos Dominus iuxta promissiones suas concessis f
liis multiplicauit in infinitum, & auctis gregibus in imme
sum plenè ditauit. Ioseph quoque vidit filios Ephraim vsq
ad tertiam generationem : filij quoque Machir filij Mana
nati sunt in genibus Ioseph. Cumque sanctus hic patriarch
& propheta Ioseph se morti proximum videret, dixit fratr
bus suis, quod in eorum ipsiusque posteris complendum e
*Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos fa
de terra ista ad terram quam iurauit Abraham, Isaac, & Ia
cob.* Cumque adiurasset eos, atque dixisset: *Deus visitabit v
aportate ossa mea vobiscum de loco isto*, mortuus est exple
centum decem vitæ suæ annis, & conditus aromatibus rep
situs est in loculo in Ægypto.

Mortuo Ioseph, & vniuersis fratribus eius, omnique cogna
tione illa, filij Israël creuerunt, & quasi germinantes mul
plicati sunt, ac roborati nimis impleuerunt terram; quod
inuidiæ in ipsos, & persecutionis causa fuit. Nam cum sur
xisset rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph, & l
communi nomine Pharaonis Amenophes vocabatur, ca
dam mouit persecutionem, quam S. Augustinus quatuor
cim annis durasse, S. verò Isidorus viginti quatuor perse
rasse docet. Vnde ait ad populum suum: *Ecce populus filior
Israël multus, & fortior nobis est, venite, sapienter opprima
eum, ne fortè multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum,
datur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de ter*

Præposuit itaque eis magistros operum, vt affligerent e
oneribus, ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Phara

Phith

Phithom & Ramesses. Sed Diuina protectione quantò magis opprimebant Israëlitas Ægyptij, tantò magis multiplicabantur, & crescebant: quod & odium, & inuidiam amplius in Ægyptiis accendebat; vnde illos affligebant illudentes, & ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu quo in terræ operibus premebantur.

Cum rex longa iam experientia didicisset simili oppressione multiplicationem prodigiosam Israëlitarum non impediri, crudelius at planè barbarum excogitauit medium, destructionis ipsorum. Iussit vocari obstetrices Hebræorum, Ægyptias scilicet quas partubus Hebræarum mulierum præfecerat, & quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, dixitque eis: *Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit; si masculus fuerit, interficite eũ; si fœmina reseruate.* Timuerunt autem obstetrices Deum, & non obedierunt regi, sed contra præceptum eius nascentes paruulos mares conseruabant. Cumque hoc pietatis officium innotuisset regi, & obstetrices aduocasset rationem facti ac infidelitatis quæsiturus: Respondent illæ; *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas pariunt: Benè ergo fecit Deus obstetricibus, & creuit populus confortatusque est nimis; Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos.*

Tandem ad vltimum crudelitatis terminum deuenit Pharao, vt Israëlitas extingueret: nam præcepit omni populo suo dicens; *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite; quidquid fœminini, reseruate:* Ecce miserrimum persecutionis statum, ad quem Israëlitæ fuerant redacti, cum Deus eorum saluatorem misit Moysem, qui tunc natus est, & rebus ita desperatis quasi Dei legatus attulit remedium, à cuius natiuitate sequentem librum quartæ mundi ætatis incipiemus.

Sub hoc tempus Manchalæus regnabat apud Assyrios, & apud Sicyonios Orthopolis rex duodecimus Pellemæo patri seu Plemeo succedens, eiusque regnum sexaginta tribus annis perdurauit. Sub hoc quoque tempus floruisse dicuntur

illuſtres quàm plures viri, de quibus vix aliquid habetur ce ti, cum cuncta fabulis mixta ſint : Vnde ſufficiat per tra ſennam aliquos indicaſſe. Floruit igitur Mercurius Iouis e Maia filius : Item alius Ægyptius cognomento Trimegiſtu Item tertius cognomento Hermes natione Italus : Floru etiam Apollo Delphicus Iouis ex Latona filius. Item Phœ bus Hyperionis filius. Tres quoque inſignes fœminæ dicun tur his temporibus floruiſſe : ſcilicet Aſia Promethei mat vel vxor, quæ tertiam mundi partem ſuo nomine inſigniu Proſerpina Cereris filia mulier ſpecioſiſſima, & ob id rap ab Orcho Moloſſorum rege : Et Diana Apollinis Delphi ſoror, inſignis virginitate perpetua. Tandem anno quinto decimo ſeruitutis Hebraicæ regnare cœpit Criaſſus quint rex Argiuorum, filius Argi regis, & regnauit annis quinqua ginta quatuor. Et Mancalæo Aſſyriorum Imperatori mortu ſucceſſit Sphærus eius filius.



LIBER QVARTVS CHRONOLOGIÆ.

QVARTA MVNDI ÆTAS, SIVE IVVENTVS.

PROLOGVS.

DILECTVS Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est: Similem illum fecit in gloria sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit. Glorificauit illum in conspectu regum, & iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illũ, & elegit eum ex omni carne: Audiuit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem; & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & disciplinæ, docere Iacob testamentum suum, & iudicia sua Israël. Hoc est elogium Moysis formatum à Spiritu sancto cap. 45. Eccl. Simile formauit ad Rom. cap. 11. dicens: Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum: Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem: Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis, inuisibilem enim tanquam videns sustinuit: Fide celebrauit Pascha, & sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiua tangeret eos: Fide

 transierunt

transierunt mare rubrum tanquam per aridam, quod exp Ægyptij deuorati sunt. Si Adam est primus parens hominu Noë reparator eorum, & Abraham pater fidei nostræ: Moy est legislator electi populi. Ab hoc sancto Propheta incipim quartam mundi ætatem, quam vocamus iuuentutem, & vsq ad Dauid regem perducimus per spatium annorum quadri gentorum octuaginta sex.

NATIVITAS, EDVCATIO, & IVVENT MOYSIS PROPHETÆ.

LEui filius Iacob tres genuit filios, scilicet Gerson, Caat & Merari: Caath verò genuit Amram, qui cum sexag simum septimum ageret ætatis annum, accepit vxor stirpis suæ nomine Iochabetham, filiam vel Gersonis vel rari patrui immediatam, & mediatam Leui aui sui filian proinde germanam, non autem amitam; ex qua tres su pit proles, duos videlicet filios & vnam filiam: Primò-ge ta fuit Maria, Secundò genitus fuit Aaron, Tertiò-geni fuit Moyses, de quo agimus.

Ante legem datam ordinariè primogeniti erant sacerdo tes Dei, post legem in electo Israëlitarum populo cun sacerdotes, & alij Diuino cultui deputati ex sola tribu Le assumebantur, qui proinde dicebantur Leuitæ. Inter om verò Leuitas assumptus fuit ad summum Sacerdotium Pontificatum Aaron frater Moysis maior natu, & post ips Eleezar primogenitus, deinde Phinees item primogeni Eleezari; & ita consecutiuè semper assumpti sunt primog niti stirpis Aaron. In sequentibus multa de Aaron & Ma dicentur, nihil hic speciale habetur de eorū natiuitate & ed catione. Solum habemus elogium mirabile ipsius Aaron fo matum à Spiritu S. c. 45. Eccl, vbi dicitur de Deo: *Excels fecit Aaron fratrem eius, & similem sibi de tribu Leui, & st tuit ei testamentum æternum, & dedit illi sacerdotium genti beatificauit illum in gloria, & circumcinxit eum Zona glori*

& induit eum stola gloriæ, & coronauit eum in vasis virtutis. Circumpedes, & femoralia, & humerale posuit ei, & cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo in memoriam filiis gentis suæ. Stolam sanctam auro & hyacintho & purpura, opus textile viri sapientis indicio & veritate præditi, torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis, in ligatura auri & ope lapidarij sculptis, in memoriam secundùm numerum tribuum Israël. Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis, & gloria honoris; opus virtutis, & desideria oculorum ornata. Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia vsque ad originem: non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantùm filij ipsius soli, & nepotes eius per omne tempus.

In Assyriorum Monarchia decimum nonum imperij annum agebat Sphærus, & apud Ægyptios iam à viginti septem annis regnabat crudelis Amenophes in Israëlitas, cum natus est Moyses, septem annis post natiuitatem Mariæ sororis suæ, quando regis Ægypti persecutio crudelissima sæuiebat, & omnes Israëlitæ masculini recenter nati interficiebantur: Propterea miseri parentes maxima cautela filios abscondebant. Vnde in his calamitosis temporibus parentes Moysis, videntes eum elegantem, qua poterant diligentia absconderunt tribus mensibus, cumque iam mater celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine & pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore eius Maria iam septenni, & considerante euentum rei. Maluit fidelis mulier dilectum filiolum vndis fluuij, quàm Ægyptiorũ crudelitati exponere.

Deo sic disponente contigit, quòd tunc Thermuth filia Amenophis regis communi nomine dicti Pharaonis, descenderet vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis, & allatam aperiens cernensque in ea paruulum vagientem, miserta eius ait; *De infantibus Hebræorum est hic.* Cum Maria soror Moysis eductam de aquis fiscellam vidisset, accurrit cum aliis, & audiens ver-

ba

ba commiserantis Principissæ, humanitus aut Diuinitus instructa dixit ei; *Vis, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum.* Et accepto eius imperio prudens puella statim perrexit, & vocauit matrem suam non multum inde distantem.

Accedenti mulieri sic loquitur filia Pharaonis: *Accipe puerum istum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam.* Suscepit mulier puellum, & nutriuit quasi filium, ac post tertium ætatis annum, cum à lacte iam amotus esset, aliquanto adultum tradidit filiæ Pharaonis: Quem illa vt pote pulcherrimum, ac plurimis naturæ dotibus inclytum, adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyses, veiut ex aquis saluatum, dicens; *Quia de aqua tuli eum.* Philo tradit, quòd filia regis patrem Pharaonem deceperit, simulans Moysem quasi filium suum naturalem, & non tantùm adoptiuum: sed non apparet hoc certum.

Moritur interea sexto Moysis anno rex Ægypti crudelissimus Amenophes, post triginta septem annos regni, eique sufficitur Orus: cuius anno secundo septemnis Moyses cœpit liberalibus instrui disciplinis, nam S. Stephanus eum dicit eruditum fuisse omni sapientia Ægyptiorum; accersitis ad hoc magisterium eruditis præceptoribus, tam Ægyptiis quàm Hebræis, à quibus linguas plures, etiam Chaldæam & Hebræam cum Astrologia cæterisque scientiis didicit. Egressus pueritiam magis curam intendit, non vt quidam frœna laxans concupiscentiis, quamvis non deessent incitamenta plurima, quæ se vbertim offerunt in regum domibus, sed sobrietate atque temperantia tanquam habenis quibusdam eas cohibens, ne impetu nimio ferrentur. Cum autem adoleuisset, honestis nobilium & principum exercitiis occupatur, velut adoptiuus filiæ Pharaonis filius, quã aliqui vocant Merrhim. Multa de illo, communiter reiecta tanquam fabulosa, referuntur, vt quòd sub his annis dux electus belli fuerit contra Æthiopes, quòd occasione dicti belli coniugẽ Æthiopissam duxerit, quòd ibi ciuitatem ædificauerit in decennio belli, quam Hermopolim seu ciuitatem Mercurij à seipso

propter

propter eximiam doctrinam appellato Mercurio, vel Merrhim in honorem filiæ Pharaonis, quæ ipsum ex aquis extulerat, nominauit.

Cum Moyses esset viginti & octo annorum, natus est Iosuë filius Nun seu Naue, filij Elisaman de tribu Ephraim. Hic Iosuë vir illustris successit postea Moysi in dignitate Ducis & Iudicis electi populi, quem in Chananitidem mirabiliter introduxit, eique terram promissionis sorte diuisit. Cum autem esset triginta quinque annorum, cœpit apud Athenienses regnare Cecrops Diphyes primus illorum rex, quem aliqui vocant *indigenam*, alij verò tradunt *alienigenam Ægyptium*. Dicitur esse primus, qui Iouem summum deorum appellauit, eique aram statuit, simulachrum erexit, & victimas immolauit. Fuit priùs rex Argiuorum, ex aliquibus, & inde Athenas transiit, ipsamque Athenarum vrbem instaurauit, plurimumque nobilitauit.

Iam quadragesimum ætatis annum agebat Moyses, cum Exodi capite 2. dicitur egressus ad fratres suos, quos vel parentum manifestatione, vel Dei reuelatione nouerat, ipsoque mouente palam visitabat; viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis: Cumq; circunspexisset huc atque illuc, & multum adesse vidisset, percussit Ægyptium, & occisum abscondit sabulo. Dum alia die duos Hebræos rixantes vidisset, & iniuriosum compescere voluisset, ipsum audit insolenter sibi respondentem: *Quis te constituit principem & iudicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* His auditis timuit Moyses, & præuenit iram Pharaonis, regis scilicet Ori regnantis tunc in Ægypto, & fugit in finitimam Arabiam ad terram Madian.

Fugiens Moyses per Arabiæ solitudines peruenit tandem ad vrbem Madianitarum, vbi Raguëlem seu Iethro sacerdotem inuenit de semine Abraham per Iecsan filium Cethuræ: Cumque ad puteum propè ciuitatem sedisset, & filiæ Raguëlis ad greges adaquandos venissent, videns Moyses eas ab aliis pastoribus prohiberi, causam earum suscipiens

insolentes

insolentes compescuit pastores, & greges adaquans dom suam maturius remisit; quod vrbanitatis officium cum guël à filiabus audiuisset, ipsas reprehendit velut i ng tas quòd Moysem non duxerint secum, & iussit illum sta vocari.

Introductus Moyses in domum Raguëlis, sic eum aspe venerabili, honesta compositione, & mirabili prudentia puit, vt apud se retinere voluerit: & ita iustis condition ex vtraque parte acceptatis, iurauit Moyses quòd habita cum eo. Et credibile est, quòd ex tunc Moyses cœperit o Raguëlis pascere: Cumque eius fidelitas & mirabilis in stria multis fuisset experimentis probata, voluit Raguël e habere generum, maximè si resciuerit ipsum esse consang neum suum, vt pote descendentem de domo Abraham: V vnam ex septem suis filiabus nomine Sephoram trad vxorem, ex qua duos procreauit filios. Primogenitum cauit Gersum, dicens; *Aduena sum in terra aliena:* Secun genitum vocauit Eliezer, dicens; *Deus enim patris mei iutor meus eripuit me de manu Pharaonis.* Sub hoc tem Aaron frater Moysis maior natu creditur vxorem duxisse hæc fuit Elizabeth filia Aminadab, soror Naason de tri Iuda, ex qua suscepit quatuor filios ante egressum fil rum Israël de Ægypto, videlicet Nadab, Abiud, Eleazar Ithamar.

Mamylo Assyriorum Monarchæ post triginta annos im perij successit Sparetus anno trigesimo secundo Moysis. post mortem Ori regis Ægypti, qui triginta octo regna annis, successit Acenchres, qui dicitur elephansia periisse, q Hebræis tunc fidelibus speciale attribuit vestem, vt sic in manifestè cognitos liberius desæuiret: Aliqui volunt Ac chrem non regem, sed reginam Ægypti filiam Ori, cui p duodecim annos regni successit Achoris seu Athoris. Mort post decem annos regni Athore successit infœlix Chenchr aut Cenchres, qui contradixit per Moysem Deo, atq; in ma rubro obrutus est, vt infra dicetur. Cum hic rex impius per alios prædecessores suos crudeliùs in Israëlitas desæu

ret, eiusque ministri sinistræ eius voluntati obsecundarent, sic premebantur miseri Israëlitæ, quòd ex intimo corde vociferarentur ad Dominum; ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus, qui audiuit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob, & respexit Dominus filios Israël, & cognouit eos.

Ad annum sexagesimum septimum Moysis accidisse traditur diluuium Deucalionis, qui in Thessalia regnabat, & fuit Promethæi magni filius. Tam sæuum autem fuit hoc diluuium, vt maximam Græciæ partem assumpserit, illis solum liberatis qui confugerunt ad montes, & maximè ad Parnassum, in quo Deucalion ipse cum Pyrra coniuge filia patrui sui Epymethæi saluatus est. Deucalion ex vxore quatuor suscepit filios, videlicet Hellem seu Helleum, Psytacum, Dionysium, & Phentralem. Helles eius in regno successor adeò nomen suum & regnum paternum ampliauit, vt omnis ferè Græcia, quæ mare Ægeum respicit, ab illo Helles denominata fuerit, sicut & ipsum mare dictum fuit Hellespontus. Hoc ipso anno moritur Assyriorũ Monarcha Sparetus post quadraginta annos imperij, cui successit Ascatades. Circa hoc tempus fundata dicitur Epidaurus ciuitas Epiri seu Albaniæ, quæ postmodum sub potestate Romanorum redacta dicta fuit Dirachium, non longè a Ragusia. Tunc etiam fuit ædificata Corinthus insignis Achaiæ ciuitas super Isthmum in medio maris Ionij à Sisipho Æolij filio ad octuagesimum Moysis annum. Legitur quoque regnasse Marathus quartus decimus Sicyoniorum rex, qui viginti regnauit annis, & Marathon vrbem ad decem milliaria propè Athenas à se conditam denominauit, in cuius postea campis centum millia peditum & decem millia equitum Darij regis Persarum à decem millibus Atheniensium, consilio & industria Melchiadis eorum ducis fuerunt deleta.

LIBERTAS

LIBERTAS & EGRESSVS FILIORV ISRAEL DE ÆGYPTO.

DVrissimam, & diuturnam nonaginta trium annoru seruitutem passi fuerunt Israëlitæ: Cum Deus Abr ham Isaac & Iacob Patriarcharum ipsorum, volens promi siones suas illis factas exequi, posterorum miserabilem exa diens clamorem, misericordia motus, cogitat cogitation pacis & non afflictionis, & statuit de crudelissima tyrann de Ægyptiorum liberare, ac in terram promissionis induc re, vt ibi constituta primò Republica, & regno deinde firm to, perfecta libertate multorum spatio sæculorum fruantu

Completi iam erant anni quadringenti triginta, ex qu Abraham de Mesopotamia venerat in terram Chanaan: d ducenti quindecim, ex quo Iacob cum tota familia descen rat in Ægyptum: Moyses autem agebat octuagesimum num ætatis suæ, quo maior erat triennio frater eius Aaro Cum ipse Moyses pascẽs oues Raguelis siue Iethro soceri sacerdotis Madian, sub initio veris ad interiora deserti rec dens, venit ad montem Dei Horeb, cui coniunctus est mo Sina, qui potiùs sunt duę montis eiusdem eminentiæ, sed ce sior Sina. Hic Deus apparuit Moysi sub specie flammæ igni in rubo, qui nõ comburebatur: Videns huiusmodi prodigiu Moyses, accurrebat vt videret; sed Deus illum iam appropi quantem de medio rubi sic alloquitur: *Ne appropries hu solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, te sancta est.* Et subiungit: *Ego sum Deus patris tui, Deus Ab ham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Hæc audiens Moyses absco dit faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deu Cui ait Deus; *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & cl morem eius audiui propter duritiam eorum qui præsunt ope bus; & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum de manib Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Cha næi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & I*

busæ

busæi; Clamor ergo filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum qua ab Ægyptiis opprimuntur: sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israël de Ægypto.

Sanctus Moyses præ humilitate tam honorificam legationem recusat: sed à Deo confortatus, ac de fœlici eius exitu confirmatus, vt possit debitè legationem exequi, & cum reuerentia ipsius Dei à filiis Israël excipi, nomen speciale Dei sciscitatur, cum tantùm nomen eius appellatiuum, scilicet Dei Abraham Isaac & Iacob didicisset. Cui respondit; *Ego sum qui sum: sic dices filiis Israël; Qui est, misit me ad vos:* Solus namque ipse est necessitate omnimoda naturæ suæ, cum alij omnes sint contingenter & dependenter ab ipso. Hanc Dei visionem, & familiare cum Moyse colloquium, septem diebus durasse tradunt Hebræi, septimumque diem incidisse in decimum quintum mensis Martij. Dixit iterum Deus ad Moysem: *Hæc dices filiis Israël; Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem: Vade, & congrega seniores Israël, & dices ad eos; Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, & dixit vt educam vos de afflictione Ægypti in terram promissionis: Et audient vocem tuam.*

Deinde prædixit Deus Moysi modum suæ legationis ad Pharaonem, & medium libertatis populi sui. Vnde ait: *Ingredierisque tu, & seniores Israël ad regem Ægypti, & dices ad eum; Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam triũ dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro. Sed ego scio, quòd non dimittet vos rex Ægypti vt eatis, nisi per manum validam: Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum; post hæc dimittet vos: Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis: & cum egrediemini, non exibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua, vasa argentea & aurea, ac vestes, ponetisque eas super filios & filias vestras & spoliabitis Ægyptum.*

Multæ Moysi circa legationem huiusmodi difficultates occurrerunt in mentem; tum ex parte filiorum Israel, tum ex parte Pharaonis: Ex parte quidem filiorum Israel, quos præuidebat sibiipsi loquenti in nomine Domini non credituros: Ex parte verò Pharaonis, quia timebat se despiciēdum eo quod impeditioris & tardioris esset linguæ. Sed Dominus contra primam difficultatem confirmat Moysem duplici miraculo, scilicet mutua conuersione virgæ ipsius in serpentem, & eiusdem serpentis in virgam pristinam, ac simul contractione & mundatione lepræ: Contra secundam verò cōfirmat ipsum promissis, quòd esset in ore eius dum Pharaonem alloqueretur. Verùm Moyses nondum persuasus rogat Dominum, vt alium Pharaoni legatum mittat: quem tamen Deus omninò confortat, dum socium legationis assumit Aaron fratrem eius, quem constituit velut ipsius Oratorem admodum eloquentem, tam ad populum suum quàm ad Pharaonem: ac simul promittit quòd verba ipsorū diriget, ita vt immediatè ipsi Moysi loqueretur quasi legato, ipse verò Aaron fratri velut interpreti; ac tandem præcipit, vt miraculosam virgam secum deferret, in qua signa quàm plurima & prodigiosa foret operaturus.

Conuictus tandem Moyses à Deo, & efficaciter animatus redit ad Iethro socerum suum, cui significat se velle proficisci in Ægyptum, vt fratres suos visitaret. Obtento soceri beneplacito, Dominus apparuit Moysi, & vrgens discessum ait: *Vade, & reuertere in Ægyptum, mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.*

Tulit ergo Moyses Sephoram vxorem suam, & filios suos & imposuit eos super asinum, reuersusque est in Ægyptum portans virgam Dei in manu sua. Dumque progrederetur, in itinere tria Diuinitùs successerunt: Primum est Dei de legatione familiariter ipsum instruentis præceptum, de exequendis fideliter omnibus coram Pharaone, quæ illi iniungeret, quamuis ipsum sibi resistentem, & suo Diuino decreto permissiuo semper iusto videret induratum, quæ obstinatio ex malitia Pharaonis procedens ad maiorem ipsius Dei glo-

riam

riam cedebat: Secundum est, quòd Deus vel Angelus occurrerit ei, qui voluit filium eius occidere velut incircumcisum, sed Sephora mater assumpta statim acutissima petra circumcidit puerum, & ita de morte liberauit, & ait marito, *Sponsus sanguinum tu mihi es*: Tertium est, occursus Aaron fratris eius, qui cum Deo reuelante didicisset, Moysem in Ægyptum venire, iussu eiusdem Dei processit obuiam illi vsque ad montem Dei Sinai seu Horeb, qui medius est inter Madian & terram Gessen.

Cum ad radices montis illius aduenisset Moyses cum familia, fratrem obuium intuitus, plurimùm consolatur, & cum maximis amicitiæ fraternæ signis illum osculatur. Finitis deinde sermonibus vrbanitatis mutuæ, narrauit Moyses Aaron fratri omnia verba Domini quibus miserat eum, & signa quæ mandauerat: & in his Diuinæ legationis sermonibus reliquum itineris confecerunt, differentes de mediis quibus erat complenda, & quæ Moyses esse prodigiosa Dei reuelatione didicerat, & fratri significabat.

Venerunt in terram Gessen Israëlitarum mansionem, ibique statim congregauerunt cunctos seniores filiorum Israel: locutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen, & fecit signa coram populo, quibus Diuinam legationem confirmauit, & credidit populus. Audieruntq; quòd visitasset Dominus filios Israel, & quòd respexisset afflictionẽ illorum, & proni adorauerunt: Quos animauit Moyses, significans eis quomodo Deus eos amaret quasi filium primogenitum, & quòd Dei nomine debebat hæc Pharaoni referre.

Nec cunctantur Moyses & Aaron commissam sibi legationem exequi: nam ingressi ad Pharaonem sic eum alloquuntur: *Hæc dicit Dominus Deus Israël, Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Quibus arroganter respondit Pharao: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius & dimittam Israël? nescio Dominum, & Israël non dimittã.* Deinde corripuit acriter Moysen & Aaron, quasi commouentes Israëlitas contra eum, ac seditionis authores. Denique

suis præcepit ministris, vt Israelitas ad opera publica deputatos ampliùs vexarent, ita quòd negatis paleis priùs vltro concessis, ad eandem laterum mensuram implendam collectis stipulis compellerentur, imputans eis, quòd otio abutentes cogitabant de peregrinationibus & sacrificiis: Quòd præfixum laterum non implerent numerum, præfecti operum Israëlitæ flagellis cædebantur ab exactoribus Ægyptiis iussu Pharaonis. Vnde miseri ac infœlices sub tyrannide gemebant. Cumque Moysi & Aaron de domo Pharaonis egredientibus occurrissent, eos velut motiuum nouæ persecutionis considerentes, sic alloquuntur: *Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius & præbuistis ei gladium vt occideret nos.*

Commiseratione motus Moyses erga fratres suos Israelitas enixè Dominum pro ipsis rogauit, vt eos de tot angustiis liberaret, qui Moysi familiariter apparens, & suas renouans promissiones, eum constituit Deum Pharaonis, vt multiplicatis super Ægyptum plagis, gloriosè tandem populum suum liberaret: Quæ plagæ non omnes breui completæ fuerunt, sed vno perdurarunt anno successiuè distinctis & intercalatis temporibus inflictæ. Quamuis enim plagarum acerbitate Pharao mitior fieret in Israelitas discessum promittens, qualibet tamen sublata rursùs insaniebat, & promissis non stabat. Hæ plagæ cum suis circanstantiis fusè describuntur à capite septimo Exodi vsque ad duodecimum inclusiuè, Quæ sic breuiter indicantur. Prima fuit aquarum Nili fluminis in sanguinem conuersio, quæ potæ dolores vehementissimos inferebant. Secunda fuit ranarum per loca munda & immunda raptantium squallor. Tertia fuit ignitorum Sciniphum siue culicũ indicibilis multitudo ex proiecto puluere creata. Quarta fuit muscarum omnis generis inundans copia, quæ interiora domorum penetrantes affligebant homines. Quinta fuit generalis & repentina iumentorum & pecorũ mors. Sexta fuit vesicarum turgentium & vlcerum sanies, tam in hominibus quàm in iumentis. Septima fuit grando cum igne mixta, quæ penè singulas arbores Ægypti consumpsit.

Octaua

Octaua fuit locustarum nubes protinus omnia deuorans. Nona fuit densissimarum ac palpabilium tenebrarum horror. Decima tandem fuit primogenitorum Ægypti vniuersalis interfectio. Quæ sic breuius proponuntur.

Sanguis, rana, culex, muscæ, pecus, vlcera, grando:
Brucus, caligo, mors pignora prima necando.

Verùm ante plagam vltimam, dixit Deus Moysi vt præciperet filiis Israel quòd aurea & argentea vasa mutuò peterent ab Ægyptiis, quæ de finibus Ægypti discedentes secum asportarent. Quod Dei mandatum iustitiæ non repugnat, tum quia ipse Dominus supremus & absolutus omnium potest ad libitum transferre dominia rerum, tum quia contra iustitiam Ægyptij spatio multorum annorum Israelitarum opera absque mercede vsi fuerant; vnde bonis Ægyptiorum voluit eos compensare. Deinde iussit Deus quòd sub vesperã manducarẽt agnum paschalem cum specialibus cæremoniis & velut iter agentes, cuius sanguine voluit superliminaria & postes singularum domorum aspergi, & omnes illa nocte intra domos contineri, vt exterminator Angelus sub media nocte percutiens primogenitos Ægyptiorum, intactos præteriret Israelitas.

Non potuit vniuersalis luctus Ægypti de primogenitis omnibus, & domesticis ipsius primogeniti Pharaonis ipsum latere vnde qui priùs fuerat obstinatus & induratus contra Israelitas, dubitans de prioribus signis an essent à Deo, videns similia fieri præstigiis Magorum Ægypti: nunc vltima plaga perterritus, & timens vniuersalem sui ac omnium Ægyptiorum internecionem, de nocte paulo post exterminium, iubet vocari Moysen & Aaron, ac miti sermone ait: *Surgite & egredimini à populo meo, ite immolate Domino sicut dicitis, oues vestra & armenta assumite vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi*: vrgebantque Ægyptij populum de terra exire velociter, dicentes, omnes moriemur. Vnde populus assumpta farina antequam fermentaretur, profecti sunt de Ramesse vbi habitabant in Socoth, vt egrederentur de Ægypto. Iam mortui erant

omnes filij Iacob, qui cum illo fuerant Ægyptum ingressi: Leui proauus Moysis, post centum triginta septem annos vitæ: Caath filius Leui & auus Moysis, post centum triginta tres annos: & Amram pater Moysis post centum triginta septem. In ipso autem discessu Moyses tulit ossa Ioseph secum, eo quòd adiurasset filios Israel, dicens; *visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum*: vtrum autem tulerit ossa patris, aui, proaui, vel aliorum insignuum virorum, non constat.

STATIONES FILIORVM ISRAEL IN DESERTO, QVADRAGINTA ANNORVM SPATIO.

CVm filij Israel in ipso exitu de Ægypto venissent in Socoth, Dominus illos fecit tributarios, propter mirabilem de tyrannide regis Ægyptiorum libertatem, occisis illorum primogenitis: Vnde voluit sanctificari sibi omne primogenitum quòd aperit vuluam in filijs Israel, tam de hominibus quam de iumentis. Deinde Moyses in nomine Domini præcepit filijs Israel, quòd in memoriam æternam exitus de Ægypto, quotannis primo mẽse luna decimaquinta comedentes agnum paschalem, solemnitatẽ Domino celebrarent, & septem diebus continuis azimo pane vescerentur.

Cum emisisset Pharao populum de Ægypto, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella cõsurgere & reuerteretur in Ægyptum: sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum: & armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti; qui cum essent tantum septuaginta numero, dum Iacob ingressus est in Ægyptum, sic multiplicati sunt, vt spatio ducentorum quindecim annorum essent sexcenta tria millia quingenti quinquaginta virorum à vigesimo anno & supra, qui poterant ad bella procedere, præter viros tribus Leuiticæ, & mulieres singularum tribuum & adolescentes infra vigesimum annum. Et quòd mirabilius

in tanta multitudine nullus tunc fuit infirmus.

Profecti de Socoth filij Israel, castrametati sunt in Ethan in extremis finibus solitudinis: Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore; nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo. Prodigium hactenus inauditum, quòd non solum filios Israel dirigebat in via quando de vna statione procedendum esset in aliam; sed etiam plurimum commoditatis & solatij iter agentibus afferebat, protegendo per diem à calore solis, & per noctem in tenebris illuminando.

Cum recta via, quæ ex Ægypto ducit in Chanaan per regionem, Philisthiim propter adductam rationem esset deserenda, & insuper ad submersionem Pharaonis illos persequentis, ne populus ignorans miraretur, dixit Deus Moysi *loquere filiis Israël, Castrametentur è regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum & mare rubrum contra Beelsephon; in conspectu eius castra ponetis super mare, dicturusque est Pharao super filiis Israël, coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum; & indurabo cor eius, ac persequetur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, scientque Ægyptij quia ego sum Dominus.* Audiens igitur Pharao, quod Israëlitæ de regno suo discederent, dolens se eorum seruitute priuandum, ingentem congregat exercitum sexcentorum curruum, & innumerabilium equitum ac peditum, destructurus Israëlitas, qui accedentis jam exercitus territi murmurabant contra Moysem, quòd eos de Ægypto eduxisset: sed Moyses de miraculoso instructus euentu Dei reuelatione, formidantem ac penè exanimem confortat populum in nomine Domini dicens; *Nolite timere, state & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie, Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vsque in sempiternum; Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.*

Tunc ad imperium Domini Moyses eleuans manum

cum virga miraculoſa diuiſit mare in duas partes, ita quòd aquæ pro muris hinc inde deſeruirent,& flante vento vrenti per totam noctem relictum iter medium exſiccauit: Et Angelus Domini qui præcedebat caſtra Iſrael vt cuſtos exercitus, ad poſteriorem eius partem receſſit, & cum eo pariter columna nubis priora dimittens, poſt tergum ſtetit inter caſtra Ægyptiorum & caſtra Iſrael, & erat nubes tenebroſa ex parte Ægyptiorum,& illuminans noctem ex parte Iſraëlitarum;ita vt ad ſe inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.Poſt hæc ingreſſus maris penetralia populus Iſraël, cœpit ad alteram eius partem properare: quod videntes Ægyptij & perſequentes,mare poſt eos ingrediuntur. Sed in vigilia matutina, tertia ſcilicet aut quarta poſt mediam noctem hora, reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam nubis & ignis;ex illa videlicet edens fulgura, tonitrua,& fulmina,interfecit exercitum illorum, & ſubuertit rotas curruum,ferebanturque in profundum. Tam horrendum ſibi ſpectaculum videntes Ægyptij dixerunt; *Fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos*: Sed cum regrederentur, ad præceptum Dei manum eleuat Moyſes ſupra mare, cuius virtute reuerſum eſt mare primo diluculo ad priorem locum, fugientibuſque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus: Reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare, nec vnus quidem ſuperfuit ex eis, Iſraëlitæ verò videntes tam mirabilem Dei protectionem erga ſeipſos, & ſuffocatos in littore maris Ægyptios, timuerunt Dominum, & crediderunt Domino & Moyſi ſeruo eius. Tunc Moyſes pro tam glorioſa victoria canticum triumphi cecinit Domino, ſicut & Maria Propheti ſſa ſoror Moyſis & Aaron, aſſumens tympanum in manu ſua, & ducens chorum cum aliis mulieribus.

Tulit autem Moyſes Iſraël de mari rubro, & egreſſi ſunt in deſertum Sur,ambulaueruntque tribus diebus per ſolitudinem: ſed aquarum penuria laborantes, venerunt ad locum

vbi aquas tantùm amatas inuenerunt, quas bibere, non poterant; propterea congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara. Cumque populus sitiens murmuraret contra Moysem, & ipse recurrisset ad Dominum, ipse Dominus ostendit illi lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt; vel connaturali virtute ligni, vt volunt aliqui; vel præternaturali superaddita, vt volunt alij. Tunc Cenchre Ægyptiorum rege cum toto exercitu submerso, successit in regnum Acheres cognominatus Pharao eius filius, qui regnauit annis octo. Apud Sicyonios tertio egressionis populi Israël de Ægypto anno Echyreus patri Maratho successit in regnum, & regnauit annis quinquaginta quinque: quo tempore condita fuit in Lesbo insula Mytilene ciuitas, à qua tota insula dicta fuit Mytilena.

De Mara venerunt filij Israël in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas.

Inde profecti venerunt in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinai quintodecimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. Ibique murmurauerunt contra Moysen & Aaron quòd deficerent necessaria vitæ, & crederent se fame perituros in solitudine: vnde Deus eorum miseriæ compatiens prouidit primò coturnices in cibum, deinde Manna dedit illis, quo aliti sunt per quadraginta annos donec intrarent terram habitabilem, fines scilicet terræ Chanaan; singulis enim diebus mane priusquam sol oriretur colligebant singulis portionem suam, pridie verò sabbathi duplum colligebant: Ad perpetuam autem rei memoriam vas mannæ iussit Deus reponi in tabernaculo.

Vlterius procedentes de deserto Sin venerunt in Raphidim, vbi cum aquam nõ inuenissent murmurauerunt contra Moysen qui iussu Domini virga sua percussit petram Horeb coram senioribus Israel, vnde miraculosam eduxit aquam, & vocauit nomen loci illius Tentatio: ibi Amalec occurrit

Iſraelitis cum exercitu, ſed Moyſe ſupra collem ſtante cu Aaron & Hur, manuſque eleuante, Ioſue dux populi fug uit Amalec: Ibi quoque Iethro ſacerdos Madian cognatu Moyſis, cum Sephora vxore eiuſdem Moyſis & duobus ei filiis Gerſam & Eliezer viſitauit ipſum reuertentem d Ægypto, vnde prius vxorem & filios ad ſocerum remiſer poſt mutuos amplexus & oſcula pacis, narrauit ei Moyſ quanta prodigia fecerat Deus pro libertate populi ſui, eius conſiliis aquieſcens conſtituit principes, qui audient cauſam diſſentientium eos iudicabant in minoribus negoti maiora referentes ad ipſum.

Menſe tertio egreſſionis Iſraël de terra Ægypti venerun de Raphidim in deſertum Sinai, ibique fixerunt tentoria regione montis. Aſcendit Moyſes in montem vocatus Domino, vbi inter Deum & populum quaſi mediato ſtatuit pactum, & Domino cum multiplici fulgure, c horribili tonitru, cum clangore buccinæ, ac denſiſſima nu cunctis audientibus terrorem magnum, ac reuerentia tum ſuæ maieſtatis, tum famuli ſui Moyſis incutiente, da eſt lex ſcripta Iſraëlitis, quæ præſertim in Decalogo cont netur, multaque alia ſunt ſuperaddita præcepta per modu maioris explicationis decalogi: Deinde iuſſit Deus Moyſi v faceret tabernaculum ſeu arcam fœderis, menſam propoſi tionis, Candelabrum, & cætera Diuini cultus ornament cum ſuis menſuris & figuris: Iuſſit etiam, vt filios Aaro fratris ſui conſecraret in ſacerdotes, & veſtes ſacras conficeret; duo quoque altaria erigeret, vnum quidem immolanda ſacrificia, aliud autem ad adolenda thymiama Cum Moyſes in his Dei colloquiis diu verſaretur, popu inſolens coegit Aaron ſibiipſis deos aureos facere ſub fig vitulorum, quibus formatis Diuinum exhibens cultu incidit in crimen idololatriæ.

Penè fluxit annus, ex quo populus in deſertum Sinai ven rat, & ibi commorabatur donec omnia prædicta ad præce tum Domini fuiſſent completa. Tunc antequam ind proficiſc

proficiſceretur, Dei iuſſu duces eliguntur ſingularum tribuum: Tribus Ruben, Eiſur filius Sedeur: Tribus Simeon Salamiel filius Suriſaddai? Tribus Iudæ Nahaſſon filius Aminadab: Tribus Iſſachar, Nathanael filius Suar: Tribus Zabulon, Eliab filius Helon: Tribus Ephraim, Eliſama filius Ammiud: Tribus Manaſſis, Gamaliel filius Phadaſſur: Tribus Benjamin, Abidan filius Gedeonis: Tribus Dan Ahiezer filius Amiſaddai: Tribus Aſer, Phegiel filius Ochran: Tribus Gad, Eliaſaph filius Duël: Tribus Nephthali, Abira filius Enan. Deinde cuilibet Tribui locus procedendi conceſſus eſt, cum caſtra forent mouenda, præcedente arca fœderis. Denique etiam cuilibet aſſignatus eſt locus circa eandem arcam & tabernaculum, iuxta quatuor mundi partes. His ita ſtabilitis, præcedente nube & arca fœderis mouerunt caſtra filij Iſraël de monte Dei ſiue de deſerto Sinai, & profecti ſunt viam trium dierum: cumque ex hoc labore diuturno murmurarent Iſraëlitæ, faſtidientes manna, & carnem deſiderantes: hos exaudiuit Dominus, & vento flante maximam coturnicum multitudinem adduxit ad caſtra, quas cum adhuc comederent, aſcendit ira Dei ſuper eos & plures nimis occiſi ſunt: propterea locus illi ſepulchra concupiſcentiæ vocatus eſt. In hoc loco iuſſu Domini ſtatuit Moyſes conſilium ſeptuaginta ſeniorum.

De ſepulchris concupiſcentiæ venerunt in Haſeroth, & ibi manſerunt, vbi cum Maria ſoror Moyſis, & Aaron eius frater contra Moyſen locuti fuiſſent, propter Sephoram eius vxorem Æthiopiſſam ſiue Madianitam, dicentes cum indignatione; *Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? Nonne & nobis ſimiliter eſt locutus? Maria in pœnam lepra fuit plexa, & extra caſtra fuit relegata, ſed pœnitens interceſſione Moyſis ſanatur & poſt ſeptem dies reuocatur ad caſtra.*

Profectus eſt populus de Haſeroth, fixis Rethmæ tentoriis in deſerto Pharan Dominus præcepit Moyſi, vt exploratores mitteret in terram promiſſionis, obediens Moyſes ex ſingulis tribubus vnum elegit, qui miſſi peragrarunt maiorem

iorem terræ partem, & post quadraginta dies reuersi ad Moysen, dixerunt terram esse fluentem lacte & melle, confirmantes fructibus adductis, & maximè botro quem duo viri vix poterant portare sed exaggerantes vrbium munitionem & incolarum fortitudinem, populum in desperationem acquirendi terram huiusmodi, & in rebellionem ac vniuersalem murmurationem contra Moysen induxerant, quam Caleb vnus exploratorum de tribu Iuda sedauit aliquantulum. Verùm cùm iterum murmurarent contra Dominum resistentibus illis Iosuë filio Nun, & Caleb filio Iephone, voluit eos Dominus delere, sed ad intercessionem Moysis parcens vitæ, damnauit exilio quadraginta annorum in deserto, donec morerentur omnes qui à vigesimo anno & supra fuerant recensiti bello idonei ad sexcenta tria millia quingentos & quinquaginta, exceptis Iosuë & Caleb: cumque voluissent aliqui contra præceptum Moysis vltra progredi versùs terram promissionis, ab Amalecitis & Chananæis occisi sunt. Ibi cum seditio magna contra Moysen fuisset exorta, authoribus & actoribus Core, Dathan, Abiron, Hon cum ducentis quinquaginta aliis proceribus, qui ad concilia vocabantur: hi miseri justo Dei judicio cum suis tentoriis totaque substantia hiatu terræ sepulti sunt in infernum, & ignis de terra egressus deuorauit ducentos quinquaginta eorum socios. Cumque sequenti die occasione mortis eorum aperta rebellio contra Moysen orta fuisset, voluit Dominus totam multitudinem delere, sed ipso Moyse intercedente sacrificiis adhibitis, cessauit incendium quod iam quatuordecim millia hominum & septingentos consumpserat: Volens autem Dominus similes seditiones ex inuidia prouenientes rescindere, in radice præcepit Moysi singularum tribuum virgas assumere singulas, ipsarum nominibus inscriptas, ac simul virgam Aaron, & ponere in tabernaculo fœderis, dicens ei: *Quem ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me quærimonias filiorum Israël, quibus contra vos murmurant:* quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij, sequenti die regressus inuenit germinasse

virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis erupe-
rant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt;
Iussitque Dominus referre virgam Aaron tabernaculum
testimonij, vt seruaretur ibi in signum rebellium filiorum
Israël. Ac deinceps instituit quod solus Aaron cum Leuitis
custodirent tabernaculum, & pro mercede concessit ei cun-
ctas oblationes filiorum Israël. Lapidatus in hac statione le-
gitur vnus, qui die sabbathi ligna colligebat.

Iam quinque numerantur anni ab egressu filiorum Israël
de Ægypto, qui prohibentur in pœnam suæ infidelitatis
ingredi terram promissionis, & simul iubentur regredi
in solitudinem ibi per annos triginta quinque mansuri: De
quorum gestis nulla fit mentio in sacris Scripturis. Apud
prophanos authores habetur quòd Granaus, aut Cranaus
secundus Atheniensium rex patri Cecropi mortuo successit
in regnum, & regnauit annis nouem, Cuius filia Attis
nomine terram Atticam in Græcia denominauit. Chrotopus
etiam Argiuorum rex octauus successit Triopæ, & viginti ac
vno annis regnauit. Initium vtriusque regis contigit anno
sexto egressionis filiorum Israël de Ægypto. Qui de Rames-
se in terra Gessen Ægypti venerunt primò in soccoth, deinde
de soccoth in Ethan in extremis finibus solitudinis, inde
venerunt in Phihahiroth, postea per medium maris rubri
transeuntes in alterum eius littus peruenerunt, vnde di-
gressi & desertum Ethan tribus diebus penetrantes venerunt
in Mara, de Mara in Elim, inde accesserunt ad mare rubrum
hinc digressi perrexerunt in desertum Sin, inde in Daphca,
de Daphca venerunt in Alus, de Alus in Raphidim de
Raphidim in desertum Sinai, inde ad sepulchra concupiscétię
inde in Haseroth, & de Haseroth in Rethma. Cum autem
iussu Domini recesserunt in solitudinem, venerunt primo in
Remmonphares, inde in Lebna, deinde in Ressa, postea in
Ceclatha, & in montem Sepher. Hinc discedentes venerunt
in Arada, deinde in Maceloth, inde in Thahath, de Tha-
hath in Thare, postea in Methca, Hinc venerunt in Hesmo-
na, inde in Moseroth, postea in Benciaacan, & in montem

Gadgad : inde profecti venerunt in Ietebatha, deinde
Hebrona, postea in Asiongaber: Inde in desertum Sin ali
à prædicto, vbi est Cades, deinde in montem Hor in extre
finibus terræ Edom, postea in Salmona, in Phunon,
Oboth, in Iicabarim in finibus Moabitarũ, in Dibongad,
Helmondeblathim, in montes Abarim contra Nabo. In
venerunt ad campestria Moab supra Iordanem contra Ieric
vbi castrametati sunt, vnde postmodum superato Iorda
terram promissionis ingressi sunt.

Vltimo peregrinationis filiorum Israël anno, cum esse
in Cades deserti Sin, mortua est Maria soror Moysis
Aaron anno ætatis centesimo vigesimo septimo, ibiq;
sepulta est cum magno totius populi & maximo fratru
planctu. Cumque ibi non esset aqua ad bibendum murm
rauit multitudo contra Moysen & Aaron, ipsique in qua
dam inciderunt diffidentiam, ratione cuius puniti su
Domino vt non introducerent populum in terram promis
nis, & ante ingressum morerentur: Iussu tamen Domi
assumens Moyses de tabernaculo virgam miraculosam,
coram tota multitudine percutiens bis silicem eduxit ma
mã aquarum copiam, quæ dictæ sunt aquæ contradictio
Iam ab octo annis regnabat apud Assyrios Amyntas succed
Ascatadi. In Ægypto post Acharem regnauit Danaus, qu
pulso frater eius Remesses regnum vsurpauit anno cente
duodecimo Moysis, qui cum etiam Ægyptus vocare
hanc illustrem prouinciam dictam prius Æriam, denomi
nit Ægyptum. Apud Athenienses regnabat Amphitry
tertius rex, cuius regnum cœperat à decimo quinto an
egressus filiorum Israël de Ægypto: Cui post decem an
successit in regnum Erictonius eius filius, qui primus ho
rarios currus dicitur inuenisse. Tunc etiam regnabat Ste
lus nonus rex Argiuorum: pulsusq; dicitur de regno Arcad
Lycaon ob nimiam tyrannidem: Sicut & paulo post Ste
lus pulsus fuit, cui successisse fertur. Danaus ille de reg
Ægypti à fratre expulsus, qui regnauit annis 50. Iã ab aliqu
annis in Italia regnasse traditur. Ianus, & humaniter excep

Saturnum Cretensem à filio Ioue regno pulsum, ipsique prouinciam Latij in Dominium concessisse. Tandem his temporibus, condita fuit Dardania ciuitas in Phrygia, quæ postmodum Troia vel Troas dicta fuit à Troë rege: Dardanus à Teucro rege susceptus, & filiæ suæ Bateæ desponsatus genuit Erichthonium regni successorem, & Trois patrem: Tros verò genuit Ilum, Ilus autem genuit Laomedontem Priami patrem, sub quo Troia postmodum destructa fuit à Græcis 298. à fundatione.

Profecturi de Cades Israëlitæ nuntios miserunt ad Regem Edom, vt possent per eius ditionem transire, promittentes se absque vllo eius damno transituros: quibus ille transitum negauit, imo armatus occurrit cum exercitu potenti. Cum venissent autem in montem Hor, in eius supercilium ascendit Aaron ibidem moriturus, quo mortuo Moyses testis, eius mortis pontificalia ipsius ornamenta tradidit Eleazaro tunc Aaron primogenito, & omnis multitudo filiorum Israël fleuit super Aaron triginta diebus. Chananæus Rex Arad ibi pugnauit contra Israëlitas, & eos primo prælio vixit: sed ipse postea victus & occisus fuit, & eius vrbes subuersæ, & omnis regio flamma ferroque deleta. Profecti sunt autem monte Hor per viam quæ ducit ad mare rubrum, vt circumirent terram Edom, cumque murmurassent contra Moysen de tam diuturna peregrinatione, immisit Deus in eos serpentes ignitos, quibus afflicti ad mortem plurimorum recurrunt ad Dominum pœnitentia ducti: Cuius mandato Moyses fecit serpentem æneum, cuius aspectu sanabatur afflicti morsibus serpentum: Hæc successerunt vel in Salmona, vel in Phunon.

Profecti de Phunon castrametati sunt in Oboth: vnde egressi fixere tentoria in Iicabarim in solitudine quæ respicit Moab contra orientalem plagam: & inde mouentes venerunt ad torrentem Zarad, quem relinqentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi, siquidem Arnon terminus est Moab, diuidens Moabitas & Amorrhæos: Cumque Sehon rex Amorrhæorum

rhæorum & Og rex Basan Israëlitis non solùm impe-
dire transitum voluissent, sed eliam cum exercitu vali-
occurrissent, Israëlitæ sub Dei protectione tunc pugnante
illos superauerunt, ac eorum regiones cum vrbibus & oppi-
dis occupauerunt. Ac tandem ad vltimam stationem peru-
nerunt, quæ est in campestribus Moab supra Iordane
è regione vrbis Ierico existentis ex altera parte fluminis: v
fixis tentoriis commorati sunt, donec ingrederentur terra
promissionis, debellantes interim & occupantes tota
Moabitarum regionem in sinistro Iordanis littore sitam, i
qua postmodum aliquæ Tribus Israëlitarum remanseru

INGRESSVS FILIORVM ISRAEL I TERRAM PROMISSIONIS

DEduximus filios Israël de Ægypto per varias statio-
& mirabiles successus usque ad conspectum terræ Ca-
naan ipsis promissæ. Nunc vt fideles inueniantur De
promissiones, opus est vt illos in dictam regionem intro-
ducamus: vbi postea facti possessores pacifici Rempublica
primò nobilissimam, deinde regnum illustre constituerun
Cum Balac filius Sephor rex in Moab audisset victoria
insignem Israëlitarum de Sehon rege Amorrhæorum, occu-
pato cum regia ciuitate Hesebon toto eius regno ab Arno
vsque Ieboc & filios Ammon, in quorum finibus erat for
præsidium: Et super Og regem Basan, occupato etiam ei
dominio. Ac simul videns populum suum Moabitaru
nimio terrore perculsum non posse Israëlitis resistere, con-
lium generale cum Moabitis clientibus suis, ac simul c
madianitis eius vicinis init, quid agendum esset in hac rer
extremitate, qua filij Israël obuia quæque regna per vi
occupabant, & vt vulgo dicebatur, magicis potius incan-
tionibus quàm propria virtute. Iudicatum est opportuniùs e
iisdem armis pugnare, & incantationes incantationibu
opponere. Propterea vocandum esse decreuit Balaam filiu
Beor oriundum ex Mesopotamia Syriæ, qui tunc habitab
supe

ſuper flumen terræ filiorum Ammon, & habebatur vt inſignis Ariolus, quamuis tunc eſſet verus Propheta Domini, deſcendebat enim ex Nachor fratre Abraham; quamuis poſtea ob ſpem munerum in ruinam Iſraëlitarum conſpirauerit,& à Deo receſſerit.Miſit igitur Balac ad eum Nuntios, vt adduceret eum ad maledicendum Iſraëlitis: Sed Balaam ire noluit cum Dominus ei apparens ire prohibuiſſet.Verùm cum alij plures ac nobiliores nuntij rursùs aduenifſent, Domino permittente propter eius importunitatem ire decreuit: Cumque in via Angelus apparens aſine cui inſedebat, & deinceps ipſi ſignificaſſet viam eius non eſſe rectam, ſed importunitati permiſſam, precepit ei vt nihil ibi contra Dei inſpirationem ageret. Veniens Balaam ad Balac, & adductus ad conſpectum filiorum Iſraël, præmiſſis pluribus cæremoniis, loco maledictionis ſolemnem largitus eſt benedictionem,& multa ſimul de futuris euentibus,& maximè de aduentu Chriſti prophetauit, de quo ait: Videbo eum,ſed non modo; intuebor illum, ſed non propè: Orietur ſtella ex Iacob,&conſurget virga de Iſraël,& percutiet duces Moab,vaſtabitque omnes filios Seth: Et erit Idumæa poſſeſſio eius, hæreditas Seir cedet inimicis ſuis; Iſraël verò fortiter aget: De Iacob erit qui dominetur,& perdat reliquias ciuitatis.Cũ caſtra Iſraëlitarũ in cãpeſtribus Moab eſſent extenſa de Bethſimoth vſque ad Abelſatim in planioribus locis Moabitarum,& Iſraëlitæ morarentur in Settim,aduenere Moabitidas fæminæ ad caſtra, quæ amore ſui captos Iſraëlitas vſque idololatriam Beelphegor pertraxerunt,cooperante vt creditur Balaam iam peruerſo. Tamque impudenter aliqui iungebantur Moabitidis,vt vnus coram Moyſe ad vnam acceſſerit ducens ad Lupanar. Quod cum vidiſſet Phinees filius Eleazari filij Aaron, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet & mulierem in locis genitalibus. Quo zelo placatus Deus ceſſauit à punitione: qui iam præceperat ſuſpendi principes populi contra ſolem in patibulis propter incuriam, & occidi viginti quatuor

P millia

millia hominum. Nomen Iſraëlitæ occiſi fuit Zambri filius Salu de Tribu Simeonis: mulier autem Moabitis occiſa vocabatur Cozbi filia Sur principis nobiliſſimi Madianitarum: Iuſſitque Deus impoſterum percuti Madianitas velut hoſtes propter deceptionem idololatriæ. Vnde coacto duodecim millium expeditorum militum, millium ſcilicet ex ſingulis tribubus inuaſit Phinees mandato Moyſis Madianitas, quos occidit, vrbes ferro flammaque deleuit, & omnem ſubſtantiam auri ac argenti, pecorum ac vtenſilium diripiens æqualiter multitudini diuiſit. Inter occiſos autem fuerunt quinque principes gentis, ſcilicet Eui, Recem, Sur, Hur, & Rebe; ac etiam Balaam cauſa totius ruinæ Iſraëlitarum.

Deinde dixit Dominus ad Moyſen: Aſcende ad montem iſtum Abarim, & contemplare inde terram quam daturus ſum filiis Iſraël, cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, ſicut iuit frater tuus Aaron, quia offendiſtis me in deſerto Sin in contradictione multitudinis, nec ſanctificare me voluiſtis coram ea ſuper aquas. Et ſimul iniunxit vt coram Eleazaro ſummo ſacerdote totaque multitudine imponens manus ſuper Ioſuë filio Nun ſuum declararet ſucceſſorem in directione ac principatu populi. Multa præterea tradidit præcepta de variis ſolemnitatibus obſeruandis, de ſacrificiis peragendis, & aliis ſimilibus in terra promiſſionis cuſtodiendis: quæ ſingula Moyſes palam omnibus denuntiauit in nomine Domini. Cum verò cuncta pararentur ad tranſitum Iordanis & ingreſſum terræ promiſſionis, filij Ruben & Gad diuites in pecoribus, videntes regionem Moabitarum & Amorrhæorum, & Galaad aptas animalibus alendis, eas in ſortem ſuam à Moyſe petierunt, quos priùs reiecit timens ne diminuto ſuorum numero non auderent alij terram promiſſionis ingredi & acquirere; poſtea tamen promittentibus ſuum reliquis tribubus auxilium in acquiſitione illius, vltrò tandem conceſſit. Dedit itaque Moyſes filiis Gad & Ruben, & dimidiæ Tribui Manaſſe filij Ioſeph, regnum Sehon regis Amorrhæi, & regnum Og regis Baſan, & terram eorum cum vrbibus ſuis per circuitum. Igitur extruxerunt

runt filij Gad Dibon & Ataroth , & Aroër , & Etroth , &
Sophan, & Iazer,& Iegbaa, & Bethnemra,& Betharan, vr-
bes munitas,& caulas pecoribus suis.Filij verò Ruben ædifi-
cauerunt Hesebō,& Eleale,& Cariathaim,& Nabo,& Baal-
meon versis nominibus,Sabama quoque;imponentes voca-
bula vrbibus quas extruxerāt.Porrò filij Machir filij Manasse
perrexerunt in Galaad, & vastauerunt eam interfecto Amor-
rhæo habitatore eius:Dedit ergo Moyses terram Galaad Ma-
chir filio Manasse qui habitauit in ea;Iair autē filius Manasse
abiit & occupauit vicos eius,quos appellauit Hauoth - Iair,
id est,villas Iair;Nobe quoque perrexit,&apprehendit Cha-
nath cum viculis suis,vocauitque eam ex nomine suo Nobe.

Denique Dominus loquens Moysi assignauit terminos
terræ promissionis , à Meridie solitudinem Sin , ab Occasu
mare Mediterranum, ab Aquilone montem Libanum, & ab
Ortu mare mortuum & Iordanem ; quam iussit nouem
Tribubus reliquis ac dimidiæ Tribui Manasse diuidi sorte ,
quam dirigere debebant Eleezar summus sacerdos , Iosuë
dux populi, & singuli principes singularum Tribuum. Filiis
autem Leui iussit dari in singulis Tribubus vrbes & oppida;
cum enim Tribus Leui fuisset à Deo electa in sacerdotium ,
ac proinde Diuino cultui, ac populi totius instructioni desti-
nata fuisset,debuit singulis misceri Tribubus, & non separa-
tim viuere.Iussit etiam assignari vrbes refugij,tam vltra quàm
citra Iordanem , pro his qui præter intentionem humanum
sanguinem fudissent.

Postquam Moyses omnia Domini præcepta populo Israël
intimasset, ipsique Diuinam legem explanasset, & plurimum
fuisset contestatus vt Deum patrum suorum coleret , & ad
idololatriam non declinaret:ascendit de campestribus Moab
super montem Nebo , in verticem Phasga contra Iericho ,
ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad vsque Dan,
& vniuersum Nephthali,terramque Ephraim & Manasse,&
omnem terram Iuda vsque ad mare nouissimum,& australem
partem , & latitudinem campi Iericho ciuitatis palmarum
vsque Segor. Et vt se fidelem in promissis ostenderet , ait:

Hæc

Hæc est terra, pro qua iuraui Abraham Isaac & Iacob, dicens; Semini tuo dabo eam: Vidistis eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius; sic Deo disponente, ne Israëlitæ proni ad idololatriam Diuinos honores corpori Moysis conferrent. Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt fleueruntque eum filij Israël in campestribus Moab triginta diebus. Ante mortem propheticas benedictiones singulis Tribubus Israël dedit, quæ cap. 33. Deuteron. continentur.

Mortuo Moyse surrexit Iosuë successor eius electus à Dominò, quem sine contradictione receperunt filij Israël. Hunc animauit Dominus, vt populum suum in terram promissionis introduceret: Iussu ergo Domini denuntiauit Iosuë populo, vt se ad transitum Iordanis post tertium diem futurum comparatis cibis se pararent. Vt promptos ac hilares vidit Iosue Israëlitas ad huiusmodi nuntium, duos misit exploratores in terram, & in vrbem Iericho, qui apud Rahab meretricem diuertentes non sic latere potuerunt, quin eorum aduentus regi ciuitatis illius innotesceret, qui statim iussit exploratores comprehendi: sed Rahab de illis interrogata respondit euasisse. Postea cum illos fore victores, ac vrbis possessores ex aliis mirabilibus victoriis ipsorum tam antiquis in Ægypto, quàm recentibus in terra Moab vicina coniecisset, illos rogat vt velint seipsam, patrem, matrem ac fratres suos cũ omnibus ad eos attinentibus saluare, sicut ipsa nunc saluabat eos. Ipsi libenter promittunt, & ingredientibus Israëlitis vrbem Iericho iusserunt appendi per fenestram funem coccineum, quo voluit ipsa illos per murum dimittere, domus enim eius vrbis muro hærebat. Dumque noctu prudens mulier eos dimittebat, suasit vt iter montium assumerent, ibique per tres dies latitarent, ne redeuntibus ab eorum inquisitione regis militibus occurrerent. Exploratores igitur de monte descendentes in planitiem venerunt ad Iordanem

Iordanem, & illo transmisso accedentes ad Iosue narrauerunt omnia quæ acciderant sibi, atque dixerunt; *Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, & timore prostrati sunt cuncti habitatores eius.*

Igitur Iosue de nocte consurgens mouit castra, egredientesque de Setim venerunt ad Iordanem ipse & omnes filij Israël, & morati sunt ibi tres dies. Quibus euolutis transierunt præcones per castra, qui populo denunciarent, vt sequeretur arcam fœderis, cum eam præcessisse portantibus Leuitis videret, medio tamen spatio reuerentiæ causa. Deinde Iosue dixit populo: sanctificamini, cras enim faciet Dominus ante vos mirabilia: Et prædixit quomodo Iordanis fluuius liberum præberet eis transitum, stupendo namque miraculo futurum erat, quòd statim ac sacerdotes arcam fœderis portantes illum ingrederentur, aquæ inferiores defluerent, & superiores in magna mole consurgentes ad instar muri consisterent. Ingrediuntur igitur Iordanem sacerdotes, cuius aquæ superiores ad instar montis intumescentes eius alueum excedebant, ita quòd procul apparerent, ingreditur etiam populus miraculo tam grandi confirmatus, & pedibus siccis illum pertransit: Et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Iordanis accincti, donec omnis populus pertransisset; cumque transissent omnes, transiuit & arca Domini. Antequam autem ascendissent de Iordane portantes arcam, iubente Domino Iosue elegit duodecim viros, singulos ex singulis Tribubus, qui totidem lapides ex medio Iordanis alueo, vbi steterat arca fœderis, ad æternam rei memoriam assumerent, ponendos in loco vbi tunc castrametati sunt, & totidem de terra lapides in illum stationis locum deferrent. Cum autem ascendissent portantes arcam fœderis Domini, & siccam humum calcare cœpissent, reuersæ sunt aquæ in alueum suum, & fluebant sicut ante consueuerant. Populus autem ascendit de Iordane decimo die mensis primi, & castrametati sunt in Galgalis contra orientalem plagam vrbis Iericho. Sub hoc tempus floruisse dicuntur in Lybia duo fra-

tres filij cuiusdam Herculis, quorum primus nomine Sard
ex Aphrica traiiciens mare mediterraneum appulit in insu
lam, quam ex se denominauit Sardiniam; secundus autem
nomine Cirinus transiens ad aliam insulam Sardiniæ vici
nam ex se denominauit Cyrum, quæ postmodum Corsic
mulieris Liguræ insignitur nomine. Floruisse quoque trad
tur Siculus cuiusdam Neptuni filius, qui Siciliæ nomen ins
læ dedit: Floruit tandem Lybia Epaphi regis & Casio
coniugis illius filia, cuius nomine pars Aphricæ eius p
tria dicta est Lybia, filiumque habuit dictum Busyride
qui Busyris tyrannicè regnum Ægypti vsurpauit anno p
mo Ducatus Iosuë, & crudeliter administrauit immolans
suos hospites: quam crudelitatem cum in Herculẽ Thebanu
exercere voluisset, ipsemet ab eodem Hercule super aras i
molatus traditur. Busyris in Ægypto ædificauit Thebas n
bilissimam ciuitatem, centum quadraginta stadiorum am
bitus, pulcherrimis & admodum altis exornatam domibus
centum portis totidemque aulis seu principum palatiis il
strem, pluribus quoque deorum templis inclytam, ac tand
pulcherrimam & fœlicissimam totius orbis, quam Medi
amnis quidam placidis vndis interfluebat. Dicta fuit post
dum Heliopolis, seu ciuitas Solis; ex cuius ruinis tres obel
sub Augusto Cæsare Romam delati sunt à Gallo poëta f
roliuiensi tunc Thebis-Prætore, quorum primus nunc e
miræ altitudinis in platea D. Petri, secundus in Circo m
mo, & tertius in campo Martio collocatus est. Hæc ci
fuit patria S. Mauricij Ducis, eiusque militum sex mil
sexcentorum, qui pro fide Christi martyrio coronati
à Maximiano Imperatore in Gallia ad fines Sedunoru

ACQVISITIO TERRÆ PROMISSIO
AB ISRAELITIS SVB IOSVE.

POstquam audierunt omnes reges Amorrhæorum, &
habitabant trans-Iordanem ad occidentalem plagam
cuncti reges Chanaan, qui propinqua possidebant m
maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Iordanis co

filiis Iſraël donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus, quia proximam ſibi ruinam formidabant. In hoc primo caſtrorum loco iuſſit Dominus aptari cultros lapideos ad vniuerſalem filiorum Iſraël circumciſionem; toto namque tempore peregrinationis eorum in deſerto nullus fuerat circumciſus: Circumcidit igitur Ioſuë mediis miniſtris omnes filios Iſraël incircumciſos in colle denominato præputiorum ab hac actione, vel Galgala id eſt Ablatio; ibidemque manſerunt donec ſanarentur. Ac inſuper celebrauerunt Phaſe quartadecima die menſis ad veſperum in campeſtribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ die altero azimos panes, & polentam eiuſdem anni. Defecitque manna, poſtquam comederunt de frugibus terræ, nec vſi ſunt vltra cibo illo filij Iſraël, ſed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan.

Cum Ioſuë ſe pararet ad expeditionem bellicam, apparuit ei Angelus princeps exercitus Domini, qui monuit vt ſolueret calceamentum de pedibus, quia locus in quo ſtabat ſanctus erat iam in Diuinis decretis propter futuram inhabitationem Meſſiæ, & tot Sanctorum Patrum. Cuius aſpectû plurimum confortatus Ioſuë ſumpſit arma, & ad præceptum Domini acceſſit ad Iericho: quam cum ſex diebus continuis ſemel per diem totus exercitus circuiſſet; & ſeptima die ſacerdotes cum ſeptem buccinis ante arcam fœderis clangentes ſepties circuiſſent, vociferante tota multitudine corruerunt muri ciuitatis: Iuſſitque Ioſuë cunctos vtriuſque ſexus vſque ad paruulos, & etiam bruta interfici, excepta Rahab meretrice cum omnibus qui cum ea in domo forent; aurum autem, argentum, æs & ferrum iuſſit conſecrari Domino: Cumque ſubuerſis mœnibus milites vrbem inſilirent, præmiſit duos exploratores prædictos, qui iuxta fidem datam & iuramento firmatam Rahab cum omnibus ad eam attinentibus ſaluarent; qui iuſſa complentes, ipſam ad Ioſuë adducentes extra caſtra poſuerunt, ipſaque poſtmodum manſit cum Iſraëlitis, & nupſit Salmon filio Naaſſon principi de Tribu Iuda, ex qua natus eſt Booz proauus

Dauid regis. Ciuitas autem Iericho flamma fuit consumpta.

Capta & destructa vrbe Iericho, misit Iosuë partem exercitus contra Hai, quæ est iuxta Bethauen ad orientalem plagam oppidi Bethel: sed Israëlitæ fugati sunt propter sacrilegium Achan filij Charmi de tribu Iuda, qui contra præceptum Domini tulerat aliquid de anathemate Iericho, scilicet pallium coccineum, ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum: Qui cum indicio Dei manifestus fuisset, lapidatus fuit, omnia eius cum furto sacrilego sunt igne consumpta in valle Achor; super illum verò congregauerunt aceruum lapidum. Postea ad nutum Domini perrexit Iosuë cum toto exercitu contra Hai, qui positis insidiis eam capit, dum ipse fingens se fugere ciues ciuitatis post se adduxit, & socij eius de insidiis surgentes desertam & apertam vrbem ingrediuntur, eamque delent igne admoto: Cumque ciues pugnante fortiter Iosuë redirent, ex vtraque parte appetiti perierunt: succensa penitus vrbe regem suspendit in patibulo vsque ad vesperam, & postea iussit ad introitum ciuitatis aceruo lapidum operiri. Tunc Iosuë iussit ædificari altare Domino de lapidibus impolitis, & super illud obtulit holocausta, & scripsit super lapides Deuteronomium legis Domini: Quod altare fuit in monte Hebal iuxta montem Garisim. Deinde benedicens populo, legit ipsi omnia verba benedictionis & maledictionis Domini scripta per Moysen.

Cum cæteri terræ Chanaan reguli miraculosas Israëlitarum victorias, subuersionem quoque ac omnimodam destructionem vrbium Iericho & Hai didicissent, eorum aduentum & irruptionem formidantes, mutuam societatem ad resistendum inierunt. Gabaonitæ verò, qui proximiores erant Israëlitis, arte mirabili fingentes de longinquo venire pacem obtinuerunt, illam iurantibus Israëlitarum principibus: Quorum fraudem cum post tres dies Israëlitæ detexissent, volebant eos quasi cæteros tractare, sed principes propter iusiurandum vitam concesserunt, ad humilia tamen officia

officia cædendi ligna & comportandi aquam condemnarunt.

Verùm Adonisedec rex Ierusalem magis sibi timens, eo quod Gabaonitæ transfugissent ad Israël, & confœderati eorum essent (vrbs enim Gabaon erat magna, & vna ciuitatum regaliũ, omnesque bellatores eius fortissimi) contra ipsos vehementer indignatus, vicinos conuocat reges ad eorum perniciem. Misit ergo ad Osiam regem Hebron, & ad Pharan regem Ierimoth, ad Iaphia quoque regem Lachis, & ad Dabir regem Eglon, vt auxiliares sibi turmas militum adducerent. Hi ergo quinque reges Amorrhæorum simul vniti contra Gabaon ascenderunt. Tunc Gabaonitæ missis ad Iosuë nuntiis adhuc in Galgalis existentem, qui suæ ciuitatis obsidionem referrent, promptum ab eo petunt auxilium: Accedente exercitu Israëlitarum fugerũt obsidentes nimio terrore perculsi; quos cũ persequerentur milites Iosuë, & ipse timeret ne nox superueniens victoriam diminueret, imperauit dicens: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon*; Steteruntque Sol & Luna in medio cœli, & non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israël. Audiuit Iosuë quinque reges fugitiuos latere in spelunca vrbis Maceda, iussit primò saxis ingentibus ad os eius appositis illos custodiri: Deinde illuc adueniens cum exercitu iussit extrahi de spelunca, & in patibulis suspendi vsque ad vesperam, ac depositos in eandem speluncam proiici. Quibus expeditis eodem die vrbem Macedam cepit, regemque illius ac omnes occidit simul incolas.

Deinde benè vsus victoria Iosuë procedit ad alias vrbes capiendas & iussu Domini destruendas, occisis earum regibus ac ciuibus, quas maxima fœlicitate statim capit; ita quòd meritò dicere posset, *Veni, vidi, vici.* De Maceda igitur venit in Lebna, de Lebna in Lachis, quam altero die cepit; ac simul occidit Horam regem Gazer cum eius exercitu venientem in auxilium Lachis. Transiuit de Lachis in Eglon, qua capta eadem die ascendit in Hebron, quam æmiliter destruxit:

ſtruxit : Inde reuerſus in Dabir, eadem facilitate ſubuert
Percuſſit itaque Ioſuë omnem terram montanam & meridi
nam, atque campeſtrem, & Aſedoth cum regibus ſuis: n
dimiſit in ea vllas reliquias, ſed omne quod ſpirare pote
interfecit, ſicut præceperat ei Dominus Deus Iſraël à C
desbarne vſque Gazam, omnem terram Gozen vſque G
baon, vniuerſoſque reges & regiones eorum, vno impe
cepit atque vaſtauit: Dominus enim Deus Iſraël pugna
pro eo, reuerſuſque eſt cum omni Iſraël ad locum caſtroru
in Galgala.

Audientes cæteri reges Chanaan exterminium quod Iſra
litæ in captis ciuitatibus exercebant, ſimul conuenert
cum immenſo exercitu ad aquas Merom, vt ſe inuaſo
bus Iſraëlitis opponerent. Ad illos iuſſu Domini properat Io
ſuë, & ſubitò irruens in illos facilè diſperſit, fugauit, & reg
nes eorum diripuit ac vaſtauit: Ac ita breui magnam ter
promiſſionis partem obtinuit. Non fuit ciuitas, quæ ſe trad
ret filiis Iſraël, præter Gabaon, omnes enim bellando cep
runt: Domini quippe ſententia fuerat, vt indurarentur co
da eorum, & pugnarent contra Iſraël, & caderent, & no
mererentur vllam clementiam. In illo tempore venit Ioſu
& interfecit Enacim de montanis, Hebron, & Dabir, &
Anah, & de omni monte Iuda & Iſraël, vrbeſque eoru
deleuit. Non reliquit vllum de ſtirpe Enacim, exceptis ciu
tatibus Gaza, Geth, & Azolo, in quibus ſolis relicti ſunt.

Hoc tempore Chorax decimus ſextus Sicyoniorum re
cœpit regnare, & regnauit annis triginta. Floruit etiam D
danus, qui fugiens ex Italia Dardaniam regionem ex ſ
denominavit nomine. Floruerunt quoque Phœnix & Ca
mus fratres, Agenoris filij, qui de Thebis Ægypti venien
in Syriam; Primus regnauit Tyri & Sydone, totamque re
gionem illam Phœniciam denominauit; Secundus aute
tranſiens in Græciam, viginti quatuor characteres lingu
Græcæ adinuenit, ciuitatem in Boëtia conſtruxit, quam p
triæ ſuæ inſigniuit nomine Thebas vocando; Verùm exp
ſo Cadmo, Amphion Mercurij filius illam extructis mu

& ædificiis pulcherrimis illuſtrauit & perfecit. Duobus his fratribus tribuitur ſoror Europa nomine, mulier miræ pulchritudinis, quam à Ioue Cretenſium rege raptam tradunt Authores, & Poëtæ multis fictionibus mixtis decantant. A qua poſtmodum Europa noſtra fertur denominata.

DIVISIO TERRÆ PROMISSIONIS IN TRIBVS FILIORVM ISRAEL.

DEſtructo rege Aſor, qui potentiſſimus erat inter Chananæos, captaque poſt longam obſidionem Aſor ciuitate munitiſſima, ac ſimul diſſipatis pluribus regulis eius confœderatis, à termino Ægypti vſque ad Libanum montem, & hoc ſpatio quinque annorum, nullus tunc Iſraëlitis dannum inferre audebat aggrediendo, quamuis aliqui reſiſterent eorum poſſeſſioni. Hactenus Caſtra filiorum Iſraël in Galgalis propè Iordanem ad amœnā ciuitatis Iericho planitiem perſeuerauerant, vt ſic facilius in hoc acquiſitionis principio terræ tam citra quàm vltra Iordanem acquiſitæ denominarentur.

Cum iam ſenex eſſet Ioſuë, & per ipſum vellet Deus promiſſionis terram Iſraëlitis diuidi, quem magnæ apud eos authoritatis effecerat tot prodigiis illuſtratum, ne poſt eius mortem diſſentientibus circa terræ partitionem mutua naſcerentur bella, quæ generalem totius populi ruinam cauſarent. Iuſſit illi Dominus omnem ſuam ſollicitudinem huic negotio applicare. Vnde caſtra mouens de Galgalis venit in Silo, vbi cum maxima ſolemnitate fixit ſanctuarium multis ibi perſeueraturum annis, ſecumque detulit oſſa Sancti Patriarchæ Ioſeph, poſtmodum in Sichem ſepelienda.

Ad hanc diuiſionem faciendam ſinguli fuerunt electi principes ex ſingulis Tribubus, quibus intererat, id eſt viri decem probatiſſimi. Sed cum eorum diuiſio non approbaretur, dixit Ioſue ad populum: *Eligite de ſingulis Tribubus ternos viros, vt mittam eos & pergant, atque circumeant terram,*

&

& describant eam iuxta numerum vniuscuiusque multitudinis, referantque ad me quod descripserint. Hi triginta viri metatores, functi suo munere veniunt ad Iosuë in Silo, & post longam consultationem, sorte diuisa fuit terra promissionis in partes proportionales, attento maiori vel minori numero Israëlitarum in qualibet Tribu, ac simul attenta fertilitate vel sterilitate cuiuslibet portionis terræ. Adhibita huiusmodi diligentia fuit intimata terræ diuisio, consentientibus vt plurimùm omnibus, quæ diuisa est à radicibus Libani ac fontibus Iordanis vsque ad torrentem Ægypti spatio sexaginta septem leucarum longitudinis, & à mari mediterraneo vsque ad Iordanem fluuium spatio sexdecim vel octodecim leucarum latitudinis, quamuis tunc non omnem illam acquisiissent, nec postea per multos annos acquisierint.

Iam vidimus qualiter portio Tribuum Ruben & Gad, ac dimidiæ Tribus Manassè designata fuit in terra Moabitarum & Amorrhæorum trans Iordanem ad ripas eius, ita vt Tribus Ruben obstinuerit partem australem, dimidia Tribus Manasse partem aquilonarem, Tribus verò Gad mediam partem inter vtramque. Cæteris autem Tribubus terræ citra Iordanem distributio sic facta describitur à Iosepho libro 5. Antiquitatum Iudaicarum cap. 1. Tribui Iudæ obuenit tota superior Iudæa pertingens vsque Hierosolymam, latitudo verò eius Sodomiticum lacum attingebat; in hac sorte vrbes erant Ascalon & Gaza, quas tamen Adricomius in Tribu Simeonis constituit. Secundo loco Simeonis sortita est Idumeæ partem, Ægypto & Arabiæ conterminam. Beniamitæ deinde regionem sortiti sunt, quæ à Iordane amne vsque ad mare protenditur, latitudo verò eius patet Hierosolyma inter & Bethela: Angustissima autem hæc sors fuit propter agri bonitatem, Hierosolyma enim Hierichuntem acceperunt. Ephræmi autem Tribus terram à Iordane vsque ad Gadara in longum protensam sortita est, in latum patentem à Bethelis vsque ad magnum campum. Manassetidis item dimidia pars agrum à Iordane vsque ad Dora vrbem, latitudine vsque ad Bethsana, quæ nunc Scythopolis vocatur.

Post hos Isacharis in longum patentem à flumi ne vsque ad Carmelum montem, latitudinis verò mons Itabyrius fuit terminus. Zabulonitæ vsque ad Genezaritem lacum terram Carmelo & mari contiguam sunt sortiti. Quæ autem regio post Carmelum sita est, conuallis ex re nomen habens, tota Aseritis cessit, qua ad Sidonem est obuersa: In hac portione fuit vrbs Arce, alio nomine Actipus. Quæ verò ad orientem spectant vsque ad Damascum vrbem, & superior Galilæa Nephthalitis obtigit, vsque ad Libanum montem & Iordanis fontes, qui ex hoc monte oriuntur, qua fines sunt Arces vrbis versùs septentriones sitæ. Portò Danitæ adepti sunt quicquid vallis ad occidentem solem vergit Azoto & Doris terminati: Horum est Iamnia tota & Gitta, & totus ager qui ab Accarone pertingit vsque ad montem, à quo Iudæ Tribus initium fecit.

Quia terra promissionis ab Aquilone in austrum protenditur in longitudinem sexaginta septem leucarum; ab ortu verò in occasum eius latitudo sexdecim vel octodecim leucarum, ad intelligentiam adductæ diuisionis, dicimus quòd terra promissionis diuisa fuit Tribubus Israël iuxta longitudinem ipsius; cum enim sit parum lata, plures Tribus totam eius aucupabant latitudinem in sua longitudine. Sed quia in vtraque extremitate, tam australi quam Aquilonari latior est, ideò in latitudine vtriusque extremitatis duæ Tribus constituuntur. Incipiendo igitur à parte australi, Tribus Iuda & Tribus Simeon primæ sunt, Tribus quidem Iuda ad ortum attingens mare mortuum, Tribus autem Simeon ad occasum attingens mare mediterraneum, illa confinis deserto Pharan, ista regno Ægypti. Tribui Simeon ab austro, & Tribui Beniamin ab ortu contermina fuit Tribus Dan ad vallem modicam redacta propè mare mediterraneum. Deinde sequentes quinque Tribus, & sequenti ordine totam terræ promissionis latitudinem à Iordane & mari Galilææ vsque ad mare magnum, in portionis suæ longitudine continentes, sic numerantur: Tribus Beniamin collocata est in planitie Ierioho, & in montibus Ierusalem; plurimum amoenis ac fertilibus-

fertilibus: Tribus Ephraim sita in montibus ab ipsa denominatis: Dimidia Tribus Manasse ad radices aquilonares illorum montium ad campum magnum Esdrelon dilatatur: Tribus Issachar maiorem eiusdem campi Esdrelon partem occupans pertingit ad nostrum montem Carmelum: Tribus Zabulon à mari Galileæ ad mediterraneum diffusa partem aquilonarem ipsiusmet campi totumque Carmelum possidet. Inde sequuntur duæ Tribus magis septentrionales, videlicet Aser & Nephthali, illa ad radices aquilonares Carmeli collocata ad littus maris magni decurrit ad Libanum, ista verò accedens ad ripas Iordanis diffunditur versus Damascum.

Vbi facta fuit terræ promissionis diuisio, & communiter acceptata, singulæ Tribus ad singulas portiones sibi traditas perrexerunt, quas subdiuiserunt familiis & cognationibus suis, in qua subdiuisione non parua videtur fuisse difficultas, cum in vnaquaque Tribu plures essent familiæ, & terra non esset æqualiter bona; quilibet enim meliorem eius possessionem ac magis fertilem ambiebat: Deo tamen dirigente cuncta pacificè processerunt. Vnde singulæ Tribus suas familias, & suos greges & armenta de planitie Iericho, de Galgalis, aliisque locis non multum inde dissitis, ad suas sortes adduxerunt: primis namque sex illis annis non multum à Iordane recesserant, cum eorum exercitus destruens inimicos terram occupabat.

Tunc mandato Iosuè bellatores Tribuum Ruben & Gad, ac dimidiæ Tribus Manasse, qui iuxta fidem Moysi datam cum aliis Iordanem transierant simul bellaturi ad acquirendam promissionis terram, ad suas familias trans Iordanem redierunt, vbi eorum auxilium non amplius erat necessarium. Sed cum transituri essent Iordanem, timentes ne fortè medius Iordanis fluuius inter ipsos & reliquos Israëlitas fraternum diuideret affectum, & ex consequenti diuisionem religionis, præsumpta originis distinctione propter separationem habitationis, causaret; inito simul consilio decreuerunt altare infinitæ magnitudinis ædificare super Iordanem,

danem in terra Chanaan, quod eſſet in perpetuum teſtimonium futuris generationibus Iſraëlitarum vtriuſq; partis, vnitatis ſcilicet, & originis, & religionis. Videntes Iſraëlitæ cæteri altare erectum, & non penetrantes erectionis motiuum, iudicarunt factum eſſe ſacrilegũ, quaſi tres illæ Tribus vltra Iordanem ſitæ vellent ab vnitate religionis diſcedere diſtincta inſtituendo ſacrificia: Verùm cum Phinees filius Eleezari Pontificis & decem alij principes ex ſingulis Tribubus electi, fuiſſent ad eos deſtinati, & cauſam facti audiiſſent, factum illorum communi fuit applauſu laudatum.

Singulæ Tribus iam diuiſæ, & ad proprias terras recedentes cœperunt eas colere fructum benedictionis vberrimum inde percipientes; cœperunt etiam vrbes & oppida penitus diruta reedificare, & noua condere: quod tam fœliciter executioni mandatum eſt, vt breui terra promiſſionis fieret regnum florentiſſimum: Cuius poſtmodum curia fuit Ieruſalem vrbs nobiliſſima, tum magnifici templi ſanctitate, tum ædificiorum pulchritudine, tum maxima populi frequentia. Fuit etiam alia poſt diuiſionem regni curia, ſcilicet Samaria: Fuerunt & alia quam plures inclytæ ciuitates, vt Hiericho, Sephet, Hebron, Nazareth, Cæſarea, Tyberias, Bethulia, & Oppida verò propemodum infinita.

Statuit Ioſuë in medio cæterarum Tribuum ciuitates & oppida pro Tribu Leui, ad quæ Leuitarum familias diſtribuit. Conſtituit etiam ciuitates fugitiuorum, in quibus erant tuti qui præter intentionem humanum ſaguinem fudiſſent. Vt ſic homines innoxij poſſent in propria conſiſtere patria, donec innocentiam ſuam iudici demonſtraſſent. Quod nunc etiam obſeruatur in lege gratiæ, vbi ſimilibus hominibus Eccleſiæ proſunt. Tradidit quoque Ioſuë oſſa Ioſeph Patriarchæ filiis Ephraim eius poſteris ſepelienda in Sichem, quæ eis in ſortem ceſſerat.

Tandem Ioſuë cum ſe morti proximum videret, conuocauit ad ſe comitia populi generalia, principes ac præcipuos ſingularum Tribuum, vndecim annis poſt diuiſionem terræ promiſſionis, quibus in pace vixerãt: Proponit ipſis quicquid

in

in gratiam ipsorum Deus fecerat, hortatur vt ipsum tanquam verum Deum colant, caueant ab idolis, & propterea cũ vicinis nationibus idololatris nullam amicitiam, nullamque societatem pręsertim coniugalem ineant. Quamdiu Deo patrum suorũ adhærebunt, summam fælicitatem pollicetur: quòd si recesserint ab eo, multa minatur infortunia, etiam exilium ab illa promissionis terra. Hæc prima exhortatio Iosuë ad populum creditur facta in Silo: Secundam similem fecit paulò ante mortem in Sichem, conuocatis ad se cunctis Tribubus; & habito solemni iuramento de seruando veri Dei cultu, & inito fœdere nouo inter Deum & populum, quod in volumine scripsit, & defosso ad sanctuarium prægrandi lapide confirmauit, populum dimisit singulos in possessionem suam. Et post hæc mortuus est Iosuë filius Nun, seruus Domini centum & decem annorum, decimo septimo sui ducatus anno, sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Tammathsare, quæ est sita in monte Ephraim à septemtrionali parte montis Gaas. Seruiuitque Israël Domino cunctis diebus Iosuë, & seniorum qui longo vixerunt tempore post Iosuë, & qui nouerunt omnia opera Domini. Eleazar quoque filius Aaron mortuus est, & sepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data est ei in mõte Ephraim.

SVCCESSIO IVDICVM IN ISRAEL.

MOrtuo Iosuë filiorum Israël Duce, necessarium fuit eligere caput seu principem illius Reipublicæ, cuius directionem & dominium susciperet. Vnde conuocati singularum Tribuum principes authoritate Pontificis tunc præsidentis, vel mandato supremi consilij Sanedrin, vel ex condicto conuenientes simul in Silo ad sanctuarium, consuluerunt Dominum dicentes: *Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit Dux belli.* Respondit Dominus: *Iudas ascendet, ecce tradidi terram in manus eius.* Hoc responso non ita claro nobis, colligunt aliqui solum fuisse intimatum, quòd vnus assumeretur de Tribu Iuda sine speciali

rùm quia non potuit, vel noluit diu iudicare Israël: Primus Iudicum numeratur Othoniel frater minor eiusdem Caleb, & anni principatus illius incipiunt à morte Iosuë, quamuis non statim fuerit assumptus, gubernante magno Sanedrin consilio quantùm ad negotia generalia & quantùm ad particularia singularum Tribuum dirigentibus earum principibus. Imposterum verò principes electi sub authoritate limitata, non Ducis, sed Iudicis nomen habuerunt. Solus Moyses ab ipso Deo specialiter electus, & Iosuë subrogatus viuente adhuc Moyse nomine Ducis fuerunt insigniti, & Moysi superadditum fuit gloriosum nomen Legislatoris.

Cum bellum contra Chananæos esset innouandum, surrexit Caleb de Tribu Iuda, & coacto ex eadem Tribu valido exercitu, ac simul in auxilium vocata Tribu Simeonis, quibus presertim intererat hoc bellum; & ascendit in Bezec, quam obsidens cepit occisis decem millibus virorum, & capto ciuitatis Domino ab illa Adonibezec nominato, cui summitates manuum & pedum iussit amputari in pœnam talionis, cum audisset ipsum sic alios crudeliter tractasse. Vnde ipsemet infœlix dicere coactus est; *Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias, sicut feci, ita reddidit mihi Deus.*

Hac parta celebri victoria, Caleb cum filiis Iuda venit in ciuitatem Ierusalem, secum adducens Adonibezec qui ibi mortuus est. Ciuitas Ierusalem bipartita, quantum ad maiorem sui partem septentrionalem pertinebat ad Tribum Beniamin, quantum verò ad meridionalem pertinebat ad Tribum Iuda: Capta iam fuerat sub Iosuë suspenso eius rege, sed rebellis effecta persequebatur Israëlitas. Vnde oppugnantes eam filij Iuda, ceperunt, & percusserunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio ciuitatem. Quam tamen incolæ Iebusæi in arce superiori munitissima constituti, non deseruerunt vsque ad tempora Dauid Regis.

Capta & succensa ciuitate Ierusalem, filij Iuda pugnauerunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad

meridiem, & in campestribus: Profecti sunt in Hebron, cuius nomen fuit antiquitùs Cariath Arbe, & percusserunt Sesai, & Ahiman, & Tholmai. Inde verò discedentes accesserunt in Dabir, cuius nomen vetus erat Cariath-Sepher, id est ciuitas litterarum. Quæ cum munita plurimum esset, Caleb dixit; *Qui percusserit Chariath-sepher, & vastauerit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem:* Cumque cepisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleb, obtinuit Axam coniugem, & pro dote ipsius agrum aquis irriguum. Et hac occasione victoriæ præsumitur Caleb fratrem suum vterinum Othoniel, natu minorem, ac simul generum designasse suum successorem in Iudicis officio. Dum Tribus Iuda ex campis Ierichô ciuitatis palmarum ad sortem suam pergeret, filij Hobab Cinæi cognati Moysi, ascenderunt simul in desertum sortis eius quod est propè mare mortuum ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo. De quibus infra disseremus, sed sub nomine Rechabitarum & Essenorum, qui vitam aliquo modo religiosam ducebant, & multa fundauerant collegia in terra promissionis; & postmodum sub Ionadab eorum superiore maiori ex parte ad ordinem propheticum transierunt.

Vlteriùs progressi filij Iuda cum filiis Simeon expugnarunt Sephaat, deinde Gazam cum finibus suis, Ascalonem etiam & Accaron cum terminis suis: Omnia montana possederunt, nec tamen delere potuerunt habitatores vallis, qui falcatis curribus abundabant. Dederuntque Caleb ciuitatem Hebron; sicut dixerat Moyses, qui deleuit ex ea tres filios Enac. Quamuis autem Tribus Iuda Iebusæos vbique deleret filij tamen Benjamin, iniqua fortè commiseratione ducti illos in Ierusalem habitantes non deleuerunt, & simul cum illis habitabant.

Filij quoque Ioseph de Tribu Ephraim & dimidia Tribu Manasse, armati venerunt in Bethel, quam proditione cuiusdam ciuis occuparunt; Cui propterea pepercerunt, cæteris omnibus occisis, ipse verò inde recedens vrbem Luzam ædificauit, sic eam denominās à nomine patriæ recenter destru-

ctæ, Bethel enim vocabatur etiam Luza. Cæteræ quoque Tribus vrbes & vicos acquisierunt in sortibus suis, superatis habitatoribus Chananæis. Sed quia contra Domini præceptum Israelitæ subiugatis parcebant Chananæis, & secum habitare patiebantur; ideò iusta Dei permissione mores & errores eorum didicerunt, & in pœnam peccati postmodum ab eis vexati sunt. Tunc mortuo Eleazaro Sacerdote Summo, Phinees eius filius sacrum illud munus exercebat. Inter Assyrios Amynta defuncto successit in imperium Belochus II. qui filiam nomine Atossam, cognomento Semiramidem imperij sociam fecit. Apud Sicyonios regnabat Epopeus rex decimus septimus, qui annis triginta quinque regnauit. Apud Argiuos autem Lynceus rex vndecimus Danao patruo simul & socero succedens, regnauit quadraginta & vno annis. Sub hoc tempus floruisse dicuntur Dionysius, qui & Bacchus & liber pater vocabatur, primus author plantandæ vitis apud Græcos, & inuentor Ceruisiæ: Lynus Thebeus, musicus & poëta egregius. Tandem in Creta insula floruit Minos Iouis & Europæ filius, amator iustitiæ, qui leges optimas suis Cretensibus subditis conscripsit, bellum Atheniensibus & Megarensibus in vindictam occisi filij gessit; & plenus dierum moritur duos relinquens filios, Androgeum & Glaucum; itemque duas filias, Ariadnam & Phedram. Atheniensium autem rex erat Pandion quintus numero, qui hoc tempore successerat Erictonio patri, & annis quadraginta regnauit.

Cum iam maior pars seniorum Israël, qui mirabilia Dei viderant in protectione sui populi, & quorum authoritas iuniores Israëlitas continebat, in pace decessisset: filij Israël concilium Chananæorum exemplo ducti, non solùm in particulari multa committebant scelera, sed etiam inito coniugiorum fœdere cum illis communiter idololatriam professi sunt, fecerùntque malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui, seruientes Baalim & Astaroth: iratusque contra Israel Dominus tradidit eos in manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, seruieruntque ei octo annis. Sed

afflicti seruitute clamauerunt ad Dominum, qui Iudicem ipsorum Othoniel suscitauit, virum spiritu Domini plenum, is egressus ad pugnam contra Chusan gloriosè triumphauit, & sic Israëlitas de iugo Mesopotamiæ seu Syriæ liberauit quieuitque terra quadraginta annis, in pace viuentibus Israëlitis, & mortuus est Othoniel postquam annis quadraginta iudicauit Israël, illos numerando ab obitu Iosuë. Nec multò post mortuus creditur Phinees Summus Sacerdos.

Postea præuaricati à Domino Israëlitæ, iusto Dei iudicio subiugantur ab Eglon rege Moabitarum: sed pœnitentes & clamantes ad Dominum, post octodecim annos seruitutis liberantur industria & virtute Aod filij Gera filij Iemini, qui factus est Iudex in Israël. Is cum prædicto regi munera tributi detulisset, secretum petens colloquium, propria manu ipsum trucidauit Ierichunte, & rediens ad Israël, & breui colligens exercitum rursùs ad Moabitas properat ipsosque destruxit. Tunc etiam Samgar filius Anath defendens Israël contra Philistiim percussit sexcentos viros vomere. Tunc apud Assyrios imperabat Bellepares, cuius imperiũ fuit triginta annorum: Cui mortuo ad annum trigesimum quintum Aod succedit Lamprides, qui triginta similiter imperat annis. Cum Aod octoginta annis iudicasset populum, & viginti quatuor vltimis Samgar coadiutorem adhibuisset, mortuus est: sub imperatore Assyriorum Sosare, qui post Lampridem viginti annis imperauit; regnante apud Athenienses Cecrope II. huius nominis, sed in ordine rege septimo; Apud Argiuos autem Proëto rege, cuius vxor Sthenobora repulsam passa amoris impudici à Bellerophonte hospite, versa in rabiem vltrò prosequitur; Hic Proetus, aut Prohetus post patrem Abbantem regnat septemdecim annis, & dicitur decimus tertius rex Argiuorum. Affertur etiam Pelops, Tantali primi Phrygiæ regis filius qui primus Aod annis dicitur esse tertius decimus rex Argiuorum, hic fuit pater Agamemnonis Menelai, Atrei, & Thyestis, & Peloponnesum à se denominauit. Tandem regnabat apud Sicyonios Laomedon decimus octauus rex, qui quadraginta annis regnauit. In Israël autem

Boccus Summus erat Pontifex.

Post mortem Aod addiderunt filij Israël facere malum in conspectu Domini, & tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan, qui regnauit in Asor, & ducem exercitus habuit Sisaram: sed cum clamassent ad Dominum: prouidit eis liberatricem Debboram prophetissam, vxorem Lapidoth, quæ iudicabat Israël in monte Ephraim: Hæc præcepit Barac filio Abinoëm, vt coacto exercitu procederet contra Sisaram ad montem Thabor, quem venientem aggressus in campo magno Esdrelon ad torrentem Cisson, non procul ab vrbe Endor, penitùs destruxit cum exercitu: ipsumque fugientem ac tentorium Iahel vxoris Haber Cinæi latenter ingressum ipsa mulier occidit clauo transfigens eius tempora. Tunc erat Summus Pontifex apud Israëlitas Ozius: Apud Assyrios imperabat Lampares, qui triginta imperauit annis; eique successit Panyas, cuius imperium fuit quadraginta quinque annorum. Apud Sicyonios regnabat Sicyon decimus nonus rex, qui populos suos ex se denominauit Sicyonios, qui priùs Egialei dicebantur; post mortem Laomedontis patris regnauit quadraginta quinque annis: Huic successit filius nomine Polybus rex vigesimus, qui quadraginta regnauit annis. Apud Athenienses regnabat Pandion II. rex octauus, & regnauit annis viginti quinque. Apud Phrygas regnabat Mydas Gordij regis filius. Tandem apud Argiuos regnabat Acrisius frater Proheti, & filius Abbantis, vltimus rex Argiuorum, qui vno & triginta regnauit annis: Quo casu occiso à nepote Perseo, & relicta vnica filia Danaë, regnum Argiuorum desiens post quingentos quadraginta quatuor annos, ad Mycenas transiit; quorum primus rex fuit Perseus, deinde hoc ordine successerunt, Stenelus, Euristheus, Atreus, Thyestes, Agamennon, Ægistus, Horestes, Crisamenes, Penthillus, & Cometes. Hoc etiam tempore traditur cœpisse Laurentorum regnum à Pico Augure Saturni regis Latij filio, qui cum priùs Ausoniæ rex diceretur, ædificata vrbe Laurento ibique regni sede collocata, regnum à regia ciuitate denominauit, vbi triginta & vnum annos

 regnauit,

regnauit, postquam Picenum à se denominatum, & Flaminiam regno adiecisset: Ad hos Debboræ annos reducitur fundatio Tesulanæ, nunc Fesulanæ ciuitatis in Hetruria cuius antiqua Gloria ad proximam ciuitatem Florentiam transiit: Et ciuitatis Prenestinæ in Latio. Floruerunt hoc tempore duæ Sibyllæ virgines Prophetissæ: Prima fuit Samia seu Samothracia, quæ plura de Christo & Beata Virgine Maria prædixit, & inter alia hæc dixit; *Tu stulta Iudæa Deum tuum non cognouisti, ludentem mortalium mentibus, sed & spinis coronasti, horridumque fel miscuisti*: Secunda fuit Erythræa, quæ cæteris præstantior & nobilior habetur; multa namque clarissimè prophetauit de Incarnatione ac Passione Christi, de Beatissima Virgine eius matre, de Iudæorum regni interitu, ac de imperio Romanorum, quæ tandem in perpetua virginitate viuens in pace quieuit. Floruit etiam Mars generosissimus miles apud Græcos, qui proinde mortuus, & inter diuos translatus fuit nominatus Deus belli.

Mortuis Debbora & Barac, post quadraginta annos pacis Israëlitæ fecerunt malum in conspectu Domini, qui propterea tradidit illos in manu Madian septem annis, & oppressi sunt valde ab eis: nam cum Israëlitæ terram seuissent, Madian & Amalec, cæterique orientales cum gregibus ascendentes omnia vastabant, & cuncta quæ poterant auferebant. Sed pœnitentes Israëlitæ, & clamantes ad Dominum obtinuerunt liberatorem, scilicet Gedeon filium Ioas, qui iussu Angeli, & probato miraculo ducatum Israël suscepit. Cumque copiosum exercitum collegisset, ad maiorem Dei & ipsius gloriam, cæteris omnibus dimissis, cum exiguo trecentorum militum exercitu lampadibus & tubis instructo repente Madianitas aggreditur, exterret, fugat, & in mutuam cædem conuertit: Principes autem Madianitarum erant Oreb, Zeb, Zebee & Salmana, quos Gedeon propria manu obtruncauit; & turrim Phanuël, & vrbem Soccoth destruxit. Tantaque fuit præda ex Madianitis, quòd inaures fuerint ponderis mille septingentorum siclorum auri. Cum autem Gedeon, qui & Ierobaal dicitur, quadraginta annis populum iudicasset

iudicasset, inclusis septem annis prædictæ captiuitatis, in pace moritur, & sepultus est in sepulchro Ioas patris sui, relictis septuaginta filiis quos ex diuersis vxoribus genuerat. Tempore ducatus Gedeonis erat in Israël summus Pontifex Zaraias filius Ozi. Apud Assyrios imperium tenebat Panyas. Apud Sicyonios regnabat Inachus II. Polybi filius, cuius regnum fuit annorum quadraginta & vnius. Apud Athenienses Ægeus Pandionis regis filius, sextus rex Atheniensium, qui genuit ex vna coniuge Theseum filium, & ex alia Medea nomine Medum filium: qui cum se præcipitem ex turri in mare dedisset, ipsum ex suo nomine Ægeum denominauit postquam regnasset quadraginta & octo annis. Apud Mycenas regnabat alternatim Atreus & Thyestes Eurithei regis filij, quorum regnum sexaginta quinque annis perdurauit. Hoc eodem tempore fundata fuit in Sirophœnicia Tyrus ciuitas potentia & magnitudine inclyta ab Ægenore Beli Prisci filio, ducentis quadraginta annis ante fundationem templi Ierosolymitani, vt ait Iosephus, priùs fuit in Insula, sed tempore Alexandri Magni terræ firmæ coniuncta, nunc omninò destructa iacet. Sub Gedeone floruerunt illustres viri; scilicet Orpheus magnus Theologus & Poëta Græcus, qui etiam in modulando fuit insignis; Museus item insignis Poëta amicissimus Orpheo; Dædalus Atheniensis artis fabricæ peritissimus, qui dicitur serram, asciam, perpendiculum & terebram adinuenisse, & formasse statuas quæ seipsis mouebantur, & disposuisse labyrinthum mirabilem & maximum, cuius filius fuit Icarus. Tandem floruit Sybilla Delphica, quæ sancto Spiritu plena potiu. descripsisse videtur omnem seriem incarnationis, vitæ, miraculorum, passionis, & resurrectionis Christi, quàm ante prophetasse: de qua traditur quod dicere soleret; *Ipsum tuum cognosce Dominum, qui verè Dei filius est.*

Defuncto Gedeone, Abimelech eius ex concubina filius ducatum Israël arte & vi suscepit, interfectis septuaginta filiis Gednis fratribus suis. Hunc Israel tyrannũ permisit Deus in pœnam idololatriæ, nam postquam mortuus est Gedeon

auersi sunt filij Israël, & fornicati sunt cum Baalim, percusseruntq; cum Baal fœdus vt esset eis in Deum, nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum: nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon iuxta omnia bona quæ fecerat Israëli. Postquam Abimelech aliqua fecit prælia, vt subacto populo susceptum confirmaret principatum, venit ad oppidum Thebes, in cuius medio turris erat fortissima, quam cum vellet capere & ignem admouere, mulier quædam fragmen molæ desuper iaciens in eum confregit eius cerebrum. Sed desperatione, & superbia motus citò vocauit armigerũ suum, & ait ad eum; *Euagina gladium tuum & percute me, ne fortè dicatur quòd à fœmina interfectus sim*, qui iussa perficiens interfecit eum: Illoque mortuo omnes qui cum eo erant de Israël reuersi sunt in sedes suas; & reddidit Deus malum quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis. Tempore Abimelech erat in Israël summus sacerdos Meraioth. Apud Assyrios imperabat Sosarmus, qui Panyæ patri successerat, cuius imperium fuit nouemdecim annorum. Floruerunt tunc duo musici eximij Græci, scilicet Tamiris Amonis filius è Thracia oriundus, & Philemon patria Delphus, qui quoddam instrumentum musicæ, Chorũ dictum inuenisse fertur. Sub Abimelech contigit magna fames in Israël, quæ fuit occasio Elimelech cum vxore Noëmi, & duobus filiis Mahalon & Chelion peregrinandi in Moabitidem: vbi cum Elimelch & duo filij eius intra decennium obiissent, Noëmi voluit in patriam redire; cumque duæ nurus vellent ipsã comitari, persuasit Orphæ apud suos remanere, Ruth autem in proposito suo constans non acquieuit suadenti, sed cum Socru veniens habitauit in Israël, & postmodum nubens cum Booz de Tribu Iuda, filium genuit Obed, ex quo processit Iesse pater Dauid regis.

Abimelech interfecto successit Thola de Tribu Issachar, filius Phua patrui Abimelech, qui habitabat in Samir montis Ephraim. Phua igitur fuit frater Gedeonis, Thola verò fuit patruelis Abimelech. Thola iudicauit viginti tribus annis Israël,

raël:nihil scitu dignum de ipso refertur. Tunc apud Assyrios Imperatori Sosarmo successit Mithræus,qui 29.annis imperauit.Apud Troianos Laomedonti per Iasonem interfecto proprius eius filius nomine Priamus successit in regnum,qui destructam vrbem Ilium ab eodem Iasone reedificauit & exornauit:Postea Hecubam Dimantis Thraciæ regis filiam duxit in vxorem,ex qua 18.proles vtriusque sexus suscepit,quorum notiores sunt Hector,& Alexander siue Paris raptor Helenæ, ratione cuius accidit bellum Troianum.Priamus sic regnum ampliauit,vt totius Asiæ minoris rex videretur: consanguineus erat Anchisis patris Æneæ ; Nam procedebat ex Troë per Assararum, Ganymedem, Ilum, & Laomedontem ; Anchises verò procedebat ab eodem Troë per Capin suum patrem.Apud Athenienses regnabat Theseus,qui triginta regnauit annis,& cum sociis Argonauticam expeditionẽ suscepit.Ad hęc etiam tempora refertur alia septem Heroum expeditio aduersùs Thebas pro Polynice contra fratrem eius Eteoclem.Apud Sicyonios regnabat Phestus rex vigesimus secundus,qui regnauit octo annis.Sub hoc tempus aliquæ Sibyllæ floruerũt,scilicet Hellespontica,seu Troiana,Phrygia,& Cumana,Sibylla Hellespontica,præter alias prophetias,hanc de Christo protulit:*De excelso cœlorum habitaculo humiles prospexit Deus, & nascetur in diebus nouissimis de Virgine Hebræa:* Sibylla Phrygia sparsis per humeros crinibus,& induta veste rubra, sic de vniuersali iudicio fuit Anciræ vaticinata: *Tuba de cœlo vocem luctuosam emittet, tartareumque chaos ostendet dehiscens terra, venient ad tribunal Dei reges omnes; Deus ipse iudicabit pios simul & impios, tunc demum impios in ignem & tenebras mittet, qui autem pietatem tenuerint iterum viuent.* Sibylla Cumana Deiphobum Glauci filium habuit patrem, Cumis ad lacum Auernum mansit; Romam postea veniens nouem prædictionum libros attulit, cumque Tarquinius Priscus rex petitum pro illis ab ipsâ pretium negasset, ipsa tres igne consumpsit ; Et cum idem pretium pro sex residuis popościsset, minitans aliter se illos combusturam, rex persoluto pretio emptos recepit, in quibus Romanorum

euentus futuri prædicebantur: De Christo hæc inter al prænuntiauit; *Mortis fatum finiet trium dierum somno su cepto, tunc à mortuis regressus in lucem veniet, primus resurr ctionis initium ostendens*; tandem in Sicilia decessisse fertu Tribus prædictis tres alias associabimus Sibyllas, quarum tempora nesciuntur: Prima fuit Libyca viridi sorte incede ornata protulit hæc de Christo; *Ecce veniet dies, & illumi nabit Dominus condensa tenebrarum, & nexus Sinagogæ solu tur, & desinent labia hominum cum viderint regem viuentium Et tenebit illum in gremio Virgo domina gentium, & regnabi in misericordia, & vterus Matris eius erit statera cunctorum; Inde in manus iniquas veniet, & dabunt Deo alapas manibu incestis, miserabilis & ignominiosus erit, miserabilibusque spem præbebit*: Secunda fuit Persica, quæ aurea veste amicta, & candido cooperta velo semper incedens, multa prædixit de Christi miraculis, maximè de illo, quo ex quinque panibus & duobus piscibus satiauit quinque millia hominum; Et inter alia hæc dixit, *Ecce bestia conculcaberis, & gignetur Dominus in orbem terrarum, & gremium Virginis erit salus gentium, & pedes eius in valetudine hominum, & inuisibile Verbum palpa bitur*: Tertia fuit Sibylla Europæa, quæ decora facie & au reo induta vestimento fulgebat, hæc de Christo prædixit; *Veniet ille, & colles transibit, ac Olimpi latices, regnabitque in paupertate, & dominabitur in silentio, & ex vtero Virginis veniet*. His adiungamus vltimam patria Tiburtinam, quæ vi uens sub Octauiano Augusto suasit illi, vt Christum in gre mio Virginis apparentem adoraret; Hæc inter alia de Chri sto dixit, *Nascetur Christus in Bethleem, & annuntiabitur in Nazareth, ô fœlix illa Mater, cuius vbera illum lactabunt.*

Mortuo Tholæ successit Iair Galaadites, qui iudicauit Is raël per viginti & duos annos, habens triginta filios principes triginta ciuitatum, quæ ex eius nomine sunt appellatæ Ha uoth-Iair, id est oppida Iair in terra Galaad: mortuusque est Iair, ac sepultus in loco dicto Camon, qui est oppidum dimi diæ Tribus Manasse: In Israël erat Summus Pontifex Ama rias. Apud Assyrios defuncto Mithræo successit in Imperium

Teutanes siue Teutamus, qui triginta duobus annis imperauit, & misit Memnonem in auxilium Troiæ à Græcis obsessæ, fuitque filius Mithræi. Apud Sicyonios duo reges hoc tempore regnarunt; scilicet Adrasthus rex vigesimus tertius, qui quatuor tantùm annis regnauit; Et Polyphides rex vigesimus quartus, qui triginta & vno annis regnauit. Apud Athenienses autem regnabat Mnestheus vltimus rex Atheniensium, qui Theseo rege profugo regnum inuasit, & regnauit annis tribus supra viginti. Hoc tempore conditam tradunt Carthaginem in Affrica. Et constitutum primum Agonem Olimpiacum ab Hercule in honorem Ataui sui pelopis. Floruerunt hoc tempore insignes personæ, scilicet Thiphis carpentarius præstantissimus, qui dicitur inuentor artis gubernandi naues, & gubernator in Argonautica expeditione. Et Nicostrata vaticinatrix & poëtrix clarissima, quæ cognominata fuit Carmenta à Carminibus: Hæc occiso casu socero suo per Euandrum filium suum, fugiens Arcadiam ortus sui patriam (fuit enim vnica filia regis Ionij) in Italiam cum filio multisque aliis peruenit, & Tiberis ostium ingressa consedit in monte Palatino, vbi constructo oppido filium Euandrum regem instituit, postea Fauno Laurentorum regi nupsit: Et cum esset in Græcis erudita scientiis, & ingenij subtilis, adinuenit Alphabetum Latinum septemdecim literarum: Cui postea quidam Syluius addidit R: & alij addiderunt H. K. Q. X. Y. Z; quæ ferè omnes non simpliciter videntur necessariæ, sed ad melius esse. Huic eximiæ mulieri post mortem Romani sacellum in Capitolio construxerunt, venerationis ac perfectæ gratitudinis causa.

Filij Israël peccatis veteribus iungentes noua fecerunt malum in conspectu Domini, & seruierunt idolis Baalim & Astaroth; & diis Syriæ ac Sidonis, & Moab & filiorum Ammon, & Philisthiim; dimiseruntque Dominũ, & non coluerunt eum. Propterea iratus Dominus tradidit eos in captiuitatem filiorum Ammon per octodecim annos, à quibus vehementer oppressæ fuerunt tres Tribus vltra Iordanem habitantes

habitantes, & postea tres aliæ, nempe Iuda, Beniamin & postea Epraim. Sed Israëlitæ pœnitentiam agentes, & ad Dominum reuersi salutem & libertatem obtinuerunt, electo in principem Iephte Galaadita, qui prius de Domo paterna tanquam spurius à fratribus eiectus exercebat latrocinia adiunctis pluribus aliis. Hic cum Ammonitas ratione non potuisset ac pacem conuincere, debellauit armis vrbes & vicos eorum destruendo: Et cum victor de prælio reuerteretur, vouit se Domino sacrificaturum quem priùs habuisset obuium; Cumque filia ipsius Iephte prima cum tympanis & choris occurrisset gratulabunda patri, mœrens ipse Virginem filiam immolauit, postquam duobus mensibus virginitatem defleuisset. Videntes viri Ephraim, quòd Iephte tam gloriosum de Ammonitis triumphum reportasset, æmulatione ducti improperāt quòd seipsos in expeditione bellica socios noluerit, & illum malè tractabant: Quos cum modesta responsione non potuisset sedare, vocatis ad se suis conciuibus Galaaditis pugnando contriuit, & occidit ex eis al quadraginta duo millia. Iudicauit autem Iephte Galaadites Israël sex annis, & mortuus est, ac sepultus in ciuitate sua Galaad, scilicet Maspha. Hoc tempore floruerunt illustres viri, qui vel cum Græcis impugnatores Troiæ, vel cum Troianis propugnatores fuerunt, de quibus, cum multa dicantur fabulosa, pauca admodum afferemus veritati magis consentanea. Causam huius belli dedit Helena Tyndari Cebalii regis ex Lada coniuge filia, mulier speciosissima super alias, quæ priùs adhuc puella à Theseo rapta fuit, sed reddita fratribus intacta nupsit Menelao Lacedæmonum regi: Deinde volens ipsa rapitur iterum à Paride Troiano, Priami filio & Hectoris fratre, ac Troiam ducitur: Qua percitus iniuria Menelaus, cum legationibus plurimis vxorem recuperare non potuisset, consilio Agamennonis fratris Mycenarum regis, conuocatis in auxilium Græcis principibus ac eximiis ducibus Troianum inchoat bellum, quod postea decem annis perdurauit, & finitur capta & succensa Troia. Præficitur bello dux generalis. Agamennon; illum sequuntur Achilles

Palamedes

Palamed s, Vlysses, Aiax & Teucer frater, filij Thelamonis Diomede Tydei ex Deiphila filius, & alij. Achiles Græcorum fortissimus Pelei filius infensus in Hectorem Patrocli amici sui interfectorem, ad bellum processit, qui cum Hectorem interemisset, ipse à Paride Hectoris fratre sagittis interficitur, insidiis Hecubæ matris tam Hectoris quàm Paridis, ipsum allicientis sub spe nuptiarum Polyxenæ filiæ. Palamedes Naupli Euboiæ regis filius, decore facundia & virtute bellica conspicuus, excercitui Græcorum, amoto ad tempus Agamennonne, præficitur, postmodum accusatus ab Vlysse, velut proditor habens tractatum cum Priamo, lapidibus obruitur. Vlysses Laërthæ regis ex Authoiia coniuge filius, prudentissimus, sed subdolus. Penelopen Icari filiam Dædalique neptem pulcherrimam duxit vxorem: Profectus ab bellum Troianum mira gessit, & post varias peregrinationes, & Vlysipponiensis in Lusitaniá ciuitatis regiæ à se denominatæ fundationem, à proprio filio nomine Thelemacho casu dicitur interfectus. Pro Troianis in dicto bello, præter Priamum, & eius filios, pugnauit Mennon Teutanis Assyriorum Imperatoris dux, & Pentesilea Amazonum secunda regina, quæ Orithiæ & Anthiopi reginis successerat; & dum fortiter ageret à Pyrrho Achyllis filio perimitur. Priamus rex Troiæ regnabat actu, cum cœpit obsidio Troiæ: Hector eius filius iuuenis pulcherrimus & admodum generosus ante bellum Troianum Andromacham Iectionis Thebarum Ciliciæ regis filiam duxit vxorem, ex qua filium succepit vnicum Astianactem, qui tempore belli cum mira pattaret ab Achylle occisus est; à quo etiam occisus fuit Hector eius pater, & Troylus Hectoris frater. Paris raptor Helenæ, & frater Hectoris Achyllem fratris interfectorem occidit, vt dictum est: sed ipse postmodum à Pyrrho Achyllis filio occiditur. Quo mortuo Deiphobus eius frater Helenam duxit vxorem, cuius proditione capta Troia perimitur, ac turpiter laceratur. Inter alias Priami filias, & prædictorum sorores duæ præcipuæ numerantur: scilicet Polyxena virgo pulcherrima, quæ causa mortis Achylli fuit, &

capta

capta Troia fuit à Pyrrho Achyllis filio super tumulum patris iugulata, eiusque manibus sacrificata: Alia fuit Cassandra, mulier item speciosissima, quæ venturum prædixit excidium Troiæ ex raptu Helenæ; postea nupta Migdonio iuueni clarissimo, post captam Troiam abducitur ab Agamemnone, cuius vxoris nomine Clytemnestræ dolis occiditur. Helena verò tradita Menelao coniugi reducitur in patriam, & iam senio confecta, videns in speculo faciei rugas Risisse dicitur prædictos Heroas, qui tam caducæ & fallacis suæ pulchritudinis causa tamdiu pugnarunt, & perierunt. Primo ducatus Iephte anno cœpit regnare Latinus, tertius Laurentorum rex, succedens Fauno patri filio Pici, & regnauit annis triginta duobus: Hic suum à se Latinorum appellauit, quod sub patre & auo multis perdurans annis regnum Laurentorum vocabatur. Rex Latinus vxorem duxit Amatam Dauni regis Ardeæ sororem, vel Palantiam Euandri regis filiam, ex qua suscepit Lauiniam, quæ prius promissa Turno Dauni filio, postmodum Æneæ Troiano aduenæ tradita fuit; vnde crudele bellum in Latio viguit inter Æneam & Turnum, in quo Latinus rex cecidit.

Post Iephte iudicauit Israël Abesan de Bethleem, qui habuit triginta filios & totidem filias, quas emittens foras maritis dedit & eiusdem numeri filiis suis accepit vxores introducens in domum suam: qui septem annis iudicauit Israël mortuusque est, ac sepultus in Bethleem. Sub hoc Iudice rapta dicitur Helena à Paride Priami filio, ratione cuius sub sequenti Iudice cœptum est bellum Troianum, de quo plura iam diximus.

Post Abesan succedit in officium Iudicis Ahialon Zabulonites, & iudicauit Israël decem annis, mortuusque est, & sepultus in Zabulon. Primo Iudicis huius anno cœptum fuit bellum Troianum, & eius vltimo fuit completum, nam decem annis perdurauit. Hoc tempore cœpit captiuitas Israëlitarum sub tyrannide Philisthiim, quæ per quadraginta durauit annos; nec tamen fuit cruenta, sed contribulationibus admodum grauis.

Post Ahialon successit Abdon filius Illel Pharatonites, qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, & iudicauit Israël octo annis; mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim in monte Amalec. Sub hoc Iudice regnauit Anthenor vir eximius inter Troianos, affinis Priami, qui regno Troiæ subiugato præficitur ab Agamemnone, & regnauit annis viginti quatuor; & prælatus fuit Æneæ quamvis digniori, quia Polyxenam consobrinam abscondisset. Tunc apud Athenienses regnare cœpit Demophoon Thesei regis ex Phedra filius, qui prius contra Troianos ad bellum processit, sed audiens mortuum Mnestheum tyrannum, qui Theseo pulso regnum vsurpauerat, post trigesimum tertium paterni exilij, Athenas rediit, & paternum suscepit regnum. Apud Mycenas tunc regnauit Ægystus Thyestis regis filius, qui tribus annis regnum tenuit. Refertur hoc tempore Horestes Agamemnonis ex Clithemnestra coniuge filius, præditum regem Ægystum & ipsam matrem suam adulterantes occidisse, & postmodum horrore matricidij in furiam incendisse. Floruit hoc tempore Memnon Titoni filij Laomedontis Troiani regis filius, cuius pater ab Assyriorum Imperatore præfectus erat regno Persidis: Propterea motus amore patriæ, cum viginti millibus militum & ducentis curribus venit in auxilium Troianorum vnà cum Amazonibus. Tunc etiam floruit Lauinia Latini regis filia, quæ nupta Æneæ Troiano in Italiam, peperit ei filium posthumum nomine Iulium Syluium Ascanium ei genuerat prima coniux Cheusa Priami Regis filia. Floruit & pulcherrima simul ac Castissima Penelope Icari filia, & coniux Vlyssis. Floruit etiam primò Hecoba Priami regis vxor, tot insignium filiorum productione fœlix; quæ postea periit misertima, nam videns exustam Troiam, maritum & filios interfectos in furorem & amentiam versa per campos Thraciæ discurrit vsque ad mortem ad instar canis vlulando. His temporibus vixisse traditur Circe meretrix formosa, quæ suos amatores incantationibus in bestias conuertebat quantùm ad externam figuram, ni moraliter intelligatur:

Hæc

Hæc Colchis relictis venit in Italiam, & Etheum Volsc-
rum montem inhabitans à seipsa Circeum denomina
Sexto Abdon Iudicis anno cœpit apud Sicyonios regn
Pelasgus Polyphidis regis filius, rex vigesimus quintus, & v
ginti regnauit annis.

Prædicto Iudici Samson filius Manuë & Annæ succes
qui viginti annis iudicauit Israël. Fuit ex Tribu Dan ori
dus, ac vir miræ fortitudinis, qui plura & mirabiliora fe
quàm fecisse fingatur Hercules; nam leonem occidit, Phi
sthæos sæpe prostrauit, semel interfectis mille eorum man
bula asini; sæpiùs ipse solus hostes aggrediebatur, nec c
poterat, quia vincula disrumpebat, & portas ciuitatis cl
sas suis humeris longiùs asportabat. Verùm cum Dalilæ co
iugi secretum suum manifestasset, ipsa proditoriè capil
eius abscidit, in quibus erat eius fortitudo: propterea cap
à Philisthiim, illusus diu, & malè tractatus fuit: sed cre
centibus iterum capillis, ac reparata fortitudine pristina, cu
in templum Dagon in eius solemnitate ductus fuisset, vt c
ram magnatibus luderet, ipse Diuino spiritu captus insult
tes in verum Deum Philisthæos, seipsum immolans occid
Nam arreptis duabus colũnis, quibus tota fulciebatur fab
ca, simulque concutiens illas exclamauit; Moriatur Samson
Philisthini, domum subuertit, cuius ruina circiter tria mill
Philisthiim perierunt. Cum Samson factus est Iudex in Isra
eodem anno factus est summus Pontifex Achitob Ama
succedens. Apud Assyrios secundo Iudicis huius anno cœ
imperare Tautæus filius Tautanis, qui quadraginta annis i
perauit. Ascanius Magni Æneæ ex Creusa Priami regis fil
post patrem Latinis regnare cœpit primo Samsonis anno,
triginta octo annis regnauit: Fratrem suum Iulium Syluiu
ex Lauinia nouerca mira pietate educauit, cui iam Grand
regnum Latinorum remisit, tanquam hæredi legitimo,
bique nouam construxit ciuitatem in Albano monte, qu
Albam longam nominauit ex alba sue, quam inuenerat
locum accedens. Decimo octauo Samsonis anno regn
cœpit apud Sicyonios Leusippus Pelasgi regis filius, rex vi
mu

mus, qui triginta & vno annis regnauit, mortuoque sine virili prole regnum defecit. Eodem tempore, quo Samson Iudex, mortuus est Achitob sacerdos, cuius morte summus Israëlitarum pontificatus de familia Eleazari filij Aaron translatus est ad familiam Ithamar fratris Eleazari & filij Aaron, in qua perdurauit per annos centum & viginti, ab *Heli* primo pontifice illius familiæ vsque ad Abiathar, quem Salomon rex iussit occidi; & tunc summum sacerdotium rediit in domum Eleazari. Sub aliquo ex prædictis Iudicibus duæ memorabiles historiæ describuntur incerto tempore. Prima fuit filiorum Dan, qui competentem suæ multitudini sortem hactenus non acceperant: Vnde pars ipsorum nouam possessionem quærentes, ad extremam partem terræ Chanaan ad septemtrionem exploratores miserunt, qui venientes ad ciuitatem Lais inuenerunt incolas securos ac nihil timentes; propterea ad suos regressi tam facilem demonstrarunt terræ illius optimæ acquisitionem, vt statim per turmas iter arripuerint, & inuenientes in monte Ephraim adolescentem Leuitam cum Idolo commorantem in domo Michæ secum duxerunt: peruenientes autem ad vrbem Lais, illam acceperunt, ibique habitantes ex Patriarcha suæ Tribus ipsam appellauerunt Dan, posueruntque sibi sculptile, & Ionatham filium Gersam filij Moysi, ac filios eius sacerdotes in Tribu Dan vsque ad diem captiuitatis suæ; mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo. Secunda fuit cuiusdã Leuitæ habitantis in latere montis Ephraim, qui duxit vxorem Bethleemitem, quam cum reduceret de Bethleem in domum suam, & pertransiret sortem Tribus Beniamin, venit in vrbem Gabaa: Cum eam fuisset ingressus, & à pio quodam sene ad hospitium introductus, infœlices vrbis ciues ad hospitium accurrentes, & iuuenem Leuitam ad nefandum scelus exposcentes vix quiescere potuerunt precibus hospitis, qui & propriam filiam virginem & Leuita coniugem ad complendam ipsorum libidinem offerebant. Tandem recepta coniuge recesserunt, & nocte abutentes vel nimiæ libidinis æstu, vel afflictione penitùs oppressam dimiserunt,

runt,quæ perueniens ad ianuam hospitij occubuit:Manesur-gens Leuita maritus eius,eamque reperiens mortuam in partes scidit, quas singulis Tribubus Israël mittens, & commissum scelus in vxorem,ac contra se intentatum manifestans sic commouit, vt vnanimi consensu in destructionem Tribus Beniamin conspirauerint. Coacto exercitu valido contra hostes Beniamitas procedunt, à quibus tamen semel & iterum superantur:Verùm cum expresso Dei mandato ad bellum rediissent, sic illos destruunt, vt vix pauci reseruati fuerint ad conseruationem illius Tribus Israël.

Post Samsonem Heli ex filiis Ithamar filij Aaron,summus sacerdos, fit Iudex in Israël,ac ita spiritualem simul & temporalem principatum obtinuit spatio quadraginta annorum. Septuaginta tamen Interpretes afferunt eum viginti tantùm annis populum in temporalibus gubernasse, quem dicunt mortuo Samsone per viginti annos caruisse Iudice,quo tempore faciebat vnusquisque in Israël quod sibi rectum videbatur,vt dicitur capite vltimo libri Iudicum. Quamuis Heli bonus esset, duo tamen eius filij Ophni & Phineës erant pessimi & sacrilegi:Cumque ipse pater remissiùs ageret,nec remoueret ab Israël filiorum scandalum, Deus in pœnam huius peccati minatur Heli terribilia per Samuëlem, deinde suscitat Philisthiim contra Israël; Et cum populus ab illis multa pateretur,& vltimam timeret ruinam, mittit in Silo tanquam ad asilum,adducitur arca Domini ad castra, comitantibus illam filiis Heli, quæ postmodum inito certamine capitur à Philisthæis occisis Heli filiis: Quæ tamen stragem maximam in terra Philisthiim fecit, euerso Dagon eorum Deo; Vnde triumphans reducitur cum muneribus in terram Israël. Verùm cum illam esse captam, & duos filios occisos se Heli venerabilis senex nonaginta octo annorum audiisset, præ nimio dolore decidit è sella in qua ad ostium tabernaculi sedebat, & fractis ceruicibus expirauit: quo etiam dolore mortua fuit vxor Phinees filij Heli. Sub hoc Iudice filij Hectoris Troiani,pulso Anthenore recuperarunt Ilium vulgò Troiam, & illud reparantes gloriosum reddiderunt ibi-

ibique eorum posteri vsque ad tempora Romanorum, quando Fimbria dux exercitus partis Marianæ contra Syllam, vrbem hanc cum ciuibus concremauit: Anthenor autem cum suis expulsus Asiam primò lustrauit, deinde veniens in Italiam & ad Tymauum fluuium consedens, amœnitate loci delectatus vrbis Pataui fundamenta iecit, vbi aliquandiu regnauit, nulloque regni successore relicto decessit. Apud Atheniēses Medius Demophontis regis filius, dictus Oxientes, rex decimus tertius nono Pontificatus Heli anno regnare cœpit, & duodecim annis regnauit: Cui successit Aphidas eius filius, qui vno tantùm anno regnauit; Deinde succedens Tymeothes regnauit octo annis; Denique Melantus rex decimus sextus regnauit triginta septem annis. Apud Latinos regnauit Iulius Syluius Æneæ & Lauiniæ filius post Ascanium fratrem ab anno Heli vigesimo, cuius regnum fuit viginti nouem annorum, & successorem reliquit Æneam filium: Traditur alium genuisse filium nomine Brutum ex nepte matris suæ Lauiniæ. Apud Assyrios imperium cœpit Thimeus siue Thinneus vigesimo tertio Heli anno, & triginta annis imperauit. Hoc tempore floruisse dicitur Francus, vnus ex Hectoris Troiani filiis, qui pulsus à fratribus cum Anthenore venit in Europam, à quo nonnulli magnum Francorum nomen deriuant.

Samuël sanctus Domini Propheta, & sacerdos magnus Heli successit, cuius punitionem Deo reuelante didicerat. Tam sanctus fuit tamque mirabilis, vt eximium meruerit elogium à Spiritu sancto: Dicitur enim de illo Ecclesiastici 46. *Dilectus à Domino Deo suo Samuël propheta Domini, renouauit imperium, & vnxit principes in gente sua: In lege Domini congregationem iudicauit, & vidit Deus Iacob, & in fide sua probatus est propheta; & cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis, & inuocauit Dominum omnipotentem in oppugnando hostes circunstantes vndique, & in oblatione agni inuiolati: Et intonuit de cœlo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam, & contriuit principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim, &c.* Fuit Samuël filius Hel-

canæ & Annæ miraculosus; Cum triginta penè annis iudica-
set populum, & iam senuisset, posuit filios suos iudices Isra-
quorum primogenitus vocabatur Ioël, secundus autem Abi.
Sed non ambulauerunt in viis sancti sui parentis, & declin-
uerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruer-
runt iudicium. Vnde populus eorum arrogantiam & aua-
tiam indignè ferens Regem exposcit: Et primò Samuël e
presso Dei mandato Saül vngit in regem, postea Dauid. D
citur scripsisse librum Iudicum, librum Ruth, ac primum
tiam librum Regum: Collegia Prophetarum instituit, cum
de Deo & hominibus benè promeritus esset, secundo an
Saülis regis obitum anno decessit plenus dierum ac bono
rum operum, quem Israëlitæ velut parentem proprium vni-
uersaliter fleuerunt, & sanctum eius corpus in Ramatha ho-
norificè sepelierunt: cuius postmodum ossa teste S. Hiero-
mo in Thraciam translata sunt ab Archadio Imperato.
Apud Assyrios decimo tertio Samüelis anno cœpit imper-
re Dercylus, cuius imperium annis quadraginta perdura.
Apud Athenienses regnabat Codrus Melanthi regis fili
rex Atheniensium vltimus, ac viginti & vno annis regnau
Quo mortuo pro patria regnum Atheniensium defecit,
deinceps Respublica per Magistratus fuit administrata v
que ad Solonem eximium Legislatorem, qui postmodum i
ducem electus fuit. Apud Latinos autem regnabat Ænea
Syluius, filius Syluij Posthumi, qui tringinta & vno anni
regnauit: Cui successit filius Latinus Syluius, qui ann
quinquaginta regnauit, & filium Albam Syluium reliqu
successorem. Apud Lacedemones regnare cœpit Euristhe
patria Græcus, & regnauit annis quadraginta duobus. Re-
num Corinthiorum cœpisse dicitur Athletes quidam Græ-
cus luctator victoriosissimus, qui persuasione & munificen-
tia sibi populum conciliauit & subiecit. His quoque tempo-
ribus regnasse dicitur in Phœnicia Belus cognomento Me-
tres, qui pyratas Cyprios debellauit, Pigmaleonem filium, &
duas reliquit filias Didonem & Annam. Sub Samuële flo-
ruerunt tres eximij poëtæ, Homerus scilicet Græcus, qui bel-
lum

lum Troianum, & facta Ducum Græcorum præsertim Vlyssis versibus decantauit, cæcus fuit, ac centum & octo annis vixit: Hesiodus etiam Græcus ex Æolia oriundus, qui agriculturam inter alia metricè scripsit: Et Polymides Phrygius, qui bello Troiano dicitur interfuisse, & singulorum gesta quasi testis oculatus descripsisse. His quoque temporibus multæ traduntur conditę ciuitates: Vt Ancona ad mare Adriaticum, à Dolopibus Thessaliæ populis: Aquileia in Foroiulio, à quodam Equilo Troia pulso: Luna in Hetruria ad Macram fluuium à quodam principe Troiano, cuius ruinæ adhuc extant: Patauium ab Anthenore Traiano, vt dictum est: Taruisium Marchiæ Taruisinæ caput, à quibusdam Troianis in orbe dispersis, quam Silis fluuius amœnis interfluit vndis: Ciuitas Pisarum ad Arnum Hetruriæ fluuium, à Græcis ex Pisa Arcadiæ ciuitate venientibus, qui nouæ vrbi conditæ nomen patriæ imposuerunt; Hæc ciuitas plurimum creuit ex ruinis tam Populoniæ quàm Lunæ, ciuitatum maritimarum illius regionis: Ac denique Turo ciuitas Galliæ, ad Ligerim & Charum fluuios, à Bruto Syluij Posthumi Latinorum regis filio, quam à Turno nepote suo Turonem denominauit. Circa hæc tempora Brutus Æneæ pronepos in Angliam penetrasse dicitur, ibique Principatum fundasse: Cui successit Lochrinus filius; & Isti Madaneius filius; & Mandaneio Mempricius quoque filius: Deinde Embracius, Brutus II. filius, Lælius, Bladuolus, Leir filius, & Filia eius vltima: Denique Nodagius, cuius tempore Roma fuit condita; Laualla filius, Garganus filius, Syluius, Iago Gargani nepos, Carminarcus Siluij filius, & Godoburchus: Post hæc diuiditur regnum in multos Principes, quod post multa tempora obtinet Monuchrius Eleotisis filius; cui Belgius filius, & Bartrudus filius: Brenus Gallorum Dux contra Romanos fuit Monuchrij filius, & frater Belgij: Successerunt alij Principes, deinde Reges; nam sub finem secundi sæculi nominatur Lucius, qui à S. Eleuterio Summo Pontifice Missionarios obtinuit ad sui totiusque regni conuersionem; Anno 469. inuenitur Rex Artturus: Deinde anno 850. successit Alidulphus, qui insulam

fecit Ecclesiæ tributariam, ita vt singulæ domus singulos argenteos persoluerent; Cui successit Edimundus filius anno 857. Mimonus anno 881. Elphredus anno 903. Ethelcanus, Ethagarus eius filius anno 971. S. Edoardus martyr anno 982. Comitus seu Ciuitus anno 1034. Henricus anno 1178. Richardus anno 1191. & Ioannes frater anno 1199. quorum plures aliis nominibus insigniuntur à Genebrardo, vt videre est in serie Regum Angliæ.

INCEPTIO REGNI IVDÆORVM.

Israelitæ partim auaritia & peruersitate filiorum Samuëlis, partim superbia moti, petierunt ab ipso Samuële regem, excludentes domum ipsius: Quam petitionem Samuël ægrè tulit, non tam propria commotus iniuria, quàm zelo Diuinæ gloriæ, Dei namque directionem reiicere videbantur, dum constitutos ab ipso iudices excludendo regem absolutum quærebant. Post aliquam tamen resistentiam Deo præcipiente consentit eorum petitioni: Cum prius supremum ius regis in subditos, & futuras vexationes prædixisset.

Prouidit Deus in primum regem Iudæorum: (hoc nomine deinceps huiusmodi regnum appellabimus, finita Israëlitarum Republica, ne regnum generale omnium Tribuum cum regno particulari Israël aliquarum Tribuum confundamus) Saul filium Cis de Tribu Beniamin, quo melior non erat de filiis Israël; nec præstantior, cum ab humeris & sursum emineret supra omnem populum: illumque conduxit ad Samuëlem prophetam, sub occasione consulendi ipsum de asinis patris sui quæ perierant. Diuinitùs edoctus Samuël de aduentu ipsius, illum honorifico excipit conuiuio, & discedentem inungit regem, ipsumque tanquam Christum Dei proponit populo, & de sua electione penitùs attonitum variis mox futuris successibus illum attingentibus confirmat.

Nondum Saül à populo fuerat acceptatus in regem, cum Deus inclyta decorauit eum victoria, & à se electum declarauit. Naas Ammonites venit contra Iabes Galaad pugnaturus

tutus: Voluerunt Galaaditæ se vltrò subiicere, sed hostis arrogans conditionem molestæ seruitutis in opprobrium petit, vt scilicet singulorum oculos dextros eruat. Afflicti Galaaditæ de tam arroganti responso, mittunt nuntios in Gabaa Saulis: ipsos audiens Saul, vidensque populum plorantem, statim congregat exercitum, & pergens ad castra Ammonitarum ex improuiso irruit, plurimos occidit, cæterosque dispergit. Post tam insignem victoriam, venit Samuel cum Saul & toto populo in Galgala, ibique Saul communi applausu fuit rex ab omnibus salutatus. Hoc facto iustificauit se Samuël coram Deo & rege nouo, populo principatum eius approbante.

Cœpit rex nouus de regni negotiis disponere, præsertim in ordine ad bellum, quod ipsi ex parte Philisthiim imminebat, Exiguum adhuc Saul habebat exercitum, quo non solùm hostes sustinebat, sed etiam percutiebat. Verùm cum Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israël triginta millia curruum, sex millia equitum, & reliquum vulgus sicut arena quæ est in littore maris plurima: His visis perterritus defluxit populus, timensque Saul ne cuncti fugerent, obtulit temerariè holocaustum; cum non regis, sed sacerdotis munus esset. Adueniens Samuël ipsum asperè corripit, dicens: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi; quòd si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum; sed nequaquam regnum tuum vltra consurget, quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus vt esset Dux super populum suum, eo quòd non seruaueris quæ præcepit tibi.*

Continuabat bellum Philisthiim contra Israëlitas, & contigit quadam die quòd solus Ionathas filius Saul cum armigero castra Philisthiim aggressus confusionem & plagam magnam induxerit super illos. Nec deerant hostes alij: nam etiam Moab, Amalec, Ammonitæ, reges Edom & Soba pugnabant contra Israël, quos tamen Saul percutiens dissipabat. Vnde confirmatum videbatur eius regnum: Tres habuit

buit filios & duas filias; nomina filiorum sunt Ionathas, Iessui, & Melchisua; nomina verò filiarum, primogenitæ Merob, minoris autem Michol. Nomen patris Saul fuit Cis, nomen vxoris Archinoan, & nomen ducis exercitus Abner filius Ner.

Deinde Samuël præcepit Sauli in nomine Domini, vt ascenderet contra Amalec, captas illorum vrbes subuerteret, illisque interfectis omnem substantiam igne consumeret: quod cum exequi noluisset, iterum Samuël intimat ei in nomine Domini in pœnam inobedientiæ quòd ipsum è regno reprobauerit, & ipse Samuël Agag regem Amalec propria manu obtruncat, & de Galgalis rediens in Ramatha nunquam deinceps vidit Saul, cuius tamen miseriæ compatiens veniam ipsi à Domino deprecabatur, quam obtinere non potuit; sed imposterum recedente de Saul spiritu Domini, exagitabat eum spiritus nequam à Domino, & mille infortunia vsque ad mortem omninò infœlicem ei successerunt.

Inualuit bellum Philisthiim, quod diuturnum & sæuum fuit, de quibus Saul aliquas reportauit victorias, non suis meritis, sed Diuina protectione super populum suum, & generoso ducum ipsius & præsertim Dauid animo, vt libro sequenti dicetur, gesta siquidem Dauid historiæ Saulis mixta sunt. Cum igitur Saul deuenisset in reprobum sensum, cœpit persequi Dauid, quem summopere tenebatur diligere; quamvis enim suis dotibus videret eum amabilem, & multas per ipsum victorias de Philisthiim reportasset, sciens tamen seipsum populo inuisum, & Dauid esse dilectum, timens illum sibi in regno successurum iuxta Samuëlis minas, inuidia percitus millies voluit ipsum perdere, nunc hastis impetendo, nunc dolis & fraudibus inimicis exponendo, nunc armata manu insequendo; sed Diuina protegente se gratia Dauid huius impij regis persecutiones euasit.

Iam à duobus annis mortuus erat Samuël, post impletum principatus quadragesimum, planxitque eum omnis Israël, & sepeliuit eum in Ramatha vrbe sua: Cum Saul agens decimum

cimum octauum regni annum, ad bellum contra Philisthiim procedere cogitur: Priuatus erat suo duce eximio, Dauid scilicet, quem suis persecutionibus ad ipsos hostes fugere compulerat, ad Achis nempe regem Geth. Venit Saul cum exercitu in montem Gelboë, vbi videns castra Philisthiim timuit, & expauit cor eius nimis: consuluitque Dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas; vnde desperatione pressus Pythonissam quærens mulierem inuenit in vrbe Endor, quę ad radices septemtrionales montis Hermō sita est; & mutato habitu ad illam accessit, noluit enim agnosci, quia ipse magos & ariolos expellens de regno persequebatur. Cum mulier Pythonissa, præmisso secreti iuramento, suas pararet incantationes, Domini iussu apparuit Samuël, anima scilicet eius in corpore phantastico; apparens igitur Samuël arguit Saul quòd se inquietauerit, & sic alloquitur: *Quid interrogas me, cum Dominus recesserit à te, & transierit ad amulum tuum? Faciet enim tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid, quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalec; idcircò quod pateris, fecit tibi Dominus hodie; Et dabit Dominus etiam Israël tecum in manus Philisthiim; Cras autem tu & filij tui mecum eritis.* His auditis Saul cecidit, nimium conturbatus, ac penè exanimatus. Ibi mori volebat, vixque suorum precibus acquiescens de terra surrexit, & comedens aliquantum conualuit, & per totam noctem illam ambulans ad castra rediit.

Die sequenti congregata sunt vniuersa Philisthiim agmina in Aphec, & Israël castrametatus est super fontem qui erat in Iesraël. Vnde breui spatio temporis conflictus generalis initus est, & fugerunt Israëlitæ coram Philisthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboë: irrueruntque Philisthiim in Saul & in filios eius, & percusserunt Ionathan, & Abinadab & Melchisua filios Saul, totumque pondus prælij versum est in Saul, & consecuti sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à sagittariis. Cum Saul sic vulneratus

accedentes videret hostes, timens ne viuus in eorum manus deueniret, & ab ipsis illuderetur, vocat armigerum suum vt se interficiat, quo recusante seipsum gladio proprio confodit, & incubuit in hastam: sed cum adhuc non moreretur, videns propè se iuuenem Amalecitem, vocansque inducit efficaciter vt se confodiat. Tunc etiam armiger eius seipsum occidit.

Altera die venerunt Philisthiim, vt spoliarent interfectos, & inuenerunt Saul & tres filios eius iacentes in monte Gelboë: Et præciderunt caput Saul, & spoliauerunt eum armis, & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templo idolorum & in populis: Et posuerunt arma eius in templo Astaroth, corpus verò eius suspenderunt in muro Bethsan. Quod cum audissent habitatores Iabes Galaad, surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan, veneruntque Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi, & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus. Talis fuit exitus Saul, qui primò bonus, & electus à Deo in regem Israël, propter inobedientiam, & impietatem reiicitur ab ipso Deo, & post alia scelera ad tam funestam mortis conditionem deuenit.

Tempore quo Saul regnauit in Israël, fuit summus sacerdos Achimelech, qui etiam Achias nominatur, filius Achitob (quamvis aliqui Achimelech & Achiam vocent fratres filios Achitob.) Hic pontifex post faustos aliquot sacerdotij annos occiditur à Saul rege cum vniuersa domo sua quamvis iniustè, ignorans enim fugientem Dauid à facie regis exceperat, eique cibum & gladium Goliath tradiderat. Quod cum innotuisset Saul, & pontificem aduocasset, iustam eius excusationem inuincibili fundatam ignorantia non admisit, imò iussit tanquam proditorem interfici: sed cum sui sacrilegij exequutionem suis emissariis iniunxisset, illi noluerunt extendere manus suas in sacerdotes Domini; verùm Doëg Idumæus ad mandatum regis irruit in sacerdotes, &

trucidauit

trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo; Nobe autem ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladij, viros, & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouemque & asinum, & ouem. Euadens autem vnus filius Achimelech filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Dauid, & annuntiauit ei quòd occidisset Saul sacerdotes Domini: Et ait Dauid ad Abiathar; sciebam in die illa, quòd cum ibi esset Doëg Idumæus, procul dubio annuntiaret Sauli, ego sum reus omnium animarum patris tui; mane mecum, ne timeas, si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque seruaberis.



LIBER QVINTVS CHRONOLOGIÆ

QVINTA MVNDI ÆTAS, SIVE VIRILIS ÆTAS.

PROLOGVS.



Oc David elogium à Spiritu sancto formatum habetur Ecclesiastici capite 47. Quasi adeps separatus à carne, sic David à filiis Israël: Cum leonibus lusit quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit sicut in agnis ouium in iuuentute sua. Nunquid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium de gente? In tollendo manum, saxo fundæ deiecit exultationem Goliæ; nam inuocauit Dominum omnipotentem, & dedit in dextera eius tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ. Sic in decem millibus glorificauit eum, & laudauit eum in benedictionibus Domini in offerendo illi coronam gloriæ: contriuit enim inimicos vndiq; & extirpauit Philisthiim contrarios vsque in hodiernum diem, contriuit cornu ipsorum vsque in æternum. In omni opere dedit confessionem sancto, & excelso in verbo gloriæ: De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit Deũ qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam, & stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos:

modos: Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vsque ad consummationem vitæ, vt laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent mane Dei sanctitatem. Dominus purgauit peccata ipsius, & exaltauit in æternum cornu eius, & dedit illi testamentum regni, & sedem gloriæ in Israel. Et Deus ipse vnico verbo multa dicit de sanctitate Dauid, dum ait inuenisse se Dauid secundùm cor suum. Si Adam est primus parens, Noë reparator generis humani, Abraham pater fidei, & Moyses legislator Dei; Dauid est Psaltes Domini, & Regius Propheta. Ab ipso quintam mundi ætatem incipimus, quam deducemus vsque ad Christum per annos.

EDVCATIO, & INVNCTIO DAVID IN REGEM IVDÆORVM.

QVia, vt dictum est, gesta Dauid mixta sunt gestis Samuëlis prophetæ & Saul regis, vt primordia Dauid ordinatè contemplemur, ad eorum tempora redeundum est. Dauid fuit de Tribu Iuda, filius Iesse vel Isai, vtroque enim nomine vocabatur vir iste primarius inter Bethleemitas. Iesse septem habuit filios; Tres maiores fuerunt Eliab, Abinadab, & Samma: sed dignior omnium fuit Dauid, de quo agimus.

Parentes Dauid ipsum valde dilexerunt, erat enim pulcher aspectu, decoraque facie & rufus; ac insuper optimis dotibus animæ præditus, præcipuè mansuetudinis eximiæ: Vnde specialem educationis eius curam habuerunt. Primùm igitur, vt erant pij, Diuini timoris & amoris lacte eum nutriuerunt, & virtutibus animam eius excoluerunt: Deinde liberalibus artibus, vt litteris & arte psallendi tam perfectè instruxerunt, quòd cum Regi Saul aliquis Psaltes eximius opus fuisset, ad leniendos

leniendos spiritus mali dolores quibus affligebatur, non alius in toto Iudæorum regno quàm Dauid assignatus fuerit. Denique, vt tunc moris erat & honorificum exercitium, in pascendis gregibus paternis fuit occupatus; in quo exercitio, quamuis adhuc iuuenis, propter miram qua pollebat fortitudinem, belluas plures occidit, & maxime leonem & vrsum.

In his occupatus erat Dauid, cum ipsum Dominus in regem populi sui elegit, & tunc etiam per Samuëlem prophetã inunxit. Reiecerat Saul propter impietatem & inobedientiam, & Samuëlem misit in domum Isai Bethleemitæ, vt vnum ex eius filiis regem consecraret. Accessit Propheta cautè, & secretè suam commissionem impleuit, ne Saul quidquam istorum resciret; periculum enim erat, ne tam Prophetam consecrantem, quàm regem consecratum interficeret. Vt venit Samuël in domum Isai, offertur ei primogenitus filiorum Eliab nomine, quem propheta diuino discit responso non esse electum Dei: Similiter & ordinatè offertur ei Abinadab, postea Samma, & consecutiuè alij, quos diuino Samuël instinctu repellit, quasi non electos à Domino. Sed cum de pascuis vocatus Dauid apparuisset, ait Dominus ad Samuël: Surge, vnge eum, ipse est enim: Tulit ergo Samuël cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius; & directus est spiritus Domini à die illa in Dauid & deinceps, surgensque Samuël abiit in Ramatha, Spiritus autem Domini recessit à Saul.

Quia Deus Dauid in regem elegerat, voluit statim eum ad curiam regis Saul adducere; Tum vt eius virtus & generosus animus inde clariùs emicarent, vt suo tempore cunctorum affectum conciliando viam pararent ad regnum; Tum vt maturè regni negotia posset addiscere, ne postea rex constitutus regiminis ignarus appareret. Duas occasiones, & valde opportunas præparauit Deus: Prima fuit, vt Dauid vocaretur à rege, tanquam Citharedus & Psaltes eximius, ad psallendum Cithara, cum spiritus malus eum inuadebat: Secunda fuit, vt Dauid mitteretur à patre ad exercitum regis congregatum aduersùs Philisthiim, in quo tres fratres ipsius maiores

iores natu militabant, vt eis cibaria deferret; Tunc enim ſucceſſit ſingulare Dauid certamen contra gygantem Goliath Philiſtheum, quem lapide funda iacto percuſſum in fronte euertit, & proprio decollauit enſe. Reuertentem Dauid cum capite Philiſthei Rex totuſque exercitus applauſu maximo ſuſcepit, & Ionathas regis filius ex tunc intimo ſemper dilexit amore: Verùm cum Saul pſallentes obuias mulieres audiſſet, *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia*, motus ita & percitus inuidia cœpit illum odiſſe: Vnde ſemel coram ipſo pſallentem vibrata lancea voluit confodere; ſed cum occaſione tranſacta non auderet virum toti curiæ dilectiſsimum occidere, miſit in bellum ſub nomine Tribuni ſuper mille viros, credens ipſum à Philiſthæis occidendum, imò vt ad facta temeraria excitans illum perderet, apparenter eligit in generum, ipſi promiſſa Merob filia maiore, deinde Michol filia minore, quam poſtea ducentis Philiſthinorum præputiis emptam recepit vxorem.

Contracta cognatione non ceſſauit odium Saul contra Dauid, imò palam loquens Ionathæ & ſeruis ſuis voluit eum occidere: ſed Ionatha cauſam eius defendente, & geſta mirabilia in bonum totius regni ipſiuſque Regis patri referente, quieuit Rex ſaltem apparenter; Vnde lætus Ionathas introduxit Dauid ad patrem reconciliationis cauſa, quæ cum ficta eſſet, aut non firma, Saul ſpiritu malo vexatus Dauid coram ſe pſallentem directa lancea voluit occidere. Sed irrito conatu Saulis aufugit Dauid in domum ſuam illa nocte. Cumque Rex impius mane ſequenti vellet Dauid in lecto dormientem occidere, Michol eius vxor ſciens intentum patris, maritum per feneſtram depoſuit, & patris apparitores appoſito in lectum ſimulachro decepit. Fugiens igitur Dauid venit ad Samuëlem in Naioth in Ramatha, quò cum lictores miſiſſet Saul ad capiendum Dauid, videntes ipſi Samuëlem & cuneum prophetarum vaticinantium, cœperunt & ipſi ſpiritu Domini prophetare; quod etiam aliis ſecundò miſſis, imò & Sauli poſtmodum aduenienti contigit.

Recedens Dauid de Naioth conuenit Ionathan filium Saul,

Saul,amicum intimum,eique patris malitiam & obstinatam persecutionem aperit: promittit Ionathas se Dauid incolumitati prouisurum, & probato patris animo secreta cordis ipsi declaraturum. Tunc inito fœdere inter Ionathan & Dauid, cum in solemnitate non adfuisset Dauid mensæ regiæ iuxta consuetudinem,& Regi causam interroganti Ionathas fictam excusationem de solemnibus victimis in Bethleem attulisset,& in eius fauorem respondisset;Iratus Rex in filium velut in suæ domus destructoré,improperat ei proditionem & propriam ruinam in defensione Dauid fundatam, cuius mortem arrepta lancea mox futuram minatur. Hæc videns Ionathas surgit è mensa, & iuxta condictum mittens per fenestram sagittas propè locum vbi Dauid latebat, & puero ad eas colligendas misso clamauit altè vt vltra pergeret & velociter festinaret: quod audiens Dauid, & fugiendum esse iudicans, recedente puero statim aufugit, post mutuos cum Ionatha amplexus.

Venit ad Nobe ad Achimelech sacerdotem, apud quem exceptus hospitio gladium Goliath recepit, arma namque sua non tulerat:Inde transiit ad Achis regem Geth, vbi videns se notum velut interfectorem Goliath Gethæi, simulauit se fatuum ne occideretur. Vnde dimissus fugit in speluncam Odollam,vbi conuenerunt illum eius fratres & consanguinei, pluresque alij in angustia constituti, ære alieno grauati, quorum omnium quasi quadringentorum electus est princeps. Inde transiit in Maspha terræ Moab, vbi patre & matre relictis, suadente Gad Propheta venit in terram Iuda ad saltum Haret:Cumque ibi manens audisset Ceilam à Philistheis obsessam,consulto Domino ad illam procedens,percussit hostes inuadentes plaga magna, & habitatores seruauit.Nec tamen ibi tutus fuit: nam cum audisset regem Saul in manu forti accedere, & Deo reuelante didicisset à viris Ceilam se tradendum esse, profectus est in montem solitudinis Ziph cum sexcentis penè viris, & in illis residens locis nunc in colle Hachila,nunc in deserto Maon latitabat.Quod cum audisset Ionathas filius Regis, ad eum accessit, & mœ-

stum

ſtum conſolatus iterato fœdere in domum ſuam rediit. Non multo poſt, renuntiantibus Ziphæis & auxilium promittentibus, ad illud Saul venit deſertum, totumque montem ſuis militibus in modum coronæ cinxerat, nec euadere poterat Dauid; Cum Deo ſic ordinante repentinus venit ad Saul nuntius, referens ei Philiſthæos ſuper omnem terram Iſraël inundaſſe: Quo audito perterritus Saul reuerſus eſt deſiſtens perſequi Dauid, & perrexit in occurſum Philiſthinorum; & propter hoc vocauerunt locum illum, Petram diuidentem.

Poſt hæc recedens inde Dauid, habitauit in locis tutiſſimis Engaddi: quò perrexit Saul tribus millibus electorum militum ſtipatus: Cumque recondita quæque, & abruptiſſimas petras ſolis ibicibus peruias luſtraret, venit ad ingentem & obſcuram cauernam, ad cuius penetralia Dauid cum ſociis receſſerat, illam ingreſſus Saul voluit ventrem purgare: Quem ex obſcuro perſpicientes ſocij Dauid decreuerunt interficere; Verùm Dauid nolens in Chriſtum Domini manum mittere, furorem eorum ſedauit, & cautè accedens ad Saul oram clamidis eius præcidit. Cum inde ſurgens Saul pergeret, ſequitur Dauid, & accedens ad regem ſuam erga eum innocentiam demonſtrat, & præſertim in hac occaſione, qua ipſum perſecutorem infenſiſſimum, & adhuc crudeliter perſequentem valens tutò necare, tanta manſuetudine dimiſit illæſum. Quibus Saul conuictus, eleuans vocem ſuam fleuit, ipſum Dauid iuſtificauit, ac mille repleuit benedictionibus, imò cum ipſo fœdus iniit, dicens; Nunc quia ſcio, quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël, iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei: Et iurauit Dauid Sauli, abiit ergo Saul in domum ſuam, & Dauid & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.

Deinde venit Dauid in deſertum Pharan, Cumque audiſſet Nabal habitantem in ſolitudine Maon, diuitem in gregibus & poſſeſſionibus Carmeli, ſuas oues tondere, decem iuuenes ad illum miſit, quibus humaniter illum ſalutans, & ſuam erga paſtores illius affabilitatem & protectionem de-

monſtrans,aliquam ciborum copiam poſtulabat.Nabal iuuenes audiēs aſperè repulit,& Dauid ipſum contumelioſis verbis deſpexit:qui certior de inſolentia Nabal factus voluit illum delere, iamque ſuos ad eius ruinam accingebat; Cum Abigail vxor Nabal per puerum de ſucceſſu monita,ſumptis protinus cibariis occurrit Dauid, mariti ſtultitiam accuſans, ſuis tandem precibus flexit,& ſic mira rapuit prudentia,quòd poſtea Dauid mortuo Nabal illam duxerit vxorem; etiam duxit Achinoam de Ieſrahel:Saul autem dedit Michol filiam ſuam, vxorem Dauid, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

Oblitus Saul iuramenti ſui, & fœderis cum Dauid initi, cœpit illum de nouo perſequi, & diligenter inquirere:Cumque Ziphæis referentibus didiciſſet eum in colle Hachila reſidere, confeſtim illuc cum Abner duce & tribus militum electorum millibus acceſſit. Quorum aduentum audiens Dauid, vt erat peritus ſemitarum de nocte caſtra Regis ingreditur cum Achimelech Hethæo,& Abiſai filio Saruiæ ac fratre Ioab, & accedens ad tentorium Regis tunc dormientis, haſtam eius & ſcyphum auferens noluit ipſi nocere, quamuis ſocij ſecùs ſuaderent. Deinde ad montis verticem cum aſcendiſſet,clamauit ad Abner,eius ſocordiam & negligentiam in cuſtodia Regis improperat, quam ablatis haſta & ſcypho demonſtrabat:Cuius vocem vt audiuit Saul, eiuſque iuſtificationem percepit, placatus iurauit ſe non ampliùs nociturum, multiſque Dauid benedictionibus cumulauit, & haſta cum ſcypho recepta diſcedens inde reuerſus eſt in locum ſuum.

Experientia multiplici Dauid edoctus, quàm infidelis & inconſtans eſſet Saul,& quam crudelis eius perſecutio,timens ne in manus illius aliquando incideret,ac ſimul videns nulli in Iudæa locum eſſe ſatis tutum, decreuit tranſire in terram Philiſthiim, vt ſic Saul deſperans illum aſſequi ceſſaret à perſecutione. Abiit igitur Dauid cum duabus vxoribus, ſcilicet Achinoam Ieſrahelitide, & Abigail vidua Nabal, ac ſimul ſexcentis viris, & venit ad Achis filium Maoch Regem Geth, & cum illo habitauit quatuor menſibus, poſtquam obtinuit

obtinuit Siceleg in suæ domus residentiam: vt autem Regi Achis notam faceret fidelitatem, prædam omnem quam de Amalecitis reportabat, velut Israëlitis captam Regi suo hospiti libenter offerebat, qua fictione deceptus Achis seruum sibi fidelem futurum Dauid esse credebat, vtpote tot cladibus Israëlitis infestum & in æternum irreconciliabilem.

Cum bellum Philisthiim aduersùs Israëlitas renouatum fuisset: Achis veniens ad exercitum, Dauid secum adduxit cum sociis. Verùm resistentibus aliis principibus Philisthiim, Dauid expellitur ab exercitu, & dum reuersus in terram Philisthiim venit in Sicileg, inuenit eã igne succensam, atque direptam ab Amalecitis, vxoresque suas cum filiis & filiabus in captiuitatem abductas. Post planctum vniuersalem, consulto priùs per Abiathar sacerdotem Domino, Dauid Amalecitas latrunculos insequitur cum sexcentis militibus suis, quorum ducentis in torrente Beser præ lassitudine subsistentibus, cum aliis quadringentis ductu pueri tandem assequitur in campo diffusos & de præda plurimum hilares: irruit in eos de repente sub vesperam, & vsque ad finem diei sequentis sic gladio percussit, vt solùm quidam iuniores Camelorum cursu euadere potuerint: totamque prædam cum vxoribus & filiis, ac reliquo populo reduxit in Siceleg, vnde dona de facta præda misit senioribus Iuda proximis suis, & ibi cum suis mansit.

REGNVM DAVID IN IVDA PRIMO, DEINDE IN TOTO ISRAEL.

IAm tertia dies aderat, ex quo Dauid à cæde Amalec reuersus manebat in Siceleg: Cum ad eum venit puer Amalecites, nuntians ei victoriam Philisthiim super Israël, ac simul mortem Saul Regis filiique Ionathæ. Hæc audiens Dauid expauit, & maximis deffleuit lachrymis tam Saul quàm Ionatham; deinde iussit Amalecitem illum occidi, quia Saul iam vulneratum & moribundum confoderat, quamuis eius precibus coactus: non obstante quòd ei diadema Saul, & armillam brachij eius ad ipsum attulisset.

Publicata iam morte Saul, consuluit Dauid Dominum

per Abiathar sacerdotem, vtrum deberet ascendere ad aliquā ciuitatem Iuda, & habito Domini responso ascendit in Hebron, vbi conuenientes præcipui de Tribu Iuda receperunt eum in regem, Abner autem circumducens Isboseth filium Saul per castra & reliquas Tribus Israël constituit Regem, & sic aliquandiu regnum mansit diuisum, spatio scilicet septem annorum & dimidij quo durum desæuiit bellum inter Dauid & Isboseth. Postquam Dauid regnare cœpit, Abiathar constituit summum sacerdotem, Ioab filium Saruiæ nepotem suum elegit ducem exercitus, & mittens in Iabes Galaad, incolis gratias egit quòd Saul Regem suum in Gelboe mortuum & à Philisthiim suspensum audacter rapuissent, & honorificè sepelissent.

Cœpit igitur bellum inter domum Saul & domum Dauid: Et Abner dux exercitus Isboseth filij Saul collecto exercitu venit in Gabaon, cui processit obuiam Ioab dux exercitus Dauid cum Abisai & Asaël fratribus suis: Cumque conflictus fuisset initus, Abner cum suis fugatus est, quem cum fugientem insequeretur Asaël, nec ab insequendo vellet desistere, ab Abner interficitur; Abner fugitiuos ac dispersos milites colligens in vnum cuneum, ac resistere volens insequentibus, misit ad Ioab qui diceret periculosam esse desperationem, & ne victos vsque ad internecionē persequeretur: Quo audito Ioab recessum buccina iussit indici. Vnde Abner amissis sexcentis sexaginta militibus venit ad castra; Ioab verò decem ac nouem tantùm amissis cum fratre Asaël, venit in Hebron, cuius corpus illatum fuit in sepulchro patris sui in ciuitate Bethleem. Ex hoc primo casu victoriæ cœpit imperium domus Dauid crescere, & domus Saul decrescere.

In hoc regni principio nati sunt filij Dauid in Hebron: Primogenitus eius Amnon de Achinoam Iesrahelitide, & post eum Cheleab de Abigail, Absalon de Maacha filia Tholmai Regis Gessur, Adonias de Haggith, Saphathia de Abital, & Iethraam de Egla. Cum Dominus domum Dauid ad regiam dignitatem elegisset, & domum Saul repulisset, eius prouidentia accidit, quòd Abner princeps præcipuus partis Saul

Saul, & dux exercitus eius, ingrederetur ad Respham filiam Aia concubinam Saul, quod vbi resciuit Isboseth filius Saul, acriter reprehendit Abner tanquam de ausu temerario: Cuius verbis Abner exasperatus de Isboseth prodendo cœpit cogitare; Vnde nuntios misit ad Dauid in Hebron, mutuum petens colloquium, vt inito amicitiæ & pacis fœdere transiret ad eius partes. Obtenta accedendi licentia sub hac conditione, quòd Michol filiam Saul & vxorem Dauid secum ad ipsum adduceret, venit Abner cum viginti viris in Hebron, vbi magnificè à Dauid rege susceptus omnia secundùm vtriusque desiderium conclusit. Verum cum recederet vt promissa mandaret exequutioni, de reducendo populo sub dominio Dauid à Dan vsque Bersabee, fraudulenter occiditur à Ioab, quia Abner occiderat Asael fratrem ipsius Ioab: Quod audiens Dauid, ægerrimè tulit, & Abner honorificis sepeliuit exequiis.

Intentum Abner latuerat Isboseth: quamuis enim Isboseth minas Abner audiuisset, & consuluisse Tribus Israël dicisset, & maximè Tribum Beniamin cui magis intererat, quia regnum de ipsa transferendum erat ad Tribum Iuda; credidit tamen huiusmodi minas fuisse tantùm apparentes, & consultationem secretam circa belli negotia processisse; sibique totaliter persuasit, dum Abner à Ioab occisum audiuit: Vnde ipsi Isboseth, audita morte Abner, dissolutæ sunt manus, omnisque Israël perturbatus est. Et cum ordinariè serui dominorum fortunam & infortunium distinguant, duo viri principes latronum partibus Saul adhærentes, nomine Baana & Rechab, domum Isboseth latenter ingressi dormientem ipsum interfecerunt, & abscissum eius caput detulerunt ad Dauid: quorum perfidiam vltus Dauid illos trucidari iussit, & cadauera eorum suspendi.

Isboseth occiso, communi consensu vniuersæ Tribus Israël venerunt ad Dauid in Hebron, qui iam septem annis super Tribum Iuda regnauerat, & tunc triginta septem erat annorum: Et ipsum in Regem suum eligentes, velut à Deo prius electum ac Ducem generosissimum de regno tam be-

nè meritum, & vnxerunt eum. Dauid autem regni totius onere suscepto, de securitate & ampliatione eius seriò cogitans, statim exercitu collecto venit in Ierusalem tunc à Iebusæis habitatam, & illam vi cepit ac eius arcem in monte Sion, quam deinceps habitans ex se denominauit ciuitatem Dauid, eamque nouis mœnibus extructis muniuit. Tum ab Hiram regem Tyri impetrans artifices tam lapidum quam lignorum, & ligna cedrina de Libano magnificum palatium in noua ciuitate regia Ierusalem ædificauit. Et nouas vxores ac concubinas ducens, plures alios genuit filios, quorum nomina sunt, Samua, Sobab, Nathan, Salomon, Iebahar, Elisua, Nepheg, Iaphia, Elisama, Elioda, & Eliphaleth.

Audientes Philisthiim Dauid in Regem Israël electum, ab ipsis statim principiis illum terrere voluerunt; Vnde coacto validissimo exercitu venerunt aduersùs eum in vallem Raphaim: Quibus obuiam procedens Dauid, iam consulto Domino & de victoria breui futura securus, venit in Baal Pharasim, vbi percussit hostes, & prædicto nomine locum insigniuit, dicens, *Diuisit Dominus inimicos meos coram me, sicut diuiduntur aquæ.* Cumque rediissent Philisthiim, Dauid instructus à Deo gyrans post tergum eorum, & veniens ex aduerso velut inde inexpectatus facilè percussit eorum castra de Gabaa vsque Gezer.

Iam firmata in Ierusalem curia, voluit Rex Dauid ad majorem Dei gloriã illuc arcam fœderis adducere: cuius translatio vt esset gloriosior, omnes electos ex Israël triginta millia congregauit. Conuenientes igitur in Gabaa, & arcam de domo Abinadab tollentes super plaustrum nouum imposuerunt, cui duos Abinadab filios Oza & Ahio præfecerunt. Cum rex & omnis populus, variis musicalibus instrumentis Domino psallentes & ludentes, venissent ad aream Nachon, & boum agitatione declinatam arcam Oza manibus apprehendisset ne caderet, iratus Dominus super eius temeritate percussit eum, & statim mortuus est. Contristatus Dauid, ac simul exterritus ob mortem Ozæ, non est ausus Arcam in ciuitatem suam tunc adducere, sed eam collocauit in domo

Obededum

Obededum Gethæi, vbi mansit tribus mensibus, cuius pietatem præmians Dominus, domum eius benedixit. Hæc audiens Dauid, vt eiusdem benedictionis particeps fieret, arcam Domini cum apparatu magno, cum victimis & insigni solemnitate, ipseque simul cum aliis saltans deduxit in ciuitatem suam: Cumque Dauid psallentem Michol eius vxor in corde despexisset, & postmodum improperasset: ipse se magis humiliaturum coram Domino respondit, ipsa verò in pœnā superbiæ perpetua fuit plexa sterilitate. Iussit autē Rex arcā collocari in medio tabernaculi quod ei tetenderat.

Deuictis Dauid hostibus, & habitans pacificè in noua domo sua, mente concepit templum Domino construere, in quod arca fœderis inferretur. Suum hoc desiderium Natham Prophetæ communicauit tanquam amico familiari, qui statim illud velut opus eximiæ pietatis approbauit, & Regem ad eius exequutionem animauit. Verùm Deus loquens ad Natham iussit illi Regi dicere, domum sibi construendam, non ab ipso qui multum sanguinem fuderat, sed ab eius filio pacifico, cuius posteritati æternam protectionem promittit. Vnde pro tunc Dauid domum quidem Dei à filio successore regni construendam habens in mente, quicquid pretiosum ex victoriis referre poterat, ei reseruandum consecrabat. Hoc tempore percussit Philisthiim, & ciuitatem Geth de manibus eorum tulit: percussit etiam Moab, & fecit tributarium: Percussit quoque Adarezer Regem Soba Syriæ, destructis mille septingentis eius equitibus & viginti millibus peditum. Dux eius Abisai frater Ioab tunc percussit Edom in valle Salinarum decem & octo millia, & constituit præsidium in Edom, & tributariam reddidit Idumæam. Sic autem regno tam in temporalibus quàm in spiritualibus prouiderat Dauid, vt Ioab filius Saruiæ Dux esset generalis exercitus, Iosaphat filius Ahilud esset à commentariis, Sadoc filius Achitob & Achimelech filius Abiathar essent sacerdotes, Saraias scriba, Benaias autem filius Ioiadæ super Cerethi & Phelethi: Filij quoque Dauid sacerdotes erant.

Memor autē Dauid antiquæ & iuratæ cum Ionatha amici-

tiæ, sciens superstitem illi filium Miphiboseth claudum, voluit eum gratificare: Vnde vocato Siba seruo domus Saul iussit ad se Miphiboseth adduci, quem videns consolatus est,& traditis ei bonis paternis voluit vt maneret Ierusalem, & demensa Regis iugiter vesceretur. Cumque audisset mortem Naas Regis Ammonitarum,misit ad Hanon filium eius legatos,qui suo nomine de morte patris ipsi condolerét:nouus ille rex suorum instigatione legatos Dauid honorarios credens esse speculatores secretos,cum iniuriis excepit,& abrasa dimidia barba cum dedecore remisit: quod cum resciuisset Dauid, suis iussit legatis Hierichunte manere donec barba recresceret,& congregatum aduersùs Ammonitas exercitum, sub Ioab & Abisai fratre eius misit. Cuius aduentum formidantes Ammonitæ, præter suos milites, turmas auxiliares à variis Syriæ regulis impetrarunt: Cum simul conuenissent, Ioab cum parte exercitus contra Syros, Abisai verò cum alia parte stetit contra Ammonitas;inito generali conflictu,Ioab dissipauit & fugauit Syros, ad quorum exemplum fugientes Ammonitæ palmam exercitui Dauidico reliquerunt:Et duces Dauid victores redierunt in Ierusalem. Verum Adarezer semel victus non despondet animo, maiorem congregat exercitum, ei generalem præficiens Sobach magistrum militum: contra quem processit Dauid omnibus bellatoribus conuocatis, & transmisso Iordane venit in Helam, vbi Dauid tam acriter aggressus est hostes, quòd penitùs deleuerit, captis curribus septingentis, occisis quadraginta millibus equitum, & fugatis quinquaginta & octo millibus. Qua tam mirabili victoria perterriti reges vicini, pacem fecerunt cum Israël, & seruierunt ei.

Sequenti anno rediit exercitus Dauid contra Ammonitas, & ciuitatem Rabba obsedit:Dauid remanserat in curia, cumque post meridiem surrexisset de lecto, & in solario domus regiæ deambularet, vidit ex aduerso mulierem pulchram se lauantem nomine Bersabee filiam Eliam vxorem Vriæ Hethæi:iussit illam statim adduci,quæ concepit ex adulterio filium;Cumque Rex commissum adulterium celare voluisset,

maritum

maritum eius Vriam accersit ab exercitu; sed cum variis artibus ad vxorem suam in domum remittere non potuisset, ad exercitum remisit, & scriptis Ioab epistolis iussit illum in periculoso obsidionis loco exponi, vt sic manibus hostiū caderet,& ita successit. Cum Bersabee ex huiusmodi adulterio filium Dauid genuisset,misit ad eum Dominus Natham prophetam, qui proposita Regi parabola grauitatem vtriusque peccati,scilicet adulterij Bersabee & homicidij Vriæ,demonstrauit, in cuius pœnam multa minatus est de morte filij adulterini,de corruptione notoria suarum coniugum, & de multis calamitatibus aliis quę breui succederent.Interea Rex Dauid coactis auxiliaribus turmis accessit ad obsidionem Rabbath, quam tandem cepit, & tulit diadema Regis eius, pondo auri talentum habens & gemmas pretiosissimas, & imposuit capiti suo, populumque simul abductum serris & cultris diuidendo necauit, & cum exercitu toto reuersus est in Ierusalem.

Non multò post Deus cœpit Dauid variis afflictionibus & infortuniis punire,vt ei per Prophetam minatus fuerat.Accidit quòd Amnon filius eius amaret sororem suam Thamar speciosissimam, quam simulato morbo à patre in leuamen ægritudinis suæ obtentam vi opprimens incestuosè deflorauit, & statim iniuriosè de domo sua repulit; Hæc nimium afflicta ad suum fratrem vterinum Absalon accessit:qui tunc iniuriam esse dissimulandam iudicauit, vt postea congruo tempore faciliùs vlcisci posset:Euoluto biennio fraudulenter Absalon Dauid patrem & omnes suos fratres ad solemne conuiuium inuitauit,eo tempore quò tondebantur eius oues: Cumque Rex ire noluisset, tandem importunis precibus suum fratrem Amnon cum aliis impetrauit,quem postea temulentum iussit occidi, ipse verò fugit ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur, vbi mansit exul tribus annis;quibus elapsis industria Ioab & arte mulieris Thecuitis reuocatur à patre, cui redeunti Dauid veniam de fratricidio, & osculum pacis concessit.

Hac patris indulgentia abusus Absalon,contra patrem ip-

ſum conſpirauit: Nam regni cupidus fecit ſibi currus & e
tes, & quinquaginta viros qui eum præcederent: & ſta
portam ciuitatis fictis amicitiæ ſignis, & ſimulato iuſti
zelo ſollicitabat corda hominum, & eorum ſibi volunt
conciliabat. Cum vidit Abſalon cuncta ad rebellionem
diſpoſita, ſub ſpecie voti reddendi veniam obtinet à R
eundi in Hebron, vbi coniuratione formata Rex acclama
à populo, validum formauit exercitum, quo inſtructus c
tra patrem procedens in vrbem regiam Ieruſalem prop
bat: Vnde Dauid egredi coactus & fugere domui ſuæ di
ſuit, deinde viam arripuit quæ ducit ad deſertum ſuis ſt
tus militibus, ſacerdotibus & omni populo; verùm cum t
rentem Cedron tranſiſſet, arcam fœderis Domini plenus
remiſit cum ſacerdotibus & populo. Veniens igitur Abſa
in Ieruſalem, intrauit ciuitatem & palatium Regis, & de c
ſilio Achitophel proditoris ingreſſus eſt ad concubinas pa
relictas ad cuſtodiam domus, coram vniuerſo Iſraël.

Poſt hæc congregato belli conſilio, cenſuit Achitop
non eſſe ſiſtendum, ſed vlteriùs procedendum dum Da
exterritus fugeret: ſed Chuſai Arachites ſua prudentia & f
delitate erga Dauid perſuaſit congregandum eſſe vniue
bellatores Iſraël, vt ſine periculo turmæ Dauid facilè di
parentur: ſed reuera fuit eius intentum tollere de mani
Abſalon certam victoriam, & concedere Dauid tempus o
portunum firmandi ſuum exercitum, & nouas militum t
mas, tam ex populo Iſraël quàm ex vicinis regulis cong
gandi: ſinguli namque principes vicini rebellionem Abſa
abhorrebant, & miſeræ ſorti Dauid compatiebantur: H
dilatione roboratus Dauid prodiit aduersùs Abſalon, exe
tumque in tres partes diuidens, vnam dedit Ioab, aliam A
ſai, & tertiam Ethei Getheo: volebat ipſe cum exercitu p
ficiſci; ſed ſuorum præcibus inclinatùs manſit in vrbe c
præſidio, & ducibus ſuis proficiſcentibus imperauit, vt ſu
filium Abſalon ſibi reſeruarent. Venerunt exercitus in ſ
tum Ephraim, & commiſſo prælio diſſipatus eſt Abſalo
exercitus, multis gladio cæſis, ſed multò pluribus ſaltu c

ſump

ſumptis : ipſe quoque Abſalon ſedens mulo, dum fugiens ſubter magnam & condenſam quercum ingreditur , capillis ſuis quercui adhæſit tranſeunte mulo:quod cum Ioab renunciatum fuiſſet , & ipſo præcipiente nullus auderet Abſalon configere , ipſemet arreptis tribus lanceis ad eum properat, quibus cor eius transfigit, cuius demortui corpus iuſſit in ſaltum proiici, & comportato lapidum tumulo ſepeliri : Tunc Ioab occinit buccina, quo ſuos milites à proſequutione fugientium reuocaret. Vbi Rex Dauid inſignem ſuorum victoriam didicit, valdè gauiſus eſt:ſed audiens mortem miſeram Abſalon, ſupra modum afflictus eſt, ita vt gemebundus alta voce clamaret; Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi ; quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te , Abſalon fili mi , fili mi Abſalon. Verùm poſtea verbis Ioab conſolatus dolorem de morte filij conceptum diſſimulauit,& ducibus ac militibus ſuis de tam inſigni victoria gratias egit.

Rediens Dauid triumphans in Ieruſalem,ſuſcitatum ſedauit populum,tranſiens Iordanem venit in Galgala,vbi principes Tribus Iuda occurrerunt ei , Regem ſuum in Ieruſalem deducturi. Pepercit Semei veniam petenti,qui fugientem ipſum maledixerat:Voluit ſecum ducere Berzellai Galaaditem vſque Ieruſalem , vt in perpetuum haberet ſuum conuiuam , quia tempore neceſſitatis alimenta ſibi prouiſerat:proceſſerũt etiam obuiam Dauid principes aliarum Tribuum , vt ipſum cum debito honore in ciuitatem regiam Ieruſalem officioſi reducerent. Sed exorta inter eos & viros Iuda contentione multi receſſerunt ſollicitante Seba filio Bochri : Contra ipſum Dauid miſit Amaſam ducem, quem loco Ioab exercitui præfecerat ; ſed Ioab inuidia metus Amaſam gladio necauit, & ſimul cum fratre Abiſai Sebam proſequutus coëgit ipſum in Abela,& in Bethmaaca latere; Cumque vrbem obſediſſet, ad conſilium mulieris compulit ciues Sebæ caput amputare , & ſic obſidione ſoluta receſſit.

Sæuiente trium annorum fame , dum cauſam inquirit Dauid à Domino, didicit eſſe iniuriam à Saul aliàs Gabaonitis factam : Vnde poſterorum Saul immolatione placandum

eſſe

esse Dominum sciuit, & ita septem viros ad eorum peti
nem tradidit, quos crucifixerunt. Bellum sæpius renoua
Philisthæi, quos tamen Dauid semper debellauit. Tunc ac
dit, quòd Dauid quadam motus superbia iusserit ducibus s
vniuersum populum Israël dinumerare, & inuenta s
octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladiu
& de Iuda quingenta millia pugnatorum: Cuius superbia
vlturus Dominus, misit ad eum Gad prophetam, qui triu
pœnarum optionem dedit, aut septem annorum famis, a
trium mensium fugæ coram aduersariis persequentibus, a
trium dierum pestilentiæ. Cum vltimum pestilentiæ flag
lum elegisset Dauid, exiguo trium dierum tempore mo
tui sunt ad septuaginta millia hominum. Sed propitio D
mino ad preces & pœnitentiam Dauid, cessauit quassati

Cum Dauid senuisset, & vix negotiis regni vacare poss
Adonias filius eius ex Haggith cœpit de capessendo reg
cogitare; vnde vt ad illud sibi viam pararet, fecit currus
equites, & quinquaginta viros qui currerent ante eum
Pulcher erat aspectu, & maior natu filiorum Dauid actu v
uentium: eius partibus fauebat Ioab, & Abiathar sacerdo
Sadoc verò sacerdos, & Banaias filius Ioiadæ, & Natha
propheta, & Semei & Rei, & robur exercitus Daui
non erat cum Adonia. Nathan igitur propheta suasit Bers
bee matri Salomonis, vt ingrederetur ad Regem, eique pro
missam regni possessionem postularet: quòd tam fœlicit
præstitit, vt statim Rex iusserit Salomonem filium inung
Regem suum successorem. Postea Dauid ad vltionum vit
perueniens Salomoni filio suo voluntatem suam manifesta
uit, cuius exequutionem strictè commendauit. Primò autem
iniunxit vt coram Deo ambulans legem eius fideliter obse
uaret, certus de præmio tam vitæ spiritualis quàm regni tem
poralis. Deinde præcepit, vt secundùm ordinem iustitiæ vin-
dicatiuæ procederet contra Ioab & contra Semei: contra il-
lum quidem, quia duos duces sine causa in pace occiderat,
Abner scilicet filium Ner, & Amasam filium Iethæi: contra
istum verò, quia dum ipse fugeret à facie Absalon, maledi-

xit

xit ipsi maledictione pessima. Denique præcepit ei, vt filios Berzellai humanissimè tractaret, & semper haberet suos conuiuas, in gratiam patris, qui fugienti ipsi in rebellione Absalon occurrerat cum magna ciborum copia. Sic rebus tam generalibus regni, quàm domesticis & particularibus ritè dispositis dormiuit Dauid cum patribus suis,& sepultus est in ciuitate Dauid,postquam regnasset quadraginta annis, septem in Hebron super Iuda,& triginta tribus in Ierusalem super vniuersum Israël.

Tempore totius regni Dauid fuit summus sacerdos in Israël Abiathar filius Achimelec, vltimus de linea Ithamar filij Aaron. Tres Domini prophetæ floruerunt, scilicet Nathan Dauidis ipsius ex fratre nepos, Gad & Aspha:Quibus adiungi debet ipse Rex Dauid, qui Diuino plenus spiritu multa de Saluatore & Ecclesia prædixit in Psalmis. Apud Assyrios decimo tertio regni Dauidis anno Imperatori Dercylo successit filius Eupales, qui triginta & octo annis imperauit. Apud Lacedemonas decimo octauo regni Dauidis anno regnare cœpit Agis secundus Rex filius Euristhei primi regis: Cui post vnum annum regni successit eius frater Archestratus, qui triginta quinque annis regnauit, & aduersùs Athenienses crudelissima gessit bella. Athenienses, Codro rege suo interfecto in Peloponneso bello, non ampliùs reges, sed magistratus principes crearunt: Vnde septimo regni Dauidis anno Medon regis Codri filius Reipublicæ suscepit administrationem,cui viginti præfuit annis,& per fratres suos in Asia minori plures condidit vrbes, aut reparauit: Huic mortuo successit in principatum anno vigesimo septimo regni Dauid Augustus princeps secundus, qui præfuit Reipublicæ triginta sex annis. Hoc tempore, trigesimo secundo regni Dauidis anno condita dicitur in Asia minori ciuitas Ephesus ab Androdo Regis Codri filio, qui in ea regnare cœpit,& eius posteri vsque ad tempora Romanorum ibidem regnarunt:fuit in ea portus maris valde commodus,& templum Dianæ pulcherrimum ab Archiphrone mirabili arte constructum,& ac Herostrato concrematum,ea solùm ratione

ne vt nomen ſuum poſteritati notum relinqueret. Hisq
que temporibus reſtaurata dicitur Smirna à filiis Codri,q
priùs condita, & ab vna Amazonum denominata fuerat. R
ſtaurata quoque dicitur vrbs Miletũ Ioniæ prouincia quo
dam caput, quam à Nileophyli rege condita primò tradit
His tandem temporibus condita dicitur Carthago, celeb
rima Aphricæ ciuitas, à Didone inclyta fœmina, quæ pri
dicta Elyſa fuit Beli Phœnicum regis filia, vulcu pulcher
ma, quam patre mortuo Pigmaleon frater paternum re
num ſuſcipiens apud Cyrium Sichæo Philiſthenis Sacerdo
Herculis filio, diuitiis præpotenti dedit vxorem: Cuius di
tiis inhians eius cognatus rex illum tyrannicè necauit;
vidua Dido fratris crudelitatem fugiens primùm Tyro ſ
uens multis clam aſportatis theſauris venit in Cyprum inſ
lam, inde verò cum pluribus ſociis virginibus appulit ad l
tus Aphricæ, in quo ciuitatem hanc condidit, & illis virgi
bus, & palatiis exornauit magnificis. Hanc ciuitatem pri
fuiſſe conditam aliqui tradunt, & ſupponit Virgilius, qui f
gientem Æneam incenſa Troia deducit ad Didonem Ca
thaginis fundatricem, & in ea dominantem.

SVCCESSIO & INVNCTIO SALOMONI IN REGEM ISRAEL.

Vidimus, quomodo Rex Dauid, antequam moreretu precibus Berſabee vxoris ſuæ, & ſuaſu Natham pr phetæ, Salomonem filium ſuum regni ſucceſſorem declar uit: Et ne vlla circa hoc difficultas poſtmodum oriretur, iu ſit illum mulæ regis inſidentem cum apparatu regio per c uitatem Ieruſalem regni curiam deduci, & in monte Gibo inungi per Sadoc ſacerdotem, & feſtiuą totius populi vo proclamari. Ad tam ſolemnem Salomonis inaugurationen territi qui partes Adoniæ ſequebantur ſurrexerunt, & iu vnuſquiſque in viam ſuam: Adonias autem timens Salomo nem ſurrexit & abiit, tenuitque cornu altaris, ſed rege iu bente rediit in domum ſuam. Verùm cum media Berſabe

regis matre petiit in vxorem Abiſag Sunamitidem, iuſſus eſt à rege interfici propter auſum temerarium.

Occiſo Adonia præcipuo Salomonis aduerſario, qui ſe legitimum Regem tam Berſabee quàm aliis ſæpe iactauerat, voluit Rex ſapiens Salomon præcipuos eius fautores diſſipare. Vnde primò depoſuit ab officio Pontificem Abiathar, qui totis viribus electionem Adoniæ in Regem procurauerat, & ita depoſitum expulit è curia remittens in patriam; indulſit tamen ei vitam, eo quod arcam Domini portaſſet. Deinde Rex hac occaſione data ſupremam patris voluntatem executurus, voluit Ioab interficere, qui tam funeſtum audiens nuntium cucurrit ad tabernaculum ſeu ſanctuarium, velut ad aſilum, & cornu altaris apprehendit: miſit rex ducem qui violenter eum inde raperet; ſed cum id aſſequi non potuiſſet, iuſſit Rex ibidem eum interfici gladio, ſicut ipſe priùs interfecerat authoritate propria in contemptum regiæ dignitatis, duos principes innoxios, Abner ſcilicet filium Ner, & Amaſam filium Iethæi. Denique proceſſurus contra Semei filium Gera filij Iemini de Bahurim, vt ipſum ore proprio iudicatum puniret, iniunxit ei ſub pœna mortis, ne diſcederet e Ieruſalem, dans ei limites laxioris carceris torrentem Cedron, timens fortè eum velut hominem turbulentum: Sed cum poſt annos tres eius ſerui fugiſſent ad Achis filiũ Maacha, ſtatim illuc perrexit, & ſeruos reduxit: Quo audito Salomon illum iubet adduci, adducto priùs obiicit inobedientiam, deinde cætera proponit crimina, & præſertim tam inſolentem eius contra Regem Dauid maledictionem, propter quæ declarat eſſe reum mortis, & ſtatim iuſſit interfici.

Diſſipatis his, qui regnum Iſraël turbare poterant, & contracta cum rege Ægypti affinitate, cuius filiam duxit in vxorem (Regem aſſerunt dictum Vaphren, filiæ nomen ignoratur) regnum ſuum firmauit, & ſecurum reddidit, tam ab inteſtinis proditoribus morte prædictorum, quàm ab externis hoſtibus affinitate dicta. Tam celebres nuptias Rex Salomon in Canticis Canticorum litterali ſenſu decantat, vt

communiù

communiùs creditur, vbi ipse sponsus & sponsa mutuum amorem, propriamque pulchritudinem declamant. In dotem vxoris Salomon, præter alia dona magnifica recepit postmodum Gazer vrbem Leuiticam in Tribu Ephraim; ipsam namque prædictus Rex Ægypti exercitu potenti de manibus Philisthiim rapuit, & genero suo Salomoni tradidit. Ductam vxorem introduxit Salomon in arcem Dauid patris sui, donec ædificato templo magnificentius ipsi palatium ædificauit in monte Sion. Cum autem Salomon holocausta Domino obtulisset, Dominus in somnis apparens se propitium exhibet, & se daturum promittit quicquid petiisset: Petiit ipse sapientiam ad regendum populum sibi commissum, eiusque petitio tam grata fuit Deo, quòd præter sapientiam singularem, dederit ei immensas diuitias, summam gloriam & perpetuam regni sui pacem. Porrò sapientia Diuinitus concessa tam mirabilis fuit, vt cuncta eius verba viderentur Dei oracula, & iudicia forent rectissima. Refertur vnum mirabile, quod in hoc regni principio tulit: Duæ mulieres simul erant in eodem lecto cum suis paruulis dormientes; Vna casu filiolum suffocauit, quem malitiosè propè aliam collocauit, eius sibi filiolum assumens: Hæc mater decepta euigilans fraudem agnouit, suumque ab alia puerulum repetiit, sed cum vicissim suum esse diceret; post varios clamores accedunt ad Regem, qui prudenti sententia litem obstinatam dirimit, & veram paruuli viuentis matrem à falsa discernit: Imperat enim, quòd paruulus gladio diuidatur; ficta mater acquiescit sententiæ, vera mater resistit, eligens potius totum filium viuum alteri concedi, quàm partem eius occisi cadere sibi, quo materni amoris signo cognita filium incolumem iucunda regis sententia recipit, & alia mulier vt ficta mater reiicitur.

Ministros fideles tã regno quàm domui suæ Rex Salomon elegit; Duodecim Tribubus Israël duodecim præfectos & gubernatores constituit. Deinde apud Hiram regem Tyri procurauit ligna cedrina & alia, sicut & artifices ad construendum Domino templum. Quæ cum tribus primis regni annis

iam essent parata, & de monte Libano in regiam ciuitatem Ierusalem translata: Rex anno quarto & mense secundo regni sui, qui fuit annus quadringentesimus octogesimus egressionis filiorum Israël de terra Ægypti, cœpit templum illud magnificentissimum ædificare, quod habebat sexaginta cubitos in longitudine, viginti in latitudine, & triginta in altitudine: Et perfecit illud cum omnibus ornamentis spatio septem annorum & sex mensium; perfectum autem mira totius regni solemnitate ædificauit. Perfecto Domino templo, magnificum sibi palatium ædificauit in Ierusalem, quod spatio tredecim annorum omninò perfecit: Ædificauit quoque domum saltus Libani amœnissimam centum cubitorum longitudinis, quinquaginta latitudinis, & triginta altitudinis, quam pulcherrimis quatuor deambulacris, columnis pluribus cedrinis, aliisque miris decorauit ornamentis. Cui porticum adiunxit reddendis iudiciis opportunum. Tandem uxori suæ Pharaonis filiæ domum tam pretiosam & pulchram ædificauit, vt dicatur constructa ex lapidibus pretiosis, & secundùm eius descriptionem cap. 7. libri tertij Regum factam, nihil ditius, & illustrius excogitari possit. Post constructum ac perfectum Domini templum, congregauit Rex Salomon omnes maiores natu Israël cum principibus Tribuum & ducibus familiarum filiorum Israël, vt arcam Domini, tabernaculum fœderis, & omnia vasa sanctuarij quæ erant in tabernaculo ferrent in templum. Quod tanta maiestate, & tam magna populi concurrentis lætitia, atque solemni victimarum innumerabilium oblatione celebratum est, vt nihil augustius possit excogitari; boum namque viginti duo millia, ouium autem centum viginti millia in templi dedicatione fuerunt immolata: Completa verò oratione, & Dei sibi apparentis promissionibus recreatus Salomon, congregato benedixit populo, & singulos in suas domos remisit. In his ædificiis Salomon immensam pecuniæ summam consumpsit, nam præter maximum Dauid patris thesaurum ad hoc sibi relictum, præter innumeras totius Israël voluntarias oblationes, præter reddituum ex-

ceſſiuas huic operi applicationes, ipſe Rex mittens claſſes in Ophir per mare rubrum, (Ophir à Luſitanis creditur eſſe Sophala) immenſam auri copiam ad quadringenta viginti talenta procurauit.

Tam glorioſus in ſuis dictis & factis fuit Salomon, quòd in toto celeberrimus eſſet orbe, & plures eius fama allecti ad eum acceſſerunt. Et inter alios refertur Regina Saba, proprio dicta nomine Nichaula, Meroës inſulæ Nili fluminis apud Æthiopiam ſeu Arabiam regina: quæ magnis ſplendida muneribus, & doctis curioſa quæſtionibus veniens ad curiam Salomonis, ipſum in omnibus conſuluit, & audiens eius ſapientiam in reſponſis beatos iudicauit ſeruos & domeſticos, qui eius præſentia frui poterant. Ipſi diſceſſuræ Salomon multò plura dedit munera, quàm ipſa veniens attulerat, licet aurum ab ipſa latum dicatur infinitum nimis, gemmæ pretioſiſſimæ, & aromata multa.

Cum Salomon multis circumquaque regibus dominaretur, immenſos penè redditus habebat, tam ex proprio regno, quàm ex aliorũ ſubiugatis ditionibus. Et inſuper ſingulis annis de Ophir afferebatur pondus auri ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum: Vnde tanta fuit in Ieruſalem auri copia, quòd Salomon omnia domus ſuæ, domus Reginæ, domus ſaltus Libani, ac templi Domini vtenſilia ex auro puriſſimo fecerit, & magnificentiſſimum ſibi conſtruxerit thronum de ebore grandem, quem veſtiuit auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus, & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas; & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde, non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. Congregauit Salomon mille quadringentos currus, & duodecim millia equitum, & diſpoſuit eos per ciuitates munitas & cum Rege in Ieruſalem.

Poſt tantam ſapientiam oblitus eſt Salomon præcepti legis Domini: adamauit enim mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas

Idumæas,& Sydonias,& Hethæas; de gentibus ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël: *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras; certiſſimè enim auertent corda veſtra vt ſequamini deos earum.* His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore: fueruntque ei vxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & Concubinæ trecentæ, & auerterant mulieres cor eius. Cumque iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres vt ſequeretur deos alienos; nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid Patris eius: ſed colebat Salomon Aſtarthen deam Sydoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum. Adificauit fanum Chamos idolo Moab in monte qui eſt contra Ieruſalem, & Moloch; atque in hunc modum fecit vniuerſis vxoribus ſuis alienigenis quæ adolebant thuri & immolabant diis ſuis.

In pœnam idolatatriæ minatus eſt Deus Salomoni ſciſſionem regni ſui, cuius maiorem partem daturus eſſet ſeruo ipſius rebelli; ſed diſtulit toto tempore vitæ ipſius propter Dauid patrem eius: ſuſcitauit inſuper aduerſarios ei, Adad Idumæum de ſemine regio, & Razon filium Eliada, Ieroboam quoque filium Nabath Ephrathæum de Sareda. Hic eſt, cui Ahias Silonites propheta prædixit & facto & verbis ſciſſionem regni Iſraël, promittens ei maiorem eius partem, decem videlicet Tribus ſuper quas regnaturus eſſet, duas ſolùm relinquens poſteris Salomonis, cui hanc faciebat miſericordiam propter Dauid patrem eius. Promiſit Dominus Ieroboam per prophetam, quòd ſi mandata eius obſeruaret ad imitationem Dauid,propitius eſſet ei,& ædificaret domum fidelem.Siue cauſa prædictionis huius,ſiue alia occaſione voluit Salomon interficere Ieroboam, qui ſurrexit & aufugit in Ægyptum ad Seſac regem Ægypti, & fuit in Ægypto vſque ad mortem Salomonis.

Salomon multa ſcripſit, cum eſſet plenus ſapientia, & ſcientiam haberet infuſam: ſcripſit enim de ſingulis animalibus, terreſtribus, aëreis & aquatilibus: ſcripſit de omnibus plantis & arboribus. Aliquos etiam ſcripſit libros

sacræ scripturæ Spiritu sancto inspirante, & singula verba dictante, vt librum Prouerbiorum, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum. Regnauit autem Salomon in Ierusalem super omnem Israël annis quadraginta, & dormiuit cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid patris sui. Dubitant meritò Authores, vtrum Salomon post tot peccata, & præsertim idololatriam ab ipso Rege in regnum Israël inductam, Dei misericordiam per pœnitentiam impetrauerit: Affirmant aliqui, dicentes librum Ecclesiastes esse librum pœnitentiæ ipsius, quem constat post lapsum eius fuisse compositum: Alij verò negant, cum sacra scriptura delictorum, non autem pœnitentiæ faciat mentionem. Tremendum tamen est, quòd Rex tam sapiens inordinato mulierum amore ad tantam deuenerit insipientiam, quòd Idolis templa construxerit, & saltem exteriùs ea coluerit; vnde dubitatur de eius saluatione.

Toto Salomonis tempore apud Israëlitas, post expulsum Abiathar, fuit Summus Pontifex, siue Princeps Sacerdotum Sadoc filius Chiob: Vnde reiecta domo Ithamar minoris filij Aaron, restituta fuit dignitas pontificia domui Eleazari filij maioris eiusdem Aaron. Floruerunt tunc in Israël tres prophetæ, videlicet Ahias Silonites, Sameas, & Abdo siue Ladan: Primus prædixit diuisionem regni, Secundus in nomine Domini constituit Roboam ne contra Ieroboam arma moueret, Tertius contra eundem Ieroboam missus in Bethel destructionem domus ipsius in pœnam idololatriæ minatus est, eique manum arefecit; cum autem contra præceptum Domini panem in terra illa manducasset, seductus à falso propheta, dum reuertitur in Ierusalem occiditur à leone: Dicitur esse filius Nathan prophetæ. Apud Assyrios Eupali mortuo successit in Imperium Laosthenes anno decimo regni Salomonis, & imperauit annis quadraginta quinque. Eodem penè tempore cœpit regnare apud Corinthios Argilaus tertius rex, qui regnauit annis triginta septem. Apud Latinos quoque cœpit regnare Alba Syluius rex sextus, qui cum Albam ciuitatē instaurasset, & in ea curiæ sedem collocasset, ex tunc
omisso

omisso Latinorũ nomine, reges Albanorum appellari cœperunt. (Fuit alia ciuitas Alba nomine in Hetruria, cuius incolæ dicebantur Albenses): Rex iste triginta nouem annis regnauit, & moriens Athi filio regnum reliquit. Apud Lacedemonas regnare cœpit quartodecimo regni Salomonis anno Labotes rex quartus, qui triginta septem annis regnauit.

DIVISIO REGNI IVDÆORVM, ET SVCCESSIO REGVM IVDA.

SAlomone mortuo iam tempus aduenerat, quo iuxta Ahiæ Silonitis propheriam, regnum Iudæorum scindendum erat, & diuidendum propter peccata Salomonis, ita quòd duę solùm Tribus Iuda & Beniamin in domo Dauid remanerent, & aliæ decem separatæ nouum regnum constituerent. Occasio talis rebellionis & diuisionis regni fuit imprudentia regis Roboam filij Salomonis, qui coactis generalibus regni comitiis in Sichem, vbi rex erat acceptatione populi constituendus, noluit seniorum sequi consilium deferendo iustis populi petitionibus, sed iuniorum temeritate suasus duris populi petitiones excepit verbis. Cum enim Salomon iam desipiens nimium suæ curiæ, ac præsertim tot reginarum & concubinarum aleret fastum, grauissima subditis imposuit tributa; A quibus in dictis generalibus comitiis petiit populus à nouo rege subleuari: Sed cum Rex omisso senum prudenti consilio, iuniorum aliud temerarium sequeretur, respondit arroganter populo: minimus digitus meus grossior est dorso patris mei; & nunc pater meus posuit super vos iugum vestrum; pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. Cum hæc audisset populus, indignè ferens noui regis tyrannidem, recessit ab eo & vocatum Ieroboam tunc de Ægypto reuersum regem constituerunt super decem Tribus. Vnde regnum fuit diuisum in regnum Iuda, & in regnum Israël: Regnum Iuda, solas continens duas Tribus, Iuda scilicet & Beniamin mansit in domo Dauid sub Roboam; Regnum autem Israël, reliquas Tribus continens.

nens, separatum à domo Dauid, cœpit sub Ieroboam. Nunc agetur de successione regum Iuda, posteà verò de successione regum Israël, quamuis rès gestæ ipsorum vt plurimùm mixtæ sint.

Roboam igitur filius Salomonis videns populum decem Tribuum rebellem, timens sibi rediit in Ierusalem. Tunc quadraginta & vnius anni erat, cum regnare cœpit, & 17. annis regnauit: Octodecim habuit vxores & sexaginta concubinas, quibus 28. filios & 60. filias genuit. Mater eius nomine Naama fuit Ammonitis: Vnde non mirum si Roboam filius eius, præsertim motus exemplo Ieroboam, & fortè suasus ratione status, libertatem conscientiæ populo Iuda concesserit: Ædificauerunt enim & ipsi sibi aras & statuas, & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam; sed & effoeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium. Propter has abominationes quinto regni eius anno ascendit Sesac rex Ægypti in Ierusalem, & tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios, & vniuersa diripuit. Fuit autem bellum inter Roboam & Ieroboam cunctis diebus: Dormiuitque Roboam cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid. Erat summus sacerdos Achimaas filius Sadoc. Tertio regni Roboam anno cœpit Tersippus Dux Atheniensium magistratum assumere, quem 41. annis administrauit. Eius anno 5. cœpit regnare apud Corinthios Primas. Anno 9. Athis Albæ filius regnum cœpit apud Latinos. Anno 11. Daristhus regnauit apud Lacedæmonas. Et anno 16. imperium cepit apud Assyrios Piriciades, qui triginta annis imperauit.

Mortuo Roboam successit ei in regnum Iuda filius eius Abiam nomine, anno decimo octauo regni Ieroboam, cuius mater vocabatur Maacha filia Abessalom. Tribus tantùm annis regnauit, & ambulauit in omnibus peccatis patris sui, ac bellum gessit omni tempore vitæ suæ contra Ieroboam, fuitque prælium inter eos in Tribu Ephraim propè Samariam, vbi victor extitit Abiam, & victus Ieroboam. Sed creditur

ditur Abiam à bello cessasse Dei mandato, sicut pater eius Roboam eodem Dei mandato abstinuerat priùs à pugna. Hac victoria gloriosus Abiam accepit vxores quatuordecim, procreauitque viginti duos filios, & sedecim filias. Erat summus sacerdos in Ierusalem Azarias filius Obeth, qui simul fuit propheta, & prædixit Ierusalem à Chaldæis capiendam.

Asa filius Abiam patri successit in regnum anno vigesimo primo regni Ieroboam, fecit quod bonum & placitum erat in conspectu Dei sui, & subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa; & confregit statuas, lucosque succidit: & præcepit Iudæ, vt quæreret Dominum Deum patrum suorum, & faceret legem & vniuersa mandata, & abstulit de cunctis vrbibus Iuda aras & fana: Et cum tot bonis operibus Diuinam meruerit protectionem, Deo pacem largiente regnauit pacificus, & ciuitates regni sui muris & turribus muniuit; Quòd si Zara Æthiops cum exercitu decies centenorum millium militum surrexerit contra Regem Asa, trecentis curribus tractis, ipse pius Rex cum quadringentis octoginta millibus processit ei obuiam, & Domino cooperante sic exterruit, vt fugerint Æthiopes, & Iuda persequente ad internecionem contriti fuerint. Rediens Rex parta tam insigni victoria sacrificauit Domino septingentos boues, & arietes ad septem millia: Et confortatus Azariæ prophetia præcepit sub pœna mortis, vt omnes eius subditi quærerent Dominum, imò & Maacham matrem suam ex augusto deposuit imperio, eo quòd fecisset in luco simulacrum Priapi, quod omne contriuit, & in frusta comminuens combussit in torrente Cedron. Cum trigesimo sexto regni Asæ anno Baasa tertius Rex Israël contra Iudam venisset, & potenti exercitu regnum premeret: Asa non perfectè confidens in Domino, recurrit ad Benadad regem Syriæ, missis ad eum thesauris domus Domini. Vnde quamuis tunc auxilio Benadad à rege Israël fuerit liberatus; misit tamen ad illum Dominus Hanani prophetam, qui factum eius reprehendit audacter in nomine Domini, & improperauit eius diffidentiam post tam insi-

gnem experientiam Diuinæ protectionis in Æthiopum victoria: Vnde in pœnam continua deinceps bella minatus est. Cuius reprehensione Rex iratus iussit apprehendi prophetam & mitti in carcerem, ac plurimos occidi de populo. Posthæc vehementissimo pedum dolore vexatus rex, plus in medicorum arte quàm in Domini prouidentia confidens, vndecim annos infirmitatis duxit, & quadragesimo primo regni sui anno mortuus est, & sepultus in ciuitate Dauid in proprio sepulchro cum aromatibus multis. Anno 16. Asa cœpit Iohanan pontificatum. Et anno 24. apud Assyrios cepit imperium Ophratæus, quod tenet annis viginti. Anno 13. apud Latinos cœpit regnare Capis filius Athis, & regnat viginti octo annis, à quo Capuam ciuitatem fertur esse conditam: Ei quadragesimo regni Asæ anno successit Carpentus Syluius eius filius, qui tredecim annis regnauit. Anno vigesimo regni Asæ Lacedæmoniis cœpit regnare Agesilaus, & regnauit quadraginta quatuor annis, Thobanos & Argiuos profligauit, & multas vrbes & insulas subegit, fuitque gloriosus ac virtuti studiosus. Anno Asæ vigisimo quarto Phorbas apud Athenienses cœpit regnare & regnauit annis triginta & vnum. Tandem quadragesimo Asæ anno cœpit regnare apud Ægyptios Chencres Pharao, & regnauit annis quatuor.

Iosaphat Asæ filius patri successit, qui statim à principio regni toto corde quæsiuit Dominum; Prophetas, Sacerdotes, Leuitas & Doctores misit in omnes ciuitates, vt instruerent populum, & vias Domini docerent, excelsa & lucos de Iuda penitùs abstulit: Et quia confidit in Domino, Dominus fuit cum eo, firmauit regnum eius, & immensis ditauit thesauris. Cumque rex mira prudentia regni sui ciuitates firmissimis muniisset præsidiis, circumuicinos reges exterruit, seque tributarios vltrò exhibentes vectigalia ei soluebant: Philisthæi namque deferebant munera & vectigal argenti, Arabes verò quotannis adducebant pecora, arietum septem millia, sicut & hircorum. Semper maximum habuit exercitum paratum cum eximiis ducibus, & affinitatem cum

Achab

Achab rege Iſraël contraxit; Cum quo bellaturus aſcendit in Ramoth Galaad, vbi in maximum mortis periculum incidit; ſed directione Diuina occiditur impius Achab, & pius Ioſaphat liberatus reuertitur in Ieruſalem; reprehenditur tamen à Iehu propheta filio Hanani. Poſtea Moabitæ, Ammonitæ, & Syri cum validiſſimo exercitu congregantur in Engaddi contra Ioſaphat: ſed ſuis precibus & firma in Dominum fiducia proſtrauit eos Ioſaphat, nam hoſtes eius à Domino confuſi contra ſemetipſos arma verterunt, & ſe mutuò omnes occiderunt, quorum ſpolia ſecum ferens Ioſaphat rediit in Ieruſalem. Ioſaphat erat triginta quinque annorum, cum regnare cœpiſſet, & viginti quinque annis regnauit: Contraxit amicitiam & ſocietatem cum impiiſſimo Ochozia rege Iſraël vt mitterent naues in Tharſis, quæ tamen in pœnā contritæ ſunt iuxta prophetiam. Eliezer filij Dodau. Tandem mortuus eſt Ioſaphat, & ſepultus in ciuitate Dauid. Poſt Iohanan hoc tempore fuit ſummus ſacerdos in Ieruſalem Azarias. Floruit tunc propheta ſanctiſſimus Elias, Patriarcha noſter, de quo ſub regibus Iſraël multa dicentur. Apud Aſſyrios mortuo Ophratæo ſucceſſit Ophratanes in imperium, qui quinquaginta annis imperauit: eius autem imperium cœpit quarto Ioſaphat anno. Eodem anno Ioſaphat cœpit in Ægypto regnare Amenophis Pharao, qui nouem annis regnauit, cui ſuccedens Oſchor filius ſex annis regnauit. Anno Ioſaphat decimo tertio regnare cœpit apud Latinos Tyberinus Syluius Carpenti regis filius, qui nouem annis regnauit; cui ſucceſſit Agrippa filius: Cadens autem in Albulam fluuium, à ſeipſo Tiberim denominauit. Anno regni Ioſaphat decimo quarto cœpit apud Corinthios regnare Agelas, & regnauit annis triginta. Tandem anno regni Ioſaphat, Agrippa Syluius, quem alij Agrigam appellant, patri Tyberino ſuccedens regnare cœpit, & quadraginta annis regnauit, relinquens Aremulum filium regni hæredē. Moriens Ioſaphat plures reliquit filios, Ioram ſcilicet, Azariam, Iahiel, Zachariam, Azariam alium, Michaël, & Saphatiam: Ioram primogenito regnum tradidit, aliis au-

tem multa dedit munera argenti & auri, & penſiones c
ciuitatibus munitiſſimis in Iuda. Surrexit ergo Ioram ſu
regnum patris ſui, cumque ſe confirmaſſet, occidit om
fratres ſuos gladio, & quoſdam de principibus Iſraël. Trig
ta duorum erat annorum, cum regnare cœpiſſet, & octo a
nis regnauit in Ieruſalem: ambulauitque in viis regum I
raël, filia ſiquidem Achab erat vxor eius, & fecit malum
conſpectu Domini; dereliquit enim Dominum Deum p
trum ſuorum, inſuper & excelſa fabricatus eſt in vrbibus I
da, & fornicari fecit habitatores Ieruſalem, & præuaric
Iudam: Propterea rebellauit Edom, & ſimiliter Lobna,
ſeruirent regi Iudæ; & allatæ ſunt ei litteræ comminato
ab Elia propheta noſtro Patriarcha, in quibus ſcriptum e
Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui; quoniam
ambulaſti in viis Ioſaphat patris tui, & in viis Aſa regis I
da: ſed inceſſiſti per iter regum Iſraël, & fornicari feci
Iudam, & habitatores Ieruſalem, imitatus fornicatione
domus Achab; inſuper & fratres tuos, domum patris t
meliores te occidiſti: Ecce Dominus percutiet te plaga m
gna cum populo tuo, & filiis & vxoribus tuis, vniuerſa
ſubſtantia tua: Tu autem ægrotabis peſſimo languore v
tri, donec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos d
Suſcitauit ergo Dominus contra Ioram ſpiritum Philiſtin
rum & Arabum, qui aſcenderunt in terram Iuda, & vaſta
runt eam, diripueruntque cunctam ſubſtantiam quæ inue
eſt in domo regis, inſuper & filios eius & vxores; nec rema
ei filius, niſi Ioachaz, qui minimus natu erat: Et ſuper h
omnia percuſſit eum Dominus alui languore inſanab
Cumque diei ſuccederet dies, & temporum ſpatia vol
rentur, duorum annorum expletus eſt circulus; & ſic lon
conſumptus tabe, ita vt egezeret etiam viſcera ſua, langu
pariter & vita caruit: mortuuſque eſt in infirmitate p
ma, & non fecit ei populus exequias, ſicut fecerat maio
bus eius. Octo regnauit annis, & ſepultus eſt in ciuitate D
uid, verumtamen non in ſepulchro regum. Sub regno Iora
fuit Summus ſacerdos in Ieruſalem Amarias; floruitq

ſancti

sanctitate Ioiadas, qui postea fuit summus pontifex.

Post mortem Ioram regis sufficitur ei in regnum Ochozias filius ipsius, qui Ioachaz etiam nominatur; hic fuit minimus natu filiorum Ioram, maiores enim eius filij fuerant ab Arabibus latrunculis capti. Cum cœpit regnare, quadraginta duorum erat annorum, & vnico tantùm anno regnauit in pœnam scelerum suorum. Matrem habuit infœlicem Athaliam, filiam Amri regis Israël, quæ filium Ochoziam impulit vt impiè ageret, iuxta consuetudinem regum Israël, & præsertim domus Achab. Ochozias sic fuit confœderatus Ioram regi Israël filio Achab, quòd cum eo processerit in obsidionem Ramoth Galaad contra Hazaël regem Syriæ, vbi vulneratus Ioram refertur in Iesrahel, quem cum Ochozias visitasset, ibi necatur à Iehu cum suis fratribus & principibus, sicut & Ioram rex Israël. Audiens Athalia mortem Ochoziæ filij, surrexit & interfecit omnem stirpem regiam domus Ioram regis Iuda mariti sui: occidisset etiam Ioas filium Ochoziæ, nisi Iosabeth filia Ioram regis, Soror ipsius Ochoziæ, & vxor Ioiadæ Pontificis, illum cum nutrice abscondisset in domo Dei in cubiculo lectulorum, vbi secretò sex annis illum enutriuit; Quibus tyrannicè regnauit Athalia: Verùm illis euolutis industria Ioiadæ pontificis, producto Ioas Ochoziæ filio, & communi applausu populi recepto in regem occiditur Athalia mulier impia. Tunc summus erat pontifex Ioiada vir eximius: Florebant sanctitate plures Eliæ discipuli, & Ionadab princeps Rechabitarum, de quibus agetur sub regibus Israël, apud quos mira patrarunt in eorum ditione viuentes. Anno tertio tyrannidis Athaliæ; Iehu regnum Israël assumpsit domum Achab destructurus; & Hazaël occiso Benadab seu Adadezer rege Syriæ cœpit Damasci regnare, quam ciuitatem plurimum exornauit.

Ioas prædicta Ioiadæ pontificis industria sublimatus in regnum Iuda cœpit anno ætatis septimo regnare, & quandiu vixit Ioiadas, bonum fecit coram Domino, regnumque à pietate incipiens voluit instaurare templum Domini, quod penè destruxerat Athalia vt fanum Baalim ornaret. Verùm cum

cum sanctus Ioiada senex venerabilis centum & triginta an-
norum mortuus fuisset, rex suorum consiliis deprauatus, re-
licto Domini cultu seruiuit Idolis: Cuius impietatem argu-
audacter Zacharias filius Ioiadæ summus sacerdos; sed re-
impius salutarem non ferens correctionem, & immemo-
misericordiæ quam ei fecerat Ioiada, iussit sanctum eius fi-
lium lapidibus obrui in atrio domus Domini, qui morie-
dixit, videat Dominus, & requirat. In pœnam tam impieta-
tis quàm homicidij sacrilegi, misit Deus Hazaël, regem Sy-
riæ contra Ioas, qui per modico exercitu Iudæorum infinita-
multitudinem contriuit, interfecit cunctos principes Iud-
regnum diripuerunt Syri, & in Ioas quoque ignominio-
exercuere iudicia: Et abeuntes Syri dimiserunt eum in lan-
guoribus magnis, surrexerunt autem contra eum serui sui, &
occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est, ac sepultus i-
ciuitate Dauid, sed non in sepulcris regum. Duas ei vxore-
acceperat Ioiada, ex quibus genuit filios & filias: regnum
autem eius fuit annorum quadraginta. Anno regni eius se-
cundo Diogenetus Atheniensium Dux sumens magistra-
tum viginti & octo annis illud administrauit. Eodem anno
Eudemus septimus Corinthiorum Rex regnare cœpit, &
viginti quinque annis regnauit. Anno decimo tertio regni
Ioas apud Assyrios imperare cœpit Acrazappes, & quadra-
ginta duobus annis imperauit. Anno vigesimo regnare cœ-
pit apud Latinos Aremulus Syluius regis Agrippæ filius, &
nouendecim annis regnauit. Eodem anno Sesoncoris Phara-
cœpit in Ægypto regnare, & annis viginti & vno regnauit.
Anno vigesimo octauo cœpit apud Corinthios regnare A-
sthemides, & regnauit annis triginta quinque. Anno vige-
simo nono Pheredus apud Athenienses sumpsit magistra-
tum, & nouendecim annis gubernat. Et anno trigesimo
octauo regnare cœpit apud Latinos Auentinus Syluius Are-
muli regis filius, & regnauit annis triginta septem: hic in
bello prostratus, & in monte iuxta Tyberim sepultus, cum a
se denominauit Auentinum.

Amasias filius Ioas interfecto patri successit in regnum

Iuda, cum viginti quinque esset annorum, & viginti nouem annis regnauit in Ierusalem, nomen matris eius fuit Ioadan de Ierusalem. Cum regnum suum vidit confirmatum, occidit eos qui Ioas patrem suum occiderant: Deinde coacto exercitu processit contra Idumæos filios Seir, ex quibus decem millia peremit gladio, totidemque præcipitio collisit. Verùm deos eorum secum adducens, idololatra factus est, eisque thus adolebat: quapropter iratus Dominus, misit prophetam qui reprehenderet ipsum; sed rex impius iussit eum sub pœna mortis silere, & inde recedere. Cuius impietatem cum Deus punire vellet, permisit vt pessimo suorum consilio Ioas regem Israël prouocaret ad bellum, & recusantem pertinaciter instigaret, qui tandem veniens percussit exercitum Iuda, regem Amasiam cepit in Bethsames, & captiuum duxit in regiam eius ciuitatem Ierusalem, cuius muri partem destruxit; templum domum regis, totamque vrbem diripuit. Ipse autem Amasias inuisus fuit suis, ex quo recessit à Domino: Cumque paratas sibi vidisset insidias in Ierusalem, fugit in Lachis, vbi fuit occisus, & sepultus in ciuitate Dauid cum patribus suis, de Lachis relatus. Primo regni Amasiæ anno apud Lacedemonas regnare cœpit Theleucus, qui regnauit annis quadraginta. Anno nono cepit magistratum apud Athenienses Ariphon, & viginti annis illum administrat. Anno decimo sexto cœpit apud Assyrios imperare Thonos-Concoleros, dictus à Græcis Sardanapalus, qui viginti imperauit annis: Is cum nimis esset effeminatus, ita quòd purpuram cum mulieribus nexet, à suis despectus, & indignus imperio iudicatus est: Sub ipso Ionas propheta Niniuitas ad pœnitentiam conuertit, ipso rege fidem adhibente verbis prophetæ: Sed cum ad vomitum rediisset, in sua Imperiali ciuitate Niniue ab Arbace Medo militum præfecto, ac simul à Beloso Babylonico obsidetur, & ad extremas redactus angustias in ingentem rogum se, suosque filios & vxores coniiciens, igne consumitur cum quinquaginta mensis aureis, totidemque lectis, ac decem millionibus auri, centumque millionibus talentorum argenti: Et tunc

tunc Aſſyriorum monarchia non quidem terminata fuit, vt volunt aliqui, ſed tantùm diminuta per ſubtractionem Me-diæ ac Babylonicæ prouinciæ per prædictos duces, qui reges tyrannicè conſtituerunt: Phul autem deſolatam Aſſy-riorum monarchiam ſuſcipiens continuauit. Anno vigeſimo ſecundo regni Amaſiæ regnare cœpit apud Corinthios Egemon, & ſexdecim annis regnauit. Et anno vltimo Te-pleus Ariphronis filius apud Athenienſes magiſtratum ſu-pſit, & viginti ſeptem annis adminiſtrauit. Tempore re-Amaſiæ fuit ſummus pontifex Sedecias. Floruerunt eti-aliquot prophetæ, vt Ionas filius viduæ Sarephtanæ, p-mus Eliæ diſcipulus, qui conuertit Niniuitas. Amos ex o-pido Theme, qui numeratur inter prophetas minores. Amos alius pater Iſaiæ prophetæ & frater regis Amaſiæ.

Ozias, qui & Azarias patri Amaſiæ ſucceſſit anno æta-decimo ſexto, & quinquaginta duobus annis regnauit: N-men matris eius Iechelia de Ieruſalem. Ipſe quidem rex f-cit quod rectum erat in oculis Domini ſub directione Z-chariæ prophetæ: propterea glorioſum & victorem reddi-de inimicis; nam percuſſit Philiſthinos, Arabes & Ammo-tas; deſtruxit murum Geth, Iabniæ & Azoti; turribus ext-ctis ornauit Ieruſalem. Sed cum roboratus eſſet, eleuat-eſt cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deu-Et cum templum ingreſſus aſſumpſiſſet thuribulum vt i-cenſum adoleret, reſtiterunt ei ſacerdotes, ac præſertim ſu-mus pontifex Ioël cognomento Azarias: Verùm cum vl-procederet, ſtatim in pœnam factus eſt leproſus; Et ita n-ſolùm de templo eiicitur, ſed etiam ad domum ſeparata-relegatur, regnum filio adminiſtrandum relinquens, T-dem moritur, & ſepelitur in agro regalium ſepulchroru-eo quòd eſſet leproſus. Sub hoc rege fuit ſummus ſacerd-in Ieruſalem prædictus Ioël: Et floruerunt ſanctiſſimi pro-phetæ, ſcilicet Oſee filius Beeri, Ioël filius Phatuël, Abdia-& Iſaias ſanctiſſimus. Apud Aſſyrios cœpit imperare Phul anno ſexto regni Oziæ, qui deſolatam volens monarchiam reparare, bellum mouit contra Manahen regem Iſraël, & f-

cit tributarium. Tunc cœpit regnum Medorum ſub Arbace, qui viginti octo annis regnauit, cui ſucceſſit Mandanes filius, & regnauit quinquaginta annis. Cœpit etiam regnum Babyloniorum ſub Beloſo, qui quatuordecim annis regnauit, cui ſub Oziæ regno ſucceſſerunt Naſſyus qui regnat duobus annis, Chinzerus quinque, Parus totidem, ſicut & Dulilæus. Eodem anno ſexto regni Oziæ cœpit regnare apud Latinos Procas Syluius Auentini regis filius, qui regnauit annis viginti tribus, & duos reliquit filios, Amulium ſcilicet & Numitorem patrem Rheæ matris Romuli & Remi: Amulius minor natu tyrannicè poſt mortem patris regnum vſurpat, pulſo Numitore ſuo fratre, & regnauit annis quadraginta quatuor, morienſque Lauſum filium ſucceſſorem relinquit, & Rheam neptem inter Veſtales virgines conſecrat; quæ tamen ex ſtupro concipiens prædictos filios vno partu protulit: ipſa tunc mandato regis patrui viua defoſſa perimitur, duo verò filij iubentur in Tyberim demergi; ſed ad ripam relicti nutriuntur à lupa, ſiue beſtia, ſiue muliere ſic dicta: qui poſtea maiores effecti, collecta paſtorum & Latinorum manu patruum matris ſuæ Amulium de regno expulerunt, & auum Numitorem reſtituerunt, ac tandem Romam condiderunt, vt poſtea dicetur. Anno decimo regni Oziæ cœpit apud Corinthios regnare Alexander, qui viginti quinque annis regnauit: Cui ſucceſſit Theleſtes, & regnauit annis duodecim: Ac tandem Antomenes Theleſtis filius, qui vnico regnauit anno, ipſoqué mortuo deſiit regnum, & cœpit Reſpublica Corinthiorum. Anno decimo tertio regni Oziæ apud Lacedæmones regnare cœpit Alchmenes, & regnauit triginta ſeptem annis. Hoc eodem anno, vel præcedenti Caranus quidam Macedo, vir ingenio & manu promptiſſimus, patriam ſibi ſubiiciens Macedonum inſtituit regnum, vbi viginti octo regnauit annis: cui ſucceſſit Cenus, & regnauit annis duodecim. Anno vigeſimo quinto regni Oziæ apud Ægyptios regnare cœpit Oſorthon, & regnauit annis nouē: Cui ſucceſſit Pſammus, & regnauit decem annis: Ac deinde Bobocherus, qui regnauit annis quadraginta tribus, cuius

tempore

tempore agnus in Ægypto fuit locutus. Eodem anno regni Oziæ Agamestor, Græcus apud Athenienses magistratum sumens gubernauit annis viginti: Cui successit Eschylus, qui viginti duobus annis gubernauit: Cuius secundo anno dicitur instituta Olympias prima, anno scilicet quinquagesimo regni Oziæ, denominata ex agone gymnico per Herculem instituto in honorem Iouis Olympici, in monte Olympo, qui priùs quolibet quinquennio celebratus, ad quadriennium postea reductus est. Anno quadragesimo octauo regni Oziæ cœpit regnum Lydorum in Asia minori; Cuius primus Rex fuit Ardis seu Ardisius quidam Græcus, insignis animi magnitudine, & regnauit annis viginti sex: Hæc regio prius dicebatur Mœnia, sed à Lydo Athis regis filio dicta fuit Lydia. In qua fuerunt pulchræ ciuitates, Ephesus, Colophon, Clazomem, & Phocea: Quod regnum sub Crœso rege postea fuit à Persis subuersum, quia Chaldæis contra Persas auxilium tulerat. Ad hæc Oziæ tempora reducitur Lycurgus Princeps & Legislator Lacedæmonum, vir clarissimus, & inter Philosophos mirabilis, ac tantæ probitatis, quòd patre ac fratre primogenito mortuis, cum ei regnum offerretur, audiens vxorem fratris relictam esse grauidam, illud acceptare noluit, declarans regnum pertinere ad paruulum qui nasceretur, & natum nepotem constituit regem.

Ioatham filius Oziæ mortuo patri successit, cum esset viginti quinque annorum, & sedecim annis regnauit in Ierusalem, mater eius fuit Ierusa filia Sadoc. Fecit quod erat rectum in oculis Domini, construxit vrbes in montibus Iudæ & alias muniuit: Ædificauit portam excelsam domus Domini. Pugnauit contra Ammonitas, & vicit eos, & centum talenta argenti cum decem millibus coris tritici totidemque hordei reportauit. Et mortuus est, ac sepultus in ciuitate Dauid. Ipso regni Ioatham initio creatus fuit summus sacerdos alter Ioatham. Primo eius anno moritur Phul Assyriorum monarcha, eique succedit Theglat-Phalassar, siue Phul-Assar, qui viginti quinque annis imperauit, & veniens in Palæstinam tempore Phaceæ filij Romeliæ regis Israël, Tribum

Nephthal

Nephthali tranſtulit in Aſſyrios. Apud Medos rex erat Soſarmus, qui triginta annis regnauit. Floruerunt ſanctitate, Michæas Moraſtites Propheta, & Naum item Propheta. Floruerunt etiam tres Poëtæ, Emulius Græcus, Archimus ſimiliter Græcus, & Cynethon Lacedemonius. Anno ſeptimo Ioatham nati traduntur Romulus & Remus, quos ad radices montis Palantij expoſitos inueniens Fauſtulus paſtor ad vxorem Laurentiam alendos detulit, quæ mortuum infantem recens pepererat.

Mortuo Ioatham ſucceſſit filius Achaz cum viginti eſſet annorum, & ſedecim annis regnauit in Ieruſalem. Ambulauit in viis regum Iſraël, ſtatuas fudit Baalim, adoleuit incenſum idolis, & luſtrauit filios ſuos in igne iuxta ritum gentium: Propterea tradidit eum Dominus in manus tam regis Syriæ, quàm regis Iſraël Phaocæ, qui regnum Iuda, deleto bellatorum exercitu ad centum viginti millia, deſolauerunt, & tranſlatis habitatoribus ac diuitiis diripuerunt: ſed ad vocem Oded Prophetæ victores Iſraëlitæ captiuos omnes regni Iuda dimiſerunt. Idumæi quoque & Philiſthæi regnum Iuda percuſſerunt, pluribus captis vrbibus: ſed & Aſſyriorum Imperator Teglat-Phalaſſar veniens nullo reſiſtente regnum vaſtauit, cui theſauros omnes rex Achaz miſit vt recederet. Ipſe verò peſſimus Achaz clauſit oſtium templi Domini, & paſſim aras extruxit, vbi Diis gentium ſacrificabat. Mortuus eſt tandem in impietate ſua, & ſepultus in Ieruſalem. Fuit ſummus ſacerdos in Iuda Vrias. Tertio Achaz anno cœpit regnare Numitor Procæ filius apud Latinos poſt expulſum fratrem Amutium, & anno tantum regnauit, occiditur enim à Romulo nepote ſuo regnandi cupido: Et tunc Latinorum ſeu Albanorum deſiit, & paulò poſt regnum Romanorum incepit. Anno Achaz regis Iuda & Vriæ pontificis nono, qui fuit mundi conditi termilleſimus trecenteſimus ſecundus, Imperij Aſſyriorum milleſimus trecenteſimus ſeptuageſimus primus, Teglat-Phalaſſar imperatoris vigeſimus quartus, & Olympiadis ſeptimæ primus, cum Romulus & Remus fratres octodecim

annos exegiſſent, & decimum nonum à menſe februario inchoaſſent, vigeſima prima die Aprilis, qua celebrabantur feſta parilia paſtorum ad vberes pecorum partus impetrandos, iacta dicuntur Vrbis Romanæ fundamenta, anno ſcilicet ante Chriſtum natum ſeptemgenteſimo quinquageſimo primo. Electo vrbis condendæ loco ad montem Palatinum ex ciuibus Alba traductis aliiſque circunſtantibus populis conduntur domus: Cumque de primo rege difficultas eſſet orta, quibuſdam Romulo, aliis autem Remo ſuffragantibus initus eſt inter diſceptātes conflictus, in quo Remus eſt occiſus, & præualens Romulus regnum cœpit: Quia tribus annis prioribus regni Romuli iuuenes quàm plurimi ad nouam vrbem tanquam ad aſylum confugerant, & illis deerant vxores, nec à vicinis obtinere poterant, inito conſilio decernūtur ludi & ſpectacula, quæ quarto regni anno celebrātur, ad quæ cum acceſſiſſent Sabini, puellæ eorum nubiles raptæ ſunt, & à ciuibus Romanis ductæ in matrimonium. Et ſic ſtabilita fuit hæc noua ciuitas, & poſt triumphum Romuli de Sabinis redditur inclita, eorumque poſtmodum vnione plurimum augetur, breui namque mons Capitolinus inhabitatur, vbi primum vrbis templum Feretrio Ioui Romulus dicauit: Poſt aduentum Sabinorum ſub Tatio rege octauo Romuli anno montes alij duo iuncti ſunt vrbi, Cælius videlicet & Quirinalis: Et tunc Senatus, qui centum erat patriciorum, ad ducentorum numerum creuit. Anno decimo quinto regni Achaz Aliactes ſecundus Lydorum rex cœpit regnare, & regnauit annis quatuordecim. Cœpit quoque regnare apud Babylonios Merodrac-Baladan, quem Ioſephus vocat Baladar, Ptholomeus autem appellat Mardo-Kempalum & Nabonaſſar, qui poſtea deuicto Aſarrhadon & Aſſyria Babyloniæ vnita primam Aſſyriorum & Chaldæorum monarchiam plurimùm reſtaurauit. Apud Medos denique regnabat Articas, ſeu Articamines ex Iuſtino, ſiue Cardicas ex Euſebio, qui regnauit annis quinquaginta.

Poſt mortem Achaz impij ſucceſſit in regnum Iuda piiſſimus eius filius Ezechias, cum viginti quinque eſſet anno-

rum,

rum, & viginti nouem annis regnauit in Ierusalem, nomen matris eius Abia filia Zachariæ: fecitque quod erat placitum in conspectu Domini, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius; ipse anno & mense primo regni sui aperuit vuluas domus Domini, quas impius eius pater clauserat, & instaurauit eas, adduxitque sacerdotes & leuitas ad mundandam domum Domini, & restaurandum eius cultum in canticis & sacrificiis. Post hæc rex optimus solemnitates Domini renouare decreuit, & primò volens celebrare Phase, non solùm suos inuitauit subditos, sed etiam vniuersos Israëlitas missis cursoribus ad singulas Tribus regni Israël: ex quibus maior quidem pars idololatriæ vacans inuitantes legatos deridebat, multi tamen ad solemnitatem accesserunt. Tanta fuit regis pietas, vt in sacrificia mille tauros, & septem millia ouium obtulerit, & ad eius exemplum principes regni mille quoque tauros & decem millia ouium vltrò dederint, ita vt à tempore Salomonis non fuerit vnquam tanta solemnitas. Hoc eximio pietatis exemplo sic accensi sunt vniuersi, quòd non solùm in regno Iuda, sed etiam in regno Israël idola destruxerint, altaria subuerterint, & lucos succenderint. Vt autem hæc fidei puritas Sacerdotum & Leuitarum authoritate & magisterio conseruari posset, eos sacris officiis & instructioni populorum totaliter applicauit: Et propterea ad eorum subsistentiam primitias, decimas, cæterasque Mosaicæ legis oblationes fideliter exolui decreuit; quorum tanta fuit copia in frumento, vino, oleo, melle, cæterisque frugibus, vt rex ad ea recipienda iusserit horrea maiora construi, & apta loca parari. Propter insignem hanc pietatem Deus mille benedictionibus Ezechiam regem compleuit, tam in anima, quàm etiam in corpore ac bonis fortunæ, thesauros penè innumeros cumulauit: liberatus fuit ab hostium infestatione; nam cum primò Salmanassar veniens in Palæstinam regnum Israël deuastasset traducto ad Assyrios populo, regnum Iuda remansit intactum; cum postea Sennacherib contra regnum Iuda venisset, & Ezechiam ad deditionem inuitaret miris contra Deum Israël ve-

lut impotentem blasphemiis, propter sancti regis pietatem & fiduciam Angelus Domini nocte vna hostilem deleuit exercitum, occisis ad centum octoginta quinque millia. Cum ægrotasset ad mortem, quam breui futuram ab Isaia propheta in nomine Domini loquente didicerat, rex piissimus oratione feruenti & fletu magno deprecatus est Dominum vt aliquot adhuc annos vitæ sibi concederet: cuius orationem exaudiens Dominus egredientem Isaiam remisit ad regem, vt esset nuntius sanitatis & vitæ ad quindecim annos prolongatæ, qui priùs fuerat nuntius imminentis illi mortis. Et tanta promissionis certitudine, quòd insigne contra naturam vniuersalem miraculum accederit, retrocessionis videlicet solis per decem gradus: quòd ita fuit manifestum, vt Babylone visum fuerit; rex enim Babylonis Berodach-Baladan filius Baladan, de quo supra, quem alij Merodrach-Baladan & aliis vocant nominibus, ad Ezechiam nuntios misit cum litteris & muneribus, vt causam tanti portenti disceret. Hac tentatione vanitatis defecit bonus rex, nam tali legatione vanus suos omnes thesauros legatis ostendit. Vnde Dominus Isaiam prophetam ad regem misit, ad quem ait; *Audi sermonem Domini, Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque in diem hanc, in Babylonem, non remanebit quidquam* ait Dominus; *Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur & erunt Eunuchi in palatio regis Babylonis*: Cui respondit Ezechias; *Bonus sermo Domini quem locutus es, sit pax & veritas in diebus meis.* Insuper rex Ezechias in principio regni percussit Philistæos vsque ad Gazam, & omnes terminos eorum à Turre custodum vsque ad ciuitatem munitam: plurimum quoque regiam Ierusalem ornauit, nam fecit piscinam, & aquæductum, & introduxit aquas in ciuitatem. Tandem expletis quindecim annis vitæ Diuinitùs prorogatæ dormiuit Ezechias, & sepelierunt eum super sepulchra filiorum Dauid, & celebrauit eius exequias vniuersus Iuda, & omnes habitatores Ierusalem. Eius tempore fuit summus sacerdos Nerias, qui dicitur etiam Azarias: Flo-

rui-

ruit sanctitate Isaias filius Amos Euangelicus propheta; sicut & Tobias senior, de quo infra dicetur. Secundo regni Ezechiæ anno Teglat-Phalassar mortuo cœpit apud Assyrios imperare Salmanassar, qui Tribus regni Israël capta Samaria transtulit in Assyrios, & Tyriis etiam bellum gessit. Post septem annos imperij mortuus est, eique successit filius Sennacherib, quem alij vocant Sargon, hic fugiens destructo per Angelum exercitu, in pœnam suæ blasphemiæ, venit in Niniuen: Cumque adoraret in templo Nesrac deum suum, Adramelech & Saraxar filij eius percusserunt eum gladio, quia nouerant suum designasse successorum filium natu minorem Asarhaddon ob amorem matris eius, fugeruntque in terram Armenorum; & sic Asarhaddon imperium assumpsit, quem decem annis gubernauit, admodum ex insigni illa clade toti exercitui Diuinitùs illata, & ex nece Sennacherib debilitatum. Propterea anno vigesimo quinto regni Ezechiæ Berodach Baladan filius Baladã aggressus Asarhaddon Imperatorem Assyriorum, illum debellauit: Vnde rursùs ex Assyriis & Babyloniis prima hæc monarchia refloret; quia tamen imperij sedes Babylonem transfertur relicta Niniue, ideò deinceps in sacris littris nomen Imperij Babylonici frequentius est quàm Assyriorum. Quinto regni Ezechiæ anno cœpit apud Ægyptios regnare Scabon Æthiops gente, qui competitorem regni habuit Bochorum, quo deuicto & interfecto rex solus mansit, & in totum regnauit annis duodecim: cui Sibechus in regnum successit. Sexto regni Ezechiæ anno Perdica quartus Macedonum rex regnare cœpit, & annis quindecim regnauit. Anno decimo tertio regni Ezechiæ apud Lydos regnare cœpit Meles, & regnauit annis duodecim: cui successit Candaules, & regnauit annis septemdecim, qui ignauus & libidini deditus traditur, ac sic inhonestus quòd res matrimonij manifestauit, propriam vxorem alteri nudam exhibuerit, quem ad adulterium sollicitauit: sicque coniugem hoc facto abalienauit à se & irritauit, quòd cædes mariti nuptiarum præmium fuerit, & coniux ipsa mariti sanguine dotata regnum viri & se pariter

adultero tradiderit. Apud Medos regnauit hoc tempore Ar-
bianes viginti duobus annis. Anno vigesimo septimo regni
Ezechiæ Numa Pompilius eligitur rex Romanorum post
annum cum dimidio à morte Romuli, quod inter regnum
fuit propter dissensionem inter Romanos & Sabinos circa
noui regis electionem, ex quorum nam genere assumeretur.
Erat tunc quadraginta annorum ætatis, Sabinus genere, Ta-
tij gener, vitæ campestris amicus: Vix potuit induci, vt obla-
tum assumeret regnum, quod cum assumpsisset, mira regna-
uit prudentia; Dicitur annum incepisse à Ianuario, cum pri-
mensi› Martius esset primus anni: Populum elatum asp-
rumque ad pacem & religionem traduxit; nam cum esset
Philosophus spiritualem Dei naturam esse sciens, prohibuit
Romanos imaginem Dei existimare speciem hominis aut
animalis habere formam; Vnde nec fuit apud eos picta, nec
ficta Dei species, ac si nefas esset meliora deterioribus assi-
milare, cum neque aliter quàm intelligentia Deus perci-
possit: Tandem post quadragintia annos regni leui morbo
correptus moritur octogenarius suis chorus, & posterioribus
gloriosior regibus, qui vel occisi, vel regno pulsi defece-
runt. Sub hoc tempus conditæ traduntur duæ ciuitates in
Insula Siciliæ; Syracusana scilicet à quodam Corinthio no-
mine Archio ad Pachinum promontoriũ, portu suo & fon-
te Aretusæ celebrata, à Pompeio destructa, sed ab Augusto
Cæsare reparata, est patria Sanctæ Luciæ Virginis & Marty-
ris, ac Stephani III. summi Pontificis: Et Cathanea à Naxijs
ad radices montis Æthnæ igniuomi, patria Sanctæ Agathæ
Virginis & Martyris. Hoc etiam tempore dicuntur floruisse
septem sapientes Græciæ: Quorum primus fuit Thales Mi-
lesius ex Thasidarum familia, patre Examio, & matre Cleo-
bolina nobilissimis Phœnicibus natus; fuit illustris Astrolo-
gus, obiitque anno ætatis suæ septuagesimo octauo defati-
gatus æstu cum gymnicũ certamen spectaret: Secundus fuit
Solon Philosophus Atheniensis aut Salaminus, leges & con-
ciones eixmias conscripsit, à Platone in Thimæo. & ab Ari-
stotele in 2. Politicorum laudatur; Moritur in Cypro insula,
&

& ossa sua Salaminam transferri mandauit: Tertius fuit Chilon patria Lacedæmonius, sapientia profundissimus & breuiloquus; nimia moritur lætitia, filium scilicet osculando coronatum in olympico certamine, erat tunc quinquaginta sex annorum, eique mortuo erigitur statua ad sepulchrum: Quartus fuit Pittacus Mistyleneus, doctissimus simul ac generosus, patriam decem annis rexit, & optimis legibus instituit, vixit septuaginta annis vsque ad Crœsi Lydorum regis tempora: Quintus fuit Biantes Prhienensis, qui multa sapienter conscripsit, cuius tanta fuit fama apud suos, vt ipsi nimia senectute mortuo templum dedicauerint: Sextus fuit Cleobolus Lyndus, qui multa scripsit versibus, filiam habuit Cleobolinam hexametrorum ænygmatum vatem, vixit annis septuaginta: Tandem septimus fuit Periander Corinthius, quem Aristoteles tyrannum fuisse dixit, sed hoc negat Plato, multa & vtilia versibus scripsit, & mortuus est octogenarius.

Ezechiæ regi mortuo successit Manasses filius in regno, sed non in pietate: duodecim erat annorum, cum regnare cœpisset, nomen matris eius fuit Haphsiba: fecit autem malum coram Domino iuxta abominationes gentium, instaurauit excelsa quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius, construxitque aras Baalim, & fecit lucos, & adorauit omnem militiam cœli & coluit eam: ædificauit quoque altaria in domo Domini, ædificauit autem ea cuncto exercitui cœli in duobus atriis domus Domini: transireque fecit filios suos per ignem in valle Benennom, obseruabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inseruiebat, habebat secum magos & incantatores, multaque mala operatus est coram Domino vt irritaret eum: sculptile quoque & conflatile signum posuit in domo Dei. Propterea locutus est Dominus per Prophetas suos tam regi quàm populo, minas intentans super Iudam & Ierusalem: sed rex in malo perseuerabat obstinatus, vnde fudit in Ierusalem multum sanguinem innoxium sanctorum & prophetarum, ac præsertim ipsius Isaiæ consanguinei sui, quem medium serra lignea secando trucidauit: Idcircò superinduxit eis principes

exercitus regis Assyriorum, ceperuntque Manassen, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem; qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde: Cuius oratio plurimùm humilis & feruida sub finem Bibliorum relata cor etiam lapideum frangeret: vnde Dominus qui humilia respicit, ipsum exaudiuit, iustificauit interiùs, & ad suum etiam regnum reduxit: Reuersus ablatum Dei cultum restituit, victimas obtulit, idola & aras eorum destruxit, viuens imposterum in timore Domini; Cumque constructis muris Ierusalem munisset & ornasset, post quinquaginta quinque annos regni mortuus est, & sepultus in horto domus suæ. Sub regno Manassis fuit summus sacerdos in Ierusalem Osaias, quem Iosephus vocat Odeam, cui tempore captiuitatis regiæ successit Ioacim siue Eliacim, de quo fit mentio in libro Iudith. Primo regni Manassis anno Thracus Æthyops, interfecto rege Sibecho, regnare cœpit in Ægypto, & regnauit annis viginti: Cui successit Merres item Æthyops, qui regnauit annis duodecim: Et post hunc Stephinatis regnauit annis triginta octo. Anno regni Manassis quarto regnare cœpit apud Medos Arseus siue Deioces, & quadraginta annis regnauit: Cui successit Artyces, seu Artynes, seu Phraortes, qui viginti duobus annis regnauit: Hic Arseus seu Arceus & Deioces dicitur fundator Ecbatanis inclytæ ciuitatis, postmodum Curiæ regum Medorum, quam vidi, & alibi descripsi; quam postmodum Arphasath extructis mœnibus altissimis muniuit & exornauit. Anno duodecimo regni Manassis regnare cœpit apud Lydos Gigius, interfecto Candaule, & ducta in vxorem eius vidua, & regnauit annis triginta sex: Cui postea successit Ardas, & regnauit annis triginta septem. Anno vigesimo octauo regni Manassis cœpit regnare apud Macedonas Argeus, qui triginta & octo annis regnauit. Anno trigesimo nono regni Manassis, mortuo Numa Pompilio, rex eligitur Tullus Hostilius humili loco natus, qui regnauit annis triginta duobus, primus fasces & purpuram assumpsit, Vrbem in monte

Cœlio

Cœlio ampliauit: Postea bellum Asbanis tulit, quibus subactis eorum vrbem fundatùs euertit: Sabinis item bellum indixit, & victos fugauit: Tandem ipse cum tota domo fulminis ictu conflagrauit. Anno quadragesimo octauo regni Manassis apud Babylonios imperare cœpit Benmerodrac, siue secundus Merodrac, qui viginti quatuor annis imperauit. Sub hoc regno conditæ referuntur tres inclytæ ciuitates: Videlicet Nicomedia in prouincia Bythiniæ minoris Asiæ, à Nicomede Bythinio rege, apud quam commoratus diu Diocletianus Christianos persecutus est, & postea ibidem mortuus est Constantinus Magnus: Calcedonitem ciuitas Bythiniæ Constantinopoli opposita, in ore Pontici maris, à Megarensibus condita, quarto generali Concilio sub sancto Leone I. & Marciano Imperatore, contra Eutichem & Dioscorum congregato celeberrima: Et Bisantium à Pausania Sparthanorum rege in Thracia, quæ situ gaudet amœnissimo & tutissimo inter duo maria; quam postea Constantinus Magnus ampliauit, mirificè exornauit, & à se Constantinopolim denominauit; & quam Imperatores orientales, primò Christiani, postea Turcæ Curiam imperij habuerunt. Floruerunt hoc tempore Archilogus Poëta Lacedæmonius, Alcæus Poëta Lyricus, & alij viri docti.

Amon filius Manassis, cum viginti duorum esset annorum, patri successit, quem secutus est errantem, non pœnitentem: nomen matris eius fuit Messalemeth filia Harus de Ieteba. Fecit malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius, & ambulauit in omni via per quam ambulauerat, & cunctis idolis quæ pater eius fabricatus fuerat immolauit & seruiuit, & non est reueritus faciem Domini, sicut postmodum reueritus est Manasses pater eius, & multò maiora deliquit. Vnde coniurarunt contra eum serui eius, tetenderunt insidias, & interfecerunt in domo sua: sed populus occidit huiusmodi parricidas, & regem occisum sepeliuit in suo sepulchro horti Oza, constituitque Iosiam filium eius regem. Regnauit Amon duobus tantùm annis in Ierusalem: Eius tempore fuit summus pontifex Sellum,

siue Saldumus ex Iosepho, pater Helciæ postea pontificis.

Iosias octo tantùm erat annorum, cum post mortem patris cœpit regnare, & triginta & vno annis regnauit in Ierusalem: fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, & ambulauit in viis Dauid patris sui, non declinauit neque ad dexteram, neque ad sinistram. Adhuc puer octo annorum cœpit quærere Dominum Deum patris sui Dauid: Anno verò regni duodecimo cœpit mundare templum Domini totumque regnum ab idolis quæ contriuit, & ab eorum altaribus quæ subuertit, postquam in eis ossa sacerdotum idolis seruientium combussisset: Et decimo octauo regni anno curauit instaurari templum Domini iam mundatum, vbi summus sacerdos Helcias reperit librum legis Domini per manum Moysi, quem misit ad regem legendum, ex cuius lectione cognouit rex pius iratum esse Dominum contra populum suum: Propterea nuntios misit honorificos, & inter alios ipsum summum sacerdotem, ad Oldam prophetidem vxorem Sellum custodis vestium, de futuræ punitionis euentu interrogaturos; quibus respondit Olda in nomine Domini, *Multa quidem mala super regnum Iuda & Ierusalem ventura, propter scelera ac præsertim impietatem populi; verumtamen vsque ad mortem ipsius esse differenda, propter eius pietatem ac humilitatem.* His auditis, rex præcipuos populi & maiores natu congregauit in Domum Domini, quos efficaciter hortatus ad cultum Dei sui, pactum iniit inter Deum & populum iam conuersum: Inito fœdere, hoc eodem anno regni decimo octauo, voluit celebrari solemnissimum Phase, quod vnquam fuisset celebratum à diebus Samuëlis prophetæ; nam rex ipse de sua substantia dedit populo tria boum millia, & triginta millia agnorum & reliqui pecoris, absque eo quod cæteri principes ac præcipui sacerdotes vltrò dederunt. Tandem Nechao rex Ægypti cum exercitu processit, vt pugnaret in Charcamis iuxta Euphratem; Cuius verbis pacificis noluit credere Iosias, licet à Deo se missum diceret: Vnde cum ei venisset obuiam in campo Mageddo, commisso certamine vulneratur à sagittariis, & delatus

delatus est in Ierusalem, in curru mortuus, & sepelitur in Mausoleo patrum suorum; & vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt eum, Ieremias maximè, cuius mortem multo tempore cantatores & cantatrices lamentati sunt. Sub Iosia rege fuit summus sacerdos in Ierusalem Helcias filius Sellum, filij Sadoc filij Azariæ, filij Loiadæ. Floruerunt tunc sancti prophetæ, Ezechiel, Ieremias, Baruch, Sophonias, & Olda prophetissa. Anno regni quarto Iosiæ regis cœpit regnare apud Romanos Ancus Martius Numæ Pompilij regis ex filia nepos, qui regnauit annis viginti quinque; Ianiculum & Auentinum montes adiunxit vrbi, constructo super Tyberim ponte, & adducto omni populo capti Politorij ciuitatis Latinorum; Ostiam ciuitatem ad sexdecim milliaria distantem Roma construxit ad ostia Tyberina, & primus in vrbe ad terrorem crescentis audaciæ carcerem extruxit: Cui successit Tarquinius Priscus, & regnauit annis triginta octo; hic fuit Demarathi Corinthij filius, stabiliendæ ac augendæ Romanorum Reipublicæ studiosissimus, muris vrbem cinxit, Capitolium extruxit, rebellantes Sabinos subiugauit, Latinorum nomen domuit, Thusciam omnem magnis insigniuit ornamentis; & inde triumphalia ornamenta, insigniaque consularia, & insuper magistratuum decora in Romanam transtulit vrbem; sed his strenuè gestis ab Anci Martij filiis interfectus est. Anno decimo quarto regni Iosiæ regnare cœpit apud Babylonios & Assyrios Nabolassar, seu Nabunassar filius Ben-Merodrac, & viginti nouem annis imperauit; hic solet etiam vocari Nabuchodonosor senior, sub quo historia Iudith successit, regnante Manasse. Anno decimo quinto regni Iosiæ cœpit regnare apud Medos Artynes, seu Artices aut Phraortes, qui viginti duobus annis regnauit, & Niniuem maximam ciuitatem omninò subuertit ac deleuit, iuxta prophetiam Naum & Thobiæ. Anno decimo nono regni Iosiæ cœpit apud Lydos regnare Sadiates Ardæ regis filius; & regnauit annis quindecim, regnumque filio suo Alyati reliquit. Ad hæc Iosiæ regis tempora reducitur ab aliquibus Phalaris Agrigentinus in

Sicilia

Sicilia tyrannus, quem alij ſexaginta quatuor annis Ro-
fundationem præceſſiſſe dicunt: hic fuit Orator diſert-
mus,ſed ſæuiſſimus,ad quem venit Athenis Perillus æris
genioſus artifex, qui ſæuitiæ tyranni volens deſeruire, ta-
rum æneum fudit, in quo infœlices rei concluſi ſubjecto
igne torrebantur, & miſerabiliter clamantes mugitum
tiùs quàm vocem humanam edebant; ſed Perillus ipſe
ius author ſupplicij, iuſto Dei iudicio, iubente Phalari
concluſus tauro perimitur. Floruerunt hoc tempore hom-
nes eximij; ſcilicet Pherecides Syrus natione, Piſtaci Ph-
loſophi diſcipulus, & Pythagoræ magiſter; Symonides po-
ta Græcus; Steſicorus poëta Lyricus; Arion Methinæ
Citharœdus optimus in inſula Leſbo; & Sappho Erinn
fœlicis ingenij poëtrix, quæ prima plectrum inuenit, di-
tur etiam fuiſſe vates nobiliſſima.

Ioachaz filius Ioſiæ, cum eſſet annorum viginti triu
patri ſucceſſit in regno (populari factione qua præfertur i
iuſtè ſuo fratri primogenito) ſed non in pietate: nom
matris eius Amital filia Ieremiæ de Lobna, & fecit mal
coram Domino iuxta omnia quæ fecerant prædeceſſor
eius. In pœnam idololatriæ & ſcelerum eius, poſt tres r
gni menſes miſit Deus in eum Pharaonem Nechao rege
Ægypti, qui vinxit eum in Rebla quæ eſt in terra Emath,
impoſuit mulctam terræ centum talentis argenti & talen
auri: Regemque conſtituit Eliacim fratrem eius filium Io
ſiæ, vertitque nomen eius Ioakim, porro Ioachaz tulit,
duxit in Ægyptum,& mortuus eſt ibi. Hunc Ioachaz caſu
prædixerat Ieremias cap. 22. quem vocat Sellum: credibil
verò eſt, quòd Eliacim ſiue Ioakim filius Ioſiæ primogen
tus de regno pulſus à Ioachaz frater natu minore rege
Ægypti inuocauerit in auxilium.

Excluſo Ioachaz de regno,& in Ægyptum tranſlato,con-
ſtitutus rex Eliacim ſiue Ioakim regnare cœpit, cum eſſe
annorum viginti quinque, & vndecim annis regnauit in Ie-
ruſalem, factus regi Ægypti tributarius: nomen matris eius
fuit Zebida filia Phadala de Rama. Fecit malum coram
Domino

Domino iuxta omnia quæ fecerant patres eius : nam præter idololatriam multa commisit alia scelera, Vriam sacerdotem iustum se corrigentem interfecit, omnes templi ministros expulit ; propterea Dominus in punitionem vicinos circumquaque populus aduersùs eum armauit, immittens latrunculos Chaldæorum, Syriæ, Moab & Ammon; sed præcipuè potentem exercitum Nabolassar seu Nabuchodonosor senioris, cuius fuit Dux generalis Nabuchodonosor magnus eius filius : motiuum exterius huius belli Babyloniorum contra Ioakim fuit fœdus eius cum Nechao rege Ægypti quasi cum benefactore, contra quem bellum gerebat Nabuchodonosor : Veniens igitur Nabuchodonosor cum exercitu potenti vicit ad Euphratem Ægypti regem, & vsque Pelusium persecutus totam sibi Syriam subiecit, & obsidens imparatam Ierusalem, vel fraude, vel terrore, vel vi cepit; ac vinctum catenis regem Ioakim duxit in Babylonem cum parte vasorum templi Domini. Sub initium autem imperij Nabuchodonosor magni Ioakim remissus in regnum Babylonio liberatori suo tribus annis seruiuit, impositum exoluens tributum: Verùm Ægyptij contra Babilonios exercitum parassent, deceptus Ioakim ab Ægyptiis ac spe libertatis motus, rebellauit contra Babylonium tributa negando. Vnde rediens Nabuchodonozor magnus iam Imperator decimo Ioakim anno, cœpit Tyri obsidionem quæ tresdecim annis perdurauit, fugientibus ad patriæ fines Ægyptiis, cœpit quoque ciuitatis Ierosolymitanæ obsidionem; quam tamen diu continuere nequibat diuisis copiis : Vnde fraude capiendam duxit, & sic interposita iurisiurandi religione de pacifico ingressu, vrbem obtinet; sed ingressus non seruauit fidem perfido regi Ioakim, & florem iuuentutis Ierosolymitanæ vnà cum ipso rege interfecit : quem etiam insepultum extramœnia proiici iussit, vt Ieremiæ prophetia impleretur, qui prædixerat extra portas Ierusalem proiiciendum ad æstum per diem, & ad gelu per noctem, & putrefactum sepultura asini sepeliendum ; quia corpus Vriæ prophetæ interfecti proiecerat super sepulchra ignobilis

bilis vulgi. Tempore Ioakim regis Iuda fuit ſummus ſacerdos in Ieruſalem Azarias filius Helciæ & pater Saraiæ: Floruerunt quoque illuſtres viri ſanctitate, vt iam dictus Vrias, Daniel cum ſociis, & alij plures, præter Ezechielem & Ieremiam, de quibus ſupra mentio facta fuit. Anno regni Ioakim quarto Nabuchodonoſor magnus patri Nabolaſſar ſuccedens imperare cœpit, tam apud ſacros quàm prophanos authores nominatiſſimus, propter mira quæ geſſit, & quæ Diuinitùs in eo geſta narrat Daniel: Eius imperium fuit quadraginta trium annorum, quibus ſic regem Ægypti Nechao, ſucceſſorem quoque Pſamcticum eius filium contriuit, vt vltra non fuerint auſi de finibus ſuis egredi, quia regnum Syriæ ab Euphrate vſque ad riuum Ægypti, ipſe Nabuchodonoſor occupauerat. Tunc quoque ſucceſſit Babylone hiſtoria Suſannæ per Danielem liberatæ.

Poſt occiſum regem Ioakim Nabuchodonoſor ſucceſſorem eius creauit filium nomine Ioachin, cum decem & octo eſſet annorum, qui tribus tantùm menſibus regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Noheſta filia Elnathan de Ieruſalem, & fecit malum coram Domino iuxta omnia quæ fecerat pater eius: Vnde mouit Deus Nabuchodonoſor, vt illum mitteret captiuum in Babylonem, timens ne illum hoſtem haberet Ieroſolymis in vindictam cædis ſui patris, ac ita Tyriis & Ægyptiis contra ſe iungeretur: miſit igitur partem exercitus ad obſidendam Ieruſalem, & illuc etiam ipſe acceſſit; Cui proceſſit obuiam Ioachin nullius delicti conſcius, & ſecum duxit matrem, domeſticos, principes, & eunuchos: quos Imperator excepit pacificè; ſed tamẽ captiuum in Babylonem tranſtulit cum vxoribus, principibus, viris robuſtis, & artificibus, ac vniuerſis vaſibus domus Domini, ipſumque vocauit Iechoniam; Ducti igitur ſunt captiui ad decem millia octingentos triginta duos; Et ipſe Iechonias ſiue Ioachin triginta ſeptẽ annis manſit in carcere, donec Eluimerodach Imperator ſuccedens patri Nabuchodonoſor ipſum liberans exaltauit, aliiſque principibus ſuis anteponens amicum habuit: Iechonias genuit Babylone Salathiel filium.

Abducto

Abducto ſecum rege Ioachin ſiue Iechonia, Nabuchodonoſor conſtituit Matthaniam patruum eius pro eo, impoſuitque ei nomen Sedeciam, qui viginti & vnius tunc erat annorum ætatis, & regnauit vndecim; nomen matris eius erat Amital filia Ieremiæ de Lobna. Fœdus imperator cum nouo rege contrahit, tributum imponit, iuſiurandum fidelitatis exigit, & ad vrgendam obſidionem Tyri profectus eſt. Verùm Sedecias malum fecit coram Domino, ac ſimul receſſit à rege Babylonis: propterea anno nono regni eius venit Nabuchodonoſor cum vniuerſo exercitu contra Ieruſalem, cuius timore perterritus Sedecias noctu cum aliis aufugit; ſed in fuga captus, & ad imperatorem adductus increpatur de infidelitate, trucidantur coram eo filij ipſius, poſtmodum erutis oculis excæcatur ipſe, & cum parte populi ductus in Babylonem catenis onuſtus in miſera vixit & mortuus eſt captiuitate. Sub Sedecia fuit ſummus Sacerdos Saraias: Et plures floruere prophetæ, qui vicinam regni deſtructionem, Ieruſalem etiam euerſionem, & captiuitatem prænuntiarunt. Apud Medos regnauit Aſtibares ſeu Cyaxares annis quadraginta: Cui ſucceſſit Apandamus ſeu Aſtyages pater Darij, qui triginta quinque annis regnauit. Apud Ægyptios anno quarto Sedeciæ regnare cœpit Vaphres Pharao Pſametici regis filius, qui triginta annis regnauit. Initio regni Sedeciæ condita dicitur Maſſilia ciuitas inclyta regni Galliæ à Phocenſibus Perſarum aduentu profugis: quæ quondam fuit illuſtris ſcientiarum Academia, templo Apollinis Delphici decorata; & aduentu diſcipulorum Chriſti Lazari, Maximini, Marthæ ac Mariæ Magdalenæ illuſtrata. Tunc floruerunt inſignes Philoſophi, Pythagoras, Samus, Anacharſis Scyticus, Miſon Cheneus, Alcineon Crotoniates, & Epimenides Cretenſis.

REGNVM ISRAEL, ET SVCCESSIO REGVM.

Cum Ieroboam ſe vidit regem Iſraël electum à populo, timens eiuſdem populi naturalem inconſtantiam, de

regno

regno firmiter stabiliendo cogitare cœpit, & religionem
tioni status voluit inseruire. Primò igitur ædificauit Sich
in monte Ephraim, vt ibi habitaret: Vnde postmodum eg
sus ædificauit Phanuël. Deinde coniiciens, quòd si popu
occasione sacrificiorum sæpiùs accederet ad templum Ie
solymitanum, suauiter ac simul fortiter alliceretur ad sequ
das legitimi regis sui partes, insignẽ excogitauit impietat
nam duos conflauit vitulos aureos, quos velut deos po
proposuit, & vnum constituit in Bethel, & aliud in Dan
que sacrificia & solemnitates instituit. Hoc scandalo succ
res eius reges fuerunt impij & idololatræ, imò etiam mul
regibus & populo Iuda nocuerunt, & ad imitationẽ impi
tis attraxerunt. Voluit Dominus hanc populi ruinam auer
re: Vnde misit prophetam in Bethel, vbi præcipuè cultus i
lorum vigebat, qui stantem Ieroboam super altare repreh
dit in nomine Domini, & in pœnam huius peccati destru
nem domus ipsius, & altaris direptionem faciendam à I
rege Iuda prædixit, sicut & in eo immolandos esse idolo
cultores; signumque suæ dedit prophetiæ mox futuram
sionem cum cinerum effusionem. Hæc audiens Ierobo
extensa manu iussit apprehendi prophetam; sed manus ex
sa statim exaruit, & scisso altari cinis effusus est: Orante v
propheta manus regi fuit restituta. Cum hic propheta
completa commissione rediturus esset in Ierusalem, no
iuxta prohibitionem Domini apud regem prandere; sed m
dacio deceptus alterius prophetæ comedit, propterea red
occiditur à leone. Veri Sacerdotes & Leuitæ serui Domini
dentes impietatem Ieroboam, & idololatriam Israël, rec
runt in regnum Iuda: Ieroboam verò fecit de nouissimis p
puli sacerdotes: Et propter hanc causam peccauit domus
roboam, & euersa est & deleta de superficie terræ, vt prædi
Ahias propheta, cum vxor Ieroboam infirmo Abia filio
salute eius ipsum consultura iuxta mariti consiliũ accessi
hic namque Domini propheta, tam mortem pueri, quàm d
mus eius euersionem annuntiauit. Ieroboam igitur obstinat
in impietate viginti duobus annis regnauit, & mortuus e

Mort

Mortuo Ieroboam ſucceſſit in regnum Nadab filius eius anno ſecundo Aſæ regis Iuda, & tantùm duobus annis regnauit, & fecit malum in conſpectu Domini, & ambulauit in viis patris ſui, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Iſraël. Inſidiatus eſt autem ei Baaſa filius Ahiæ de domo Iſſachar, & percuſſit eum in Gebbethon quæ eſt vrbs Philiſthinorum, ſiquidem Nadab & omnis Iſraël obſidebant eam.

Occiſo Nadab tyrannicè regnum vſurpat Baaſa regis ſui proditor & occiſor. Rex confirmatus percuſſit omnem domum Ieroboam, non dimiſit ne vnam quidem animam de ſemine eius, donec deleret iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu ſerui ſui Ahiæ Silonitis, propter peccata Ieroboam quæ peccauerat, & quibus peccare fecerat Iſraël, & propter delictum quo irritauerat Dominum Deum Iſraël. Cœpit Baaſa regnare anno tertio Aſæ regis Iuda, & viginti quatuor annis regnauit ſuper omnem Iſraël: Et fecit malum coram Domino, ambulauitque in via Ieroboam, & in peccatis eius quibus peccare fecit Iſraël. Ad ipſum Baaſa miſſus eſt à Domino Iehu propheta filius Hanani, qui condignam peccatis eius punitionem, & domus eius extinctionem prænuntiaret: quapropter impius rex hunc prophetam ſanctum occidit. Anno trigeſimo ſexto regni Aſæ regis Iuda bellum mouit aduersùs eum Baaſa, & muro circumdedit Rama, vt nullus tutè poſſet egredi & ingredi: ſed aduenientibus copiis auxiliaribus Benadab regis Syriæ, & vrbes regni Iſraël obſidentibus, deſtitit Baaſa ædificare Rama, & intermiſit opus ſuum. Poſt tam infœlicem vitam mortuus eſt Baaſa, & ſepultus in Therſa.

Baaſæ ſucceſſit in regnum filius eius nomine Ela, qui regnauit in Therſa duobus annis: Et rebellauit contra eum ſeruus ſuus Zambri dux mediæ partis equitum; erat autem Ela in Therſa bibens & temulentus in domo Arſa præfecti Therſa: Irruens ergo Zambri percuſſit & occidit eum anno vigeſimo ſeptimo Aſa regis Iuda.

Statim ac Zambri poſt mortem Ela regnum Iſraël inua-

ſit, percuſſit omnem domum Baaſa, propinquos etiam & amicos, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baaſa in manu Iehu prophetæ, propter vniuerſa peccata Baaſa, & peccata Ela filij eius, qui peccauerunt, & peccare fecerunt Iſraël, prouocantes Dominum Deum. Regnauit Zambri ſeptem tantùm diebus: nam cum auditum fuiſſet in exercitu Iſraël, qui tunc obſidebat Gebbethon vrbem Philiſthinorum, quòd Zambri rebellaſſet & regem occidiſſet, ſoluit obſidionem, ac pergens in Therſa contra Zambri, coëgit illum vt ſe cum domo regia ſuccenderet in palatio, qui mortuus eſt in peccatis ſuis.

Tunc diuiſus eſt populus Iſraël in duas partes: media pars ſequebatur Thebni filium Gineth, vt conſtitueret eum regem; & media pars Amri, qui erat princeps militiæ ſuper Iſraël in die illa: Præualuit autem populus qui erat cum Amri; Vnde mortuo Thebni, regnare cœpit anno trigeſimo primo Aſa regis Iuda, & duodecim annis regnauit: In Therſa ſeptem, quinque verò in Samaria quam ædificauit, & hoc inſigniuit nomine propter Semer dominum loci, in quo eam fundauit. Fecit autem malum in conſpectu Domini, & operatus eſt nequiter ſuper omnes qui fuerunt ante eum, ambulauitque in omni via Ieroboam filij Nabat, & in peccatis eius quibus peccare fecerat Iſraël, vt irritaret Dominum Deum Iſraël in vanitatibus ſuis: Et mortuus eſt, ac ſepultus in Samaria.

Achab filius Amri ſuccedens patri regnare cœpit ſuper Iſraël anno trigeſimo octauo Aſa regis Iuda, & regnauit in Samaria viginti & duobus annis, fecitque malum in conſpectu Domini ſuper omnes qui fuerant ante eum: nec ſuffecit ei vt ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabat, inſuper duxit vxorem Iezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum, & abiit & ſeruiuit Baal in templo, quod ei ædificauerat in Samaria, & plantauit lucum, & addidit Achab in opere ſuo, irritans Dominum Deum Iſraël ſuper omnes reges Iſraël qui fuerunt ante eum. Propterea miſit ad eum Eliam ſanctum prophetam de habitatoribus Galaad, qui ſiccitatis & ſte-

ſterilitatis ſententiam in regnum Iſraël tulit : Vt autem tempore famis ſeruaretur ipſe ſanctus propheta, miſſus eſt primò in torrentem Carith, vbi prodigioſo coruorum famulatu, carnes & panes bis in die deferentium aliquantum vixit: Deinde ſiccato torrente miſſus eſt in Sarephtam Sidoniorum, vbi miraculoſa tam farinæ quàm olei multiplicatione diu vixit in domo viduæ, cuius filium à mortuis ſuſcitauit: Anno tertio remiſſus eſt Elias noſter ad Achab regem, cuius impietatem arguit, eique ſuadet vt in Carmelum congreget populum, & falſos prophetas Baal. Cumque approbato Diuinitus ſuo ſacrificio per ignem, vanitates Baal & ſacerdotum eius idololatriam omni populo manifeſtè demonſtraſſet, induxit populum vt omnes huiuſmodi pſeudoprophetas ad torrentem Ciſon occideret. Hac expeditione facta, aſcendit Elias ad verticem Carmeli, vbi ſuis precibus copioſam impetrauit pluuiam, cuius naturale prognoſticum fuit nubecula de mari aſcendens, quæ myſticè Beatiſſimam Virginem Deiparam figurauit, cuius tunc ſpecialem & diſtinctam reuelationem habuit. Cum Iezabel ſuorum prophetarum necem audiuiſſet, voluit Eliam occidere, qui fugiens venit in montem Horeb, vbi Dominum audit loquentem, ac ſibi præcipientem vt rediens in Iſraël, vngeret Eliſeum filium Saphat in prophetã ſuum ſucceſſorem, Iehu quoque filium Namſi in regem Iſraël, & Hazaël in regem Syriæ: Inſignem victoriam duplicem retulit Achab de rege Syriæ Benadad, quem captum dimiſit: ſed cum ad conſilium vxoris ſuæ Iezabel Naboth Ieſrahelitam occidiſſet, vt eius vineam poſſet vſurpare, miſſus eſt ad eum Elias noſter, qui deſtructionem eius familiæ, & miſeram Iezabel mortem prænuntiaret, quæ poſtea ſucceſſerunt: ſed non diu fuit dilata mors Achab, nam cum in Ramoth Galaad præliaturus iuiſſet iunctus Ioſaphat regi Iuda, in ipſo certamine vulneratur in curru ſuo ſagitta, quo vulnere necatus refertur in Samariam, vbi ſepelitur. Eius anno ſeptimo, qui fuit mundi termilleſimus centiſimus vigeſimus tertius, ante Chriſtum natum nongenteſimus trigeſimus, Elias expreſſo

Domini mandato cœpit suum ordinem propheticum fundare, qui est primus & radix aliorum, & erit vltimus perseuerans vsque in finem mundi, vt in edito libro demonstrauimus. Hic sacer ordo religiosus variis nominibus successiuè insignitus, primò dictus est ordo propheticus siue prophetarum, deinde ordo filiorum prophetarum, exinde à Rechabitis, Essenis & Assidæis denominatus peruenit ad tempora Christi, denique transiens in Legem Gratiæ & hactenus substantialiter perseuerans in Carmelitis absque interruptione vocatur Ordo Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, vel breuius Ordo Carmelitanus. Quatuor primi eius alumni fuerunt, Ionas propheta filius viduæ Sarephtanæ, S. Eliseus filius Saphat de Abelmeula, Michæas propheta filius Iemla, & Abdias propheta priùs dispensator domus regis Achab.

Ochozias filius Achab & Iezabel interfecto patri successit in regnum Israël in Samaria, anno decimo septimo Iosaphat regis Iuda, qui regnauit duobus annis, & fecit malum in conspectu Domini, & ambulauit in via patris sui & matris suæ, & in via Ieroboam filij Nabat qui peccare fecit Israël: seruiuit quoque Baal, & adorauit eum, & irritauit Dominum Deum Israël iuxta omnia quæ fecerat pater eius. Propterea tunc præuaricatus est Moab in Israël, & ipse Ochozias cecidit de cancellis cœnaculi sui in Samaria: Cumque de tam graui casu iaceret infirmus, misit nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron de successu infirmitatis suæ, quibus Dei monitu occurrit Elias, & funestam regi prænuntiat mortem ob huiusmodi impietatem: Quæ cum redeuntes regi denuntiassent, & ipse cognouisset ex signis Eliam nostrum huius comminationis authorem esse, tres successiuè misit ad eum duces quinquagenarios cum suis militibus; quorum duos priores vtpote superbos & arrogantes Propheta sanctus igne cœlesti consumpsit; tertium verò tanquam humilem excepit, & vsque ad domum regis comitatus, ipsi mortem intimauit: Vnde mortuus est iuxta sermonem Domini per Eliam.

Ioram ſucceſſit Ochoziæ fratri abſque filiis morienti, anno decimo octauo Ioſaphat regis Iuda, & duodecim annis regnauit, & fecit malum coram Domino, ſed non ſicut pater ſuus & mater, tulit enim ſtatuas Baal quas fecerat pater eius. Cumque Meſa rex Moab defeciſſet ab Iſraël, & nollet ei ſoluere tributum centum millium agnorum, & totidem arietum cum velleribus ſuis, Ioram rex Iſraël bellum ei denuntiat, & in auxilium vocat tam Ioſaphat regem Iuda, quàm regem Edom: Cumque ſimul procedentes deſertum Idumeæ pererrarent, nec aquam inuenirent, quam bibere poſſent, ſanctus propheta Eliſæus pro ipſis orans aquam impetrauit, & inſuper Moabitarum deſtructionem. Poſtea rex Syriæ Samariam obſedit, & tam arctè, vt penè omnes fame perirent: ſed iterùm Eliſæus ſuis meritis & precibus regi ſuccurrit, & maximam rerum omnium abundantiam in diem ſequentem prædixit, quæ fugientibus Syris Diuinitùs exterritis accidit. Verùm cum Ioram rex Iſraël ſimul cum Ochozia rege Iuda proceſſiſſet contra Hazaël regem Syriæ in Ramoth Galaad, vulneratus eſt, & ductus in Ieſrahel inuiſitur ab Ochozia: Tunc mandato Domini per puerum ab Eliſæo miſſum inungitur Iehu filius Ioſaphat filij Namſi in Ramoth Galaad rex Iſraël, qui ſtatim aſſumpto comitatu perrexit ad curiam, & obuium regem Ioram interficit. Tempore Ioram ſucceſſit raptus Eliæ noſtri in Paradiſum Terreſtrem Angelorum miniſterio ſub ſpecie currus & equorum igneorum, poſtquam Iordanem fluuium ſuæ melotis percuſſione diuiſum ſiccis pedibus cum Eliſeo diſcipulo pertranſiſſet: Elias fuit olim filius Sinagogæ, nunc eſt filius Eccleſiæ tā inſignis, quòd rari ſunt ſancti qui poſſint ei comparari; eſt enim Patriarcha fidei & ſtatus religioſi, Propheta mirabilis, Præcurſor electus ſecundi aduentus Chriſti, Apoſtolus nouiſſimorum temporum, Doctor eximius, primus inter homines virginitate conſpicuus; plurimarum actionum & paſſionum pro Deo excellentia ſublimis; ac tandem tot priuilegiorum, ac tam perfectæ ſimilitudinis cum Chriſto in vita, in morte triduana, in reſurrectione glorioſa, & in

ascensione admirabili in cœlum, fit gloria illustris, quòd sub Christo & Maria vix aliquid maius possit excogitari. Successit illi in regimine ordinis prophetici Sanctus Elisæus, de quo postea dicetur.

Iehu filius Iosaphat filij Namsi expresso Dei mandato rex Israël vngitur in exercitu ad Ramoth Galaad, per vnum de filiis prophetarum missum à Sancto Elisæo, cuius sermonibus in nomine Domini prolatis mandatum accipit destruendi domum Achab. Vnde statim nouus rex adoratur, & impediens ne quis aufugiens de exercitu tam triste nuntium Ioram regi deferret, ipse statim magno comitatu munitus proficiscitur in Iesrahel, quò perueniens, & obuium Ioram inueniens sagitta configit, & illo vulnere occidit, quem iussit proiici in agrum Naboth: Et persequens Ochoziam regem Iuda, qui cum Ioram venerat, percussit etiam illum, quem mortuum in Mageddo detulerunt in Ierusalem sepeliendum, vbi tunc regnum vsurpauit Athalia. Deinde Iehu Iesrahel ingressus vidit Iezabel reginam in fenestra ornatam, & statim iussit præcipitem dari, quæ pedibus equorum contrita periit, & à canibus deuoratur iuxta prophetiam Eliæ nostri. Postea iussit occidi septuaginta filios Achab in Samaria, & veniens in illam ciuitatem, inueniens fratres Ochoziæ regis Iuda præcepit viuos comprehendi, & numero quadraginta duos suspendi: Vlteriùs procedens inuenit Ionadab filium Rechab, discipulum Elisæi prophetæ, quem ad suum currum assumens testem esse voluit zeli sui contra domum Achab: Et ingressus ciuitatẽ percussit omnes residuos de domo Achab, & congregatos sacerdotes Baal ficto prætextu sacrificij percussit omnes gladio, statuam quoque Baal combussit, & euersum templum eius in latrinas conuertit. Verùm Iehu flagellum Dei contra domum Achab non sapit aliorum exemplo: non enim recessit à peccatis Ieroboã, qui peccare fecit Israël; Vnde Dominus contra Iehu iratus suscitauit Hazaël regem Syriæ, qui totam regionem vltra Iordanem Tribuum Ruben, Gad, & dimidiæ Tribus Manassis percussit. Postquam Iehu regnasset viginti & octo annis, mortuus est, & sepultus in Samaria.

Anno vigeſimo tertio Ioas filij Ochoziæ regis Iuda regnauit Ioachaz filius Iehu ſuper Iſraël in Samaria,& regnauit ſeptemdecim annis:Et fecit malum coram Domino,& ſecutus eſt peccata Ieroboam filij Nabat. Propterea Dominus contra Iſraël iratus,armauit in eum Hazaël & Benadad eius filium reges Syriæ, qui tanta percuſſit plaga exercitum Ioachaz, vt vix quinquaginta equites, & decem millia peditum cum decem curribus euaſerint. Verùm cum rex Iſraël deprecatus fuiſſet Dominum,obtinuit pacem ab hoſtibus ſuis.Sub hoc tempus miracula multa noſter propheta Eliſæus fecit. Mulieri viduæ pauperi multiplicauit oleum ad ſoluenda debita, & ad neceſſaria vitæ. Mulieri deuotæ Sunamitidi ſuæ hoſpiti precibus filium obtinuit,quem poſtea mortuum ſuſcitauit.Tempore famis amaram pulmenti coctionem immiſſa dulcorauit modica farina: nec multo poſt paucos panes multiplicauit,vt plurium neceſſitati ſufficerēt.Naaman principem militæ regis Syriæ mundauit à lepra, quam intulit Gieſi famulo ſuo in pœnam auariciæ ac ſimoniæ. Ferrum ſecuris ſupernatare fecit in Iordane.Incidias Syrorum manifeſtabat regis Iſraël, & inquirentes ſe milites cæcitate percuſſit. Samariam obſidione Syrorum liberauit, & prænuntiatam in ſequentem diem ciborum abundantiam exterritis & fugatis hoſtibus attulit. Ad ipſum poſtea redibimus.

Anno trigeſimo ſeptimo Ioas regis Iuda regnare cœpit in Iſraël Ioas filius Ioachaz,& ſedecim annis regnauit in Samaria; & fecit quod mal eſt in conſpectu Domini,non declinauit ab omnibus peccatis Ieroboã,ſed in ipſis ambulauit.Vſus eſt autem Dominus iſto rege impio, vt Amaſiam regem Iuda caſtigaret : ipſum enim deſtructo & diſſipato priùs exercitu cepit in Bethſames, & adduxit in Ieruſalem propriam ciuitatem regiam,quam auro & argento ſpoliauit,ac diripuit.Tunc ægrotauit Eliſæus propheta infirmitate qua mortuus eſt illum honoris cauſa viſitauit Ioas rex Iſraël.Cui ſanctus propheta triplicem prædixit victoriam contra Benadad filium Hazaëi regis Syriæ qua ciuitates Iſraël de manu eius recuperauit, quas Hazael eripuerat Ioachaz. Mortuo Eliſæo con-

tigit quòd aliqui defunctum deferentes in tumulum, latrunculos Moabitas tunc excurrentes videndo, proiecerunt cadauer ad sepulchrum Elisæi, quod tangens ossa Elisæi surrexit. Post hæc mortuus est Ioas rex Israël, & sepultus in Samaria cum aliis regibus.

Anno decimo quinto Amasiæ regis Iuda regnauit Ieroboam II. filius Ioas regis Israel, qui quadraginta & vno annis regnauit: Et fecit quod malum est coram Domino, non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filij Nabat. Ipse restituit terminum Israël ab introitu Emath vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israël, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth quæ est in Ophet: vidit enim Dominus afflictionem Israël amaram nimis, & quod consumpti essent vsque ad clausos carceres & extremos, & non esset qui auxiliaretur Israël. Et tunc nondum aduenerat tempus, quo destruendum erat regnum Israël: Propterea Ioas regem, licet malum, elegit liberatorem Israël, præsertim meritis & intercessione sancti Elisæi, qui tres victorias insignes contra Syriam ei prædixit in nomine Domini: Superato namque Syro restituit Israëlitico regno Damascum, & ab Emath vsque ad mare mortuum. Sub hoc rege Amos propheta de pastoribus Thecue loquutus est in nomine Domini de futura captiuitate Israëlitarum, specialiter enim contra regnum Israël missus est: Eius prophetia cœpit manifestari duobus annis ante magnum & horribilem terræ motum, qui successit anno 25. Oziæ regis Iuda & 40. Ieroboam regis Israël: ipse verò propheta in præmium suæ prædictionis occiditur; habetur enim in Martyrologio Romano die 31. Martij, quòd Amasias sacerdos frequenter eum plagis afflixit, & filius eius Ozias vecte per tempora transfixit; qui postea semiuiuus in patriam deuectus ibidem expirauit. Ad hac tempora reducitur Hesiodus vir insignis, de quo authores mentionem faciunt.

Anno trigesimo octauo Azariæ regis Iuda regnauit Zacharias filius Ieroboam, non immediatè post mortem patris, sed post interregnum duodecim annorum, quod authores attribuunt

attribuunt bellis ciuilibus concurrentium ad coronam. Tandem præualens Zacharias patri ſuccedit: facit quod malum eſt coram Domino, ſicut fecerant patres eius. Coniurauit autem contra eum Sellum filius Iabes, & poſt ſex menſes regni percuſſit eum palam ac interfecit, regnauitque pro eo: Et ita completus fuit ſermo Domini promittentis Iehu, quòd filij eius vſque ad quartam generationem ſederent ſuper thronum Iſraël. Hoc tempore Oſee propheta florebat, & conuerſioni Iſraëlis attendebat.

Anno trigeſimo nono anno Azariæ regis Iuda Sellum filius Iabes, occiſor Zachariæ regis, cœpit regnare in Samaria, & vno tantùm menſe regnauit: nam Manahen filius Gadi de Therſa venit in Samariam, & percuſſit Sellum, illoque mortuo regnum aſſumpſit.

Eodem igitur anno trigeſimo nono Azariæ regis Iuda, Manahen filius Gadi de Therſa regnare cœpit: Et quia ciuitates aliquæ tyrannidi eius reſiſtentes ſubeſſe nolebāt, Thapſam & terminos eius percuſſit, & omnes feminas prægnantes crudeliter ſcindens interfecit. Simili crudelitate regnauit decem annis in Samaria, fecitque quod erat malum coram Domino, non receſſit à peccatis Ieroboam filij Nabat cunctis diebus. Cum autem ſibi timeret ob tyrannicam crudelitatem, mille dedit talenta argenti Phul Aſſyriorum Imperatori in Palæſtinam venienti, vt eſſet ipſi in auxilium & firmaret regnum; hanc pecuniæ ſummam à potentibus & diuitibus exigens: quam cum recepiſſet Aſſyrius, in patriam receſſit.

Anno quinquageſimo Azariæ regis Iuda Phaceia filius Manahen regnare cœpit in Samaria ſuper Iſraël, & biennio tantùm regnauit. Fecit quod erat malum coram Domino, nec receſſit à peccatis Ieroboam filij Nabat: Vnde Deo permittente coniurauit aduerſùs eum Phacee filius Romeliæ, dux eius, & percuſſit eum in Samaria in turre domus regiæ, & cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum.

Anno quinquageſimo ſecundo Azariæ regis Iuda cœpit regnare Phacee filius Romeliæ ſuper Iſraël in Samaria, & viginti annis regnauit: Fecit quod erat malum coram Do-

mino. Vnde Diuina iam vrgente iustitia contra regnum Israël sic peruersum, venit contra eum Teglat-phalassar Imperator Assyriorum, qui Galilæa terram Galaad, & vniuersum Tribum Nephtali cepit, & captum populum transtulit in Assyrios: Et hæc est prima captiuitas Iudæorum, post acquisitam terræ promissæ possessionem. Osee verò filius Ela coniurauit, & tetendit insidias contra Phacee regem, ipsumque interficiens regnum Israël vsurpauit. Phacee rex Israël fœdus iniit cum Rasim rege Syriæ contra Achaz regem Iuda, quorum viribus attritum est regum Iuda: nam dicitur de Achaz, quòd tradidit eum Dominus Deus eius in manu regis Siriæ, qui percussit eum, magnamque prædam cepit de eius imperio, & abduxit ad Damascum. Deinde subditur: manibus quoque regis Israël traditus est, & percussus plaga grandi; occiditque Phacee filius Romeliæ de Iuda centum viginti millia in die vna, omnes viros bellatores. Cumque simul vniti Israëlitæ & Syri ad obsidionem ciuitatis Ierusalem conuenissent, Isaias propheta missus à Domino consolatur Achaz regem Iuda, suadetque vt imploret precibus ac muneribus auxilium imperatoris Assyriorum; qui venit, Damascum vastauit & occurrentem Rasim occidit: accessit etiam ad regnum Israël, vnde Phacee coactus est obsidionem Ierusalem soluere, vt suo succurreret regno; & tunc occisus fuit ab Osee filio Ela, sicut dictum est.

Anno duodecimo Achaz regis Iuda cœpit regnare Osee filius Ela in Samaria super Israël, & nouem annis regnauit. Fecit malum coram Domino, sed non sicut reges Israël qui fuerunt ante eum. Venit contra illum Salmanassar, & fecit tributarium: Verùm cum deprehendisset, quòd rebellare nitens misisset nuntios ad Sua regem Egypti, vt se liberum à tributis redderet, obsedit eum, & vinctum misit in carcerem, transtulitque populum in Assyrios, vt statim declarabitur.

CAPTIVITATES

CAPTIVITATES ISRAELITARVM, TAM REGNI ISRAEL, QVAM REGNI IVDA.

IN duplici capite præcedenti vidimus Israëlitas in duo regna diuisos, in regnum scilicet Iuda, & in regnum Israël. Regnum Israël omnes suos reges habuit malos & idololatras: Et quia regis ad exemplum totus componitur orbis, regnum ipsum semper fuit deprauatum; quamuis in eo fuerint semper viri singulares sanctissimi, præsertim Elias & Elisæus nostri fundatores, eorumque discipuli prophetæ ac filij prophetarum Carmelitæ primitiui. Regnum Iuda plures habuit reges bonos, aliquos etiam habuit malos: Vnde non fuit tanta, nec tam diuturna eius corruptio.

Cum igitur vtriusque regni completa fuisset malitia, adduxit Deus contra populum suum Imperatores Assyriorum & Chaldæorum, qui non solùm hæc regna vastarunt, & diripuerunt, sed etiam populum illorum in Assyriam & Chaldæam transtulerunt. Et quamuis huiusmodi translationum facta sit mentio: sigillatim tamen, & ordinatè de illis in præsenti capite disserendum est. Et quia captiuitas Israelitæ regni præcessit. Ideo de illa priùs in duplici statione dicendum est.

Imperator erat Assyriorum in Niniue Teglat-phalassar, cum regnaret in Israël Phacee filius Romeliæ, ad cuius impietatem puniendam Diuina dirigente prouidentia venit Assur, qui cepit Aion & Abel-domum, Maacha & Ianoë, Cedes & Asor, Galaad & Galilæam, & vniuersam terram Nephthali, & transtulit magnam partem capti populi in Assyrios: Idem Imperator post captam Damascum, transtulit habitatores eius in Cyrenem. Nihil amplius habemus in sacra scriptura de hac prima translatione: Cogitandum nobis reliquit, quanta fuerit Israëlitici regni desolatio, & quanta populorum in hoc exilio transmigrantium miseria & confusio.

Salmanassar

Salmanassar præcedentis imperatoris successor, venit contra Osee regem Israël filium Ela, sibique tributarium fecit. Verum cum rebellem audiuisset, Samariam cepit, regem carceri mancipauit; & peruagatus totum regnum, transtulit residuum Israël in Assyrios, posuitque eos in Hala & in Habot iuxta fluuium Gozan in ciuitatibus Medorum. Tunc simul translatus fuit sanctus iuuenis Tobias, cuius historia mirabilis hanc decorat captiuitatem: Erat ipse de Tribu & Ciuitate Nephthali quæ erat in superioribus Galilææ supra Naasson in sinistro habens ciuitatem Sephet. Ductus igitur Tobias in Assyrios pietatem & opera charitatis semper exercuit, quæ iunior in patria exercuerat; despectis enim aureis vitulis Ieroboam, diebus sanctis ibat in ciuitatem Ierusalem Dominum in templo adoraturus, & decimas ac primitiua sua fideliter oblaturus: sic in ciuitate Niniue constitutus legem obseruabat, abstinens à cibis gentilium, & instruens in timore Domini filium, quem ex vxore sua genuerat. Propter hæc pietatis officia Dominus illum Imperatori gratissimum reddidit, ita vt maxima libertate frueretur: sed mortuo Salmanassar, sub Imperatore Sennacherib cum suis tribulibus multa passus est; ipse tamen reliquos solabatur, pauperes alebat, & occisos sepeliebat Iudæos. Vt sanctum virum probaret Dominus, disposuit vt stercus hirundinis caderet in oculum eius, vnde cœcus statim effectus est, & vitam duxit laboriosam: sed tandem illum consolatur Dominus, dum missuro filium in Rages ciuitatem Medorum ad Gabelum, recuperandæ causa pecuniæ, destinauit Raphaëlem Archangelum comitem proficiscentis filij, quem in ripa Tygris ab immani pisce liberauit, matrimonio copulauit cum Sara Raguëlis filia, pulso ab ea dæmone, & ad patrem cum vxore ac multa dotis substantia reduxit, ipsumque senem Tobiam à cæcitate liberauit applicato super eius oculos prædicti piscis felle. Tandem hic senex venerabilis centum & duorum annorum, post prædictam Ni-

niuis destructionem & Ierusalem instaurationem, ac prænuntiatum Christi aduentum, spiritum Domino reddidit.

Quantùm ad captiuitatem regni Iuda, quæ captiuitati regni Israël successit, sciendum est in tres partes diuidi, quia sub tribus regibus completa est, & sub singulis eorum variæ fuerunt populi translationes, vt supra dictum est, & nunc amplius declarabitur ordinatè. Vera triplicis huius captiuitatis causa meritoria fuit idololatria regum & populi; sed apparens exteriùs causa fuit vnio regum Iuda cum rege Ægypti, & multiplex eorum rebellio ab Imperatore Babylonis. Mortuo Iosia rege Iuda, populi factione Ioachaz seu Sellum eius filius secundo genitus regnum vsurpauit: sed authoritate Nechao regis Ægypti deponitur, & vinctus catenis mittitur in Ægyptum, vbi captiuus moritur; & Eliacim frater eius primogenitus Iosiæ filius ab eo in regium thronum sublimatus, regnare cœpit sub nomine Ioakim. Propter hoc beneficium, gratitudinis causa Ioakim arctum & inuiolabile fœdus cum rege Ægypti contraxit, quod postea ruinæ & captiuitatis suæ causa fuit.

Tertius currebat annus regni Ioakim, cum Nabuchodonosor Babyloniorum princeps, adhuc viuente Nabolassar patre Imperatore, venit prima vice in Syriam cum exercitu potenti contra Nechao regem Ægypti, cum quo de regno totius Asiæ disputabat, & eum habens obuium ad Euphratem fluuium debellauit, & vsque Pelusium prosequutus totam subiugauit Syriam, & sic Ægyptium contriuit, vt deinceps de regni sui finibus egredi non præsumpserit: Tunc Nabuchodonosor rediens de Ægypto, & procedens contra Ioakim regis Ægypti confœderatum, imparatam Ierusalem obsidet, qua capta regem ipsum catenis vinctum duxit in Babylonem cum parte vasorum templi Domini, & multitudine captiuorum, in quorum numero fuit sanctus Daniël cum Sociis. Mortuo patri successit Nabuchodonosor in imperium Babyloniorum, qui captiuum Ioakim sub iureiurando

reiurando perpetuæ fidelitatis remisit in regnum deinceps tributarium: Cui propterea velut suo liberatori tribus annis seruiuit, impositum exoluens tributum. Verùm cum Ægyptij contra Babylonios exercitum pararent, deceptus Ioakim ab Ægyptiis aliàs confederatis, ac spe libertatis motus rebellauit contra Babylonium tributa negando. Vnde Nabuchodonosor quarto Imperij anno, & octauo regis Ioakim rediit contra Ægyptium quo non comparente cœpit obsidionem Tyri sub Tobalo eius rege, quæ tredecim annis perdurauit: cœpit quoque obsidionem regiæ Ierusalem, quam tamen diu continuare non poterat diuisis copiis; propterea fraude capiendam esse duxit. Et ita pacificum iurans ingressum illam obtinet; sed fractor iuramenti aduersùs regem perfidum, illum trucidat cum flore iuuentutis Ierosolymitanæ, corpusque eius extra muros proiici mandauit.

Post supplicium regis Ioakim, Nabuchodonosor Imperator substituit in regnum eius filium nomine Ioachin adhuc iuuenem octodecim annorum. Verùm post tres regni menses deponitur: Timuit enim Nabuchodonosor ne Ioachin siue Iechonias memor paternæ cædis hostibus suis, tam Tyriis quàm Ægyptiis adhæreret. Misit igitur Imperator partem exercitus ad obsidendam Ierusalem, & illuc etiam ipse accessit: obuiam illi processit Ioachin nullius in illum delicti conscius, simul cum matre & principibus; quem excipiens pacificè non ad pœnam, sed ad cautelam transtulit in Babylonem cum vxoribus, principibus, viris robustis, artificibus, ac vniuersis vasibus domus Domini: Hæc captiuitas fuit decem millium octingentorum triginta duorum.

Deposito rege Ioachin siue Iechonia, Nabuchodonosor constituit eius patruum, nomine Matthaniam filium Iosiæ regem in Ierusalem, imponens ei nomen Sedeciam: fœdus cum illo contrahit, tributum imponit, iuramentum fidelitatis exigit, & ad vrgendam Tyri obsidionem profectus est. Verùm rex Deo & imperatori perfidus, falsorum prophetarum

phetarum ſuaſionibus deceptus receſſit ab imperatore Babylonis: Propterea anno nono regni eius venit Nabuchodonoſor cum vniuerſo exercitu contra Ieruſalem: reſtitit in principio Sedecias obſtinatè, nolens Ieremiæ prophetæ credere, qui veniam & pacem regi promittebat, ſi venientem ſuſciperet Imperatorem, aliàs captiuitatem minabatur: ſed bienni ferè debilitatus obſidione, & ad vltimam neceſſitatem redactus, faciem Imperatoris formidans noctu cum aliis anfugit, ſed in fuga captus, & ad Imperatorem in Reblatha (quam dicunt poſtmodum dictam eſſe Antiochiam) tumul tuariè perductus, increpatur primò de perfidia, trucidantur coram eo filij ipſius, poſtea erutis oculis excæcatur ipſe, & cum alia parte populi ductus in Babylonem iuxta Ieremiæ prophetiam: ſed illam non videns, vt prædixerat Ezechiel (quæ duæ prophetiæ priùs credebantur contradictoriæ, ac proinde contemnebantur) catenis onuſtus in miſera vixit, & mortuus eſt captiuitate. Hic ceſſauit ſceptrum de Iuda, ſcilicet reges de illa Tribu, ex progenie Dauid deſcendentes: ſolùm finita captiuitate duces apparebunt vſque ad aduentum Chriſti Domini.

Hæc Iudæorum in Babylonem tranſlatio contigit anno decimo octauo imperij Nabuchodonoſor: Anno autem ſequenti, menſe quinto, die ſeptima menſis, miſſus ab Imperatore Babylonis Nabuzardan princeps exercitus venit in Ieruſalem, & ſuccendit domum Domini, & domum regis, & domos Ieruſalem: muros etiam Ieruſalē in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldæorum. Reliquam autem populi partem, & reliquum vulgus tranſtulit Nabuzardan princeps militiæ, cum omnibus vaſis aureis, argenteis, æreis templi & totius ciuitatis; & ſimul cum Saraia primo ſacerdote, Sophonia ſecundo, Sopher principe exercitus Iudaici, & aliis ſex nobilibus viris, quos obtulit Nabuchodonoſor in Reblatha, ad cuius imperium interficiuntur.

Populo autem, qui relictus erat in terra Iuda, Nabu-

donoſor Imperator præfecit Godoliam filium Ahic
filij Saphan,qui diſperſos congregans Iudæos hortaba
ad pacificam fidelitatem erga Babylonium Imperatore
Verùm menſe ſeptimo, Iſmahel filius Nathaniæ de ſem
ne regio ſecum aſſumptis decem viris venit in Maſpha,
Godoliam præfectum cum Iudæis ac Chaldæis ibidem r
pertis occidit:Quo caſu perterriti Iudæi, & formidan
Chaldæos fugerunt in Ægyptum. En miſerrimum ſtatu
tam regni Iudæorum, quàm regiæ ciuitatis Ieruſalem
quem Ieremias propheta Dei prouidentia relictus
ſolatium populi (ſicut Ezechiel fuit tranſlatus ad conſo
lationem captiuorum) deplorat in ſuis lamentationibu
dicens: *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo, facta*
quaſi vidua domina gentium, princeps prouinciarum facta
ſub tributo. Paulò poſt hic Sanctus Propheta lapidibu
obruitur in Ægypto à transfugis Iudæis, qui ſalutifer
eius correptiones ferre non poterant; honorificè tame
ſepelitur ab ipſis Ægyptiis, propter miracula quæ facie
bat: Quo mortuo diſcipulus eius Baruch perrexit in Ba
bylonem, vt captiuo prodeſſet populo,tranſiit autem p
Iudæam.

Poſt mortem Saraiæ fuit ſummus ſacerdos Ioſedech
lius eius in principio captiuitatis: Rex verò Sedecias
tam miſerabili ſorte gemens,breui nimia preſſus mœſt
tia moritur; honorificè tamen ſepelitur. Ioachin aute
poſt mortem Nabuchodonoſor Imperatoris,ab eius fil
ſucceſſore liberatur à carcere, & inter alios principes cu
riæ Babylonicæ ſublimatur, & aſſignatis reditibus copio
ſis menſæ imperatoris aſſidere ſolebat.

Finito Syriæ ac Palæſtinæ bello, captaque Tyro, Na
bucodonoſor bellum mouit contra Medos, Elamitas,Ar
menos, Perſas, & Hircanos: Ipſamque Niniuem deſtru
xiſſe traditur, vtpote Medis finitimam, ipſiſque ſæpius
adhærentem, cuius diuitias omnes in Imperialem ſuam
Babylonem detulit. In ipſa degens vidit ſomnium illud
ſtatuæ, quæ quatuor mundi monarchias præfigurabat,
iuxta

iuxta Danielis prophetæ expoſitionem. Tunc etiam auream illam erexit ſtatuam in campo Dura Babylonis, quam magno muſicalium inſtrumentorum apparatu voluit ab omnibus adorari: Cuius adorationi non acquieſcentes ſocij Danielis, Ananias, Azarias & Mizaël, mittuntur in fornacem ignis ardentis, vbi Diuinitùs ab igne præſeruati cantant Domino ſolemne illud *Benedicite*; quo motus miraculo Nabuchodonoſor, Deum Iudæorum omnipotentem confeſſus eſt, & voluit ab omnibus agnoſci; ipſoſque ſanctos iuuenés plurimùm ſublimauit, prouinciis præficiens gubernatores. Anno trigeſimo primo imperij Nabuchodonoſor regnare cœpit apud Medos Aſtyages, pater Darij & Mandanæ matris Cyri, de quibus infra dicetur. Hoc eodem anno Nabuchodonoſor exercitum miſit contra Ægyptios de nouo tumultuantes, quos facilè compeſcuit. In Babylone verò martyr occubuit Ezechiel propheta ſanctus, ſuper lapides tractus & attritus mandato iudicis impij filiorum Iſraël, eo quod de cultu idolorum ab ipſo corriperetur: qui ſepultus eſt in ſepulchro Sem & Arphaxad progenitorum eius. Anno trigeſimo quinto regni ſui Nabuchodonoſor myſticum habuit illud ſomnium de arbore, quæ ſtatum ipſius tam præſentem quàm futurum præfigurabat: præſentem, inquam, florentem ad inſtar illius arboris; futurum autem, per ſeptẽ annos infœlicem, ad quem iuxta conſilium Danielis bonis operibus, ac præſertim miſericordia in pauperes ſe pręparauit: ſequenti igitur anno Nabuchodonoſor in pœnam præteritæ ſuperbiæ, Diuina plectente iuſtitia, turbatur imaginatione, ſe feram credit, & vt talem ſe omnibus exhibet, fugiens conſpectum hominũ; ſonos horribiles, non vocem humanam edens; pronus in terram ſuper manus ſimul & pedes ambulans, ac ſimilia faciens, propter quæ dimiſſus in campos toto illo ſeptennio vitam brutalem duxit, huc illuc diſcurrens, & herbam agreſtem comedens: Tempore punitionis finito, rediit ad ſeipſum Nabuchodonoſor, vnde ſic de ſeipſo dicit, *Ego Nabuchodonoſor*

oculos meos ad cœlum leuaui,& sensus meus redditus est ...
& altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui
glorificaui; potestas eius potestas sempiterna, & regnum
in generationem & generationem & omnes habitatores
apud eum in nihilum reputatiti sunt; iuxta voluntatem
facit tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ
non est qui resistat manui eius, & dicat ei, quare fe...
Receptus igitur Nabuchodonosor in regnum author...
& prudentia Danielis, cultum veri Dei instituit, & p...
post moritur.

Mortuo Nabuchodonosor Imperatori successit in...
perium Eluimerodach eius filius, qui Ioachin siue Ie...
niam de carcere liberauit, vt dictum est: Cum vi...
tres annos imperasset, occiditur proditione cognat...
Niglisar nomine, qui regnum inuadens quatuor imp...
annis, suumque filium nomine Labosardac, siue Lab...
sarac successorem reliquit, qui suismet, seruis adeò fui...
uisus, vt ab illis primo Imperij anno trucidatus fu...
Anno sexto imperij Eluimerodach, apud Romanos T...
quinio Prisco indigna morte sublato successit Ser...
Tullius, qui quadraginta quatuor annis regnauit: Et...
num adeptus est opera Tanaquildis socrus suæ & coni...
Tarquinij Prisci, quæ fingens maritum regem percu...
à filiis Anci Marcij nondum mortuum, petit à con...
suum generum in administrationem regni substitui, ...
rex curaretur; Et sic pulsa factione Marcia, & vicaria ...
publicæ suscepta administratione Tullius ad regnum
viam parauit: qui rebellantes Hetruscos debellauit, ...
de illis triumphauit. Hoc tempote florebat Baby...
Salathiel filius regis Ioachin seu Iechoniæ, de quo d...
retur postea: Traditur etiam floruisse Æsopus fab...
rum author.

Anno captiuitatis Iudaicæ sexagesimo, Balthazar fi...
Eluimerodach vsurpatum recuperat imperium, & sep...
decim annis imperauit; qui suis delictis Diuinam co...
se vindictam suscitauit, propter quæ Daniel de eius c...
rec...

recessit. Tandem impietate maxima, qua in solemni conuiuio cum principibus, vxoribus & concubinis, vasibus sacris ex Ierusalem adductis ad potandum vsus est, Deum sic irritauit, vt statim in eodem conuiuio degenti sententiam mortis proximæ, suique ruinam imperij tribus vocabulis, in pariete tunc per apparentem manum scriptis intimauerit: Quæ solus Daniel à rege vocatus legere potuit, & propterea donatus purpura tertius dignitate declaratur: Hac ipsa nocte trucidatur Balthazar à Medis & Persis Babylonem obsessam capientibus, vt infra dicetur. Apud Medos regnabat Darius, & apud Persas Cyrus, de quibus statim agetur. Apud Romanos post regum quadraginta quatuor annorum occiditur Seruius Tullius à Lucio Tarquinio cognomine superbo, proprio genero, conspirante in eius necem sua filia Tullia. In morte Balthazaris completa fuit captiuitas Babylonica Iudæorum: Vnde de reditu ipsorum in patriam agetur, postquam secundam mundi monarchiam descripserimus.

SECVNDA MEDORVM, ATQVE PERSARVM MONARCHIA.

IN morte Balthazaris Babylonij Imperatoris desiit omninò Chaldæorum & Assyriorum monarchia, anno mundi iuxta probabiliorem sententiam 3516. postquam à Nemrod vsque ad Balthazarem durasset annis circiter mille quingentis. Tunc capta Babylone, & occiso Balthazare mundi monarchia fuit translata ad Medos & Persas, siue secunda Medorum atque Persarum monarchia cœpit sub Dario Medo & Cyro Persa, qui Chaldæos & Assyrios destruxerunt.

Vt rem ipsam à radice deducamus, recolendum est id quod supra diximus: Videlicet Arbacem Medum Præfectum militiæ Assyriorum, videndo Sardanapalum Imperatorem nimis effœminatum nere purpuram cum mulieribus, ab Assyriis per rebellionem defecisse, & pa-

triam ab eorum Imperio subtractam in regnum erexisse, ibique primum regnasse, cui octo reges super ùs suis in locis indicati successerunt, quorum vltimus fuit Astyages, ex quo nunc deducimus Darium Medum & Cyrum Persam, fundatores huius secundæ monarchiæ.

Astyages rex Medorum, qui Persis etiam dominabatur, vxorem duxit Atienam Crœsi Lydorum regis sororem: nullum genuit filium, sed vnicam filiam nomine Mandanam; ex cuius vtero per somnium vidit procedere vitem, quæ totam occuparet prouinciam. Hoc somnio perterritus Astyages suos consuluit ariolos, quorum consilio filiam Mandanam Cambysi cuidam Persæ mediocris viro conditionis vxorem tradidit, vt nascentes filij non alta saperent, nec contra seipsum insurgerent, quod prædicto somnio prænuntiari videbatur. Verùm nec sic quietus, cum filiæ primogenitus fuisset natus noster Cyrus, de quo nunc agimus, illum Harpago consiliorum suorum participi commisit occidendum: sed ille prudenter iudicans regnum Mandanæ cessurum Astyage mortuo, timuit filiolum occidere necis eius rationem aliquando redditurus, & fortè crudelitatem huiusmodi abhorrens. Vnde illum pastori tradidit exponendum, vel etiam secretò nutriendum. Cum in officio pastorum cresceret Cyrus, contigit quadam die quòd inter socios ludentes creatus fuerit rex pastorum: Cumque contumaces in obediendo acriùs cecidisset, ad Astyagem regem delata fuit quærela; qui vocans ad se Cyrum puerum, & de facto interrogans, aduertit ipsum immutato vultu & mirabili constantia respondentem se regis instar egisse: quo responso suspensus Astyages regium eius animum cognouit, & primò coniecturis, deindè Harpagi confessione suum ex Mandana filia nepotem esse didicit. Tunc Harpagum velut inobedientem puniuit, eius filium interficiens, ipsique comedendum inter escas offerens (quod tunc quidem nimis offensus pater dissimulauit) Deinde Cyrum nepotem in Persidem longius à Curia ablegauit.

Cum

Cum Cyrus in virum fortem & generosum euasisset, & tanquam regis nepos agnosceretur: Videnſque regem ipſum ſuum ex matre auum adoptaſſe Darium in ſui regni ſucceſſorum (cuius propterea dicitur pater, adoptione ſcilicet, non natura) grauiter indignatus, & ſecretis Harpagi mortem filij deſiderantis vlciſci litteris animatus, quibus Medos à rege defecturos, & ſeipſum cum exercitu regio ad eius partes acceſſurum promittebat; congregat Perſarum exercitum, quibus iucundiſſimam ac fœlicem ſpondet vitam abiecto Medorum iugo; ac procedit aduersùs Aſtyagem auum. Coacto quoque Medorum exercitu rex pergit obuiam Perſis; ſed Harpagi principis militiæ defectione à Perſis ſuperatur. Sed maiori congregato exercitu redit ad pugnam, in qua victus captuſque fuit mira Cyri & Harpagi generoſitate: Hic capto regi cædem ſui filij cœnamque feralem audacter exprobrauit. Victor Cyrus Aſtyagem auū, quamuis immeritum benigniùs tractat: nam quamuis regnum ademerit, eumque ad cautelam ſecum retinuerit; ad honorem tamen ipſum regem Medorum appellari conceſſit; imò etiam Dario eius filio adoptiuo, ſuoque proinde auunculo poſtea permiſit in Media regnare, ac ſanctum cum eo fœdus iniit, poſtquam vnicam eius filiam in maſtrimonium duxit, cui dedit pater Darius in dotem regnum Medorum; debitum proinde tam iure belli quàm iure pacis: Vnde impoſterum vnitis viribus & animis ad omnes proceſſerunt expeditiones. Priùs tamen Aſtyage adhuc viuente Cyrus Crœſum regem Lydorum ſuperauit, qui timens regno ſpoliari, ſicut ſpoliatum videbat Aſtiagem cognatum; ac ſimul volens ipſum de manibus Cyri liberare, cum Ariëna eius vxore ſuaque ſorore, poſt oraculorum conſultationem, & auxiliarium turmarum congregationem, contra Perſas armatus proceſſit, veniens in Cappadociam trajecto Halim fluuio. Pugnatur primùm æquo marte; ſed poſtea Cyrus ex improuiſo Sardes Lydorum regiam inuadens intra quatuor-

decim dies capit, ipſumque regem Crœſum poſt qui
decim annos regni viuum retinet: poſt victoriam vol
Cyrus nimium irritatus victum & compedibus vinct
Crœſum ſuper ſtruem lignorum cum quatuordecim a
viuum concremare. Cui impoſitus, ac ſtatim combure
dus cœpit ter ingemiſcendo clamare, Solon, Solon, S
lon: Quo audito, & interrogatus Crœſus cauſam hu
clamoris, reſpondit ſe aliàs à Solone didiciſſe, dum ei ſ
diuitias & regni gloriam oſtenderet, neminem ante o
tum dici poſſe beatum: propterea Cyrus inconſtanti
fortunæ reueritus alieno doctus exemplo, de flamm
eum eripi mandauit, & honorificè deinceps penes ſe h
buit, eius conſilio libenter vſus. Quem poſtea dic
mœrore periiſſe, cum ſe in vinculis ſæpiùs repetitis d
tentum videret, filium ſuum obſidem Cyro datum in ſ
conſpectu necatum contemplatus fuiſſet, & ſuam v
rem cæde filij deſperatam ſe præcipitem è muro ded
ſe: Hunc tamen viuum retinet Herodotus vſque ad te
pora Cambyſis filij Cyri.

Tunc currebát anni Olympiadis quinquageſimæ non
cum Cyrus vniuerſam penè Aſiam, & partem Græci
tam per ſe quàm per ſuos duces occupauit; & ſic auct
victoriis, ac omnibus terribilis effectus expedition
contra Babylonem curiam mundi imperialem aggre
tur. Aſſumpto igitur Dario Medorum rege, & congre
tis penè innumeris militum turmis, contra Balthazare
Chaldæorum imperatorem progreditur, Gyndem fl
uium apertis ex vtraque parte foſſis ſic diminuit in
ueo, vt facile traiici poſſet: Tandem perueniens ad co
ſpectum ciuitatis, & obuios vincens ac repellens Baby
nios, illam obſidet, & factis militum labore foſ
quàm maximis, alueum fluminis diminuit, ita vt per
dum poſſet ad vrbem penetrare (hac flumen Babylon
antiquæ dicitur eſſe Euphrates, nunc noua Babylon
Tygrim fluuium ſita eſt.) Cum foſſas iam paratas vid
Cyrus, & ſciuit Babylonios feſtum diem diis ſuis ce

bra

brare, choræis & conuiuiis occupatos, ipſa nocte fluminis aquas in apertas deriuat foſſas, & ſtatim ex improuiſo per vada traiicit exercitus,& per crepidinem aſcendens neminem inuenit reſiſtentem,ſed omnes ſecurè dormientes, apertis etiam æreis ſingulorum vicorum portis, quæ ad flumen ducebant. Et ita capta fuit anno mundi 3516. Babylon, poſt annum circiter obſidionis, multique Babyloniorum tunc fuerunt occiſi, & inter alios ipſe Balthazar in ipſo pugnæ tumultu. Redeunte die diripitur ciuitas, ſubuertuntur muri, & plures efficiuntur captiui: Maximè Daniel propheta, tunc authoritate & purpura clarus; qui Dario oblatus, & propter ſpiritum prophetiæ chariſſimus ipſi, cum illo proficiſcitur in Mediam, vbi æmulorum inuidia accuſatus quòd deos non coleret, mittitur in lacum leonum, velut inuito rege, qui lacum muniens ne quid à malignis fieret contra Danielem, incœnatus pernoctauit, & mane rediens cum Danielem ſaluum & intactum reperiſſet, ſecum eduxit, & accuſatores in lacum proiici mandauit, vbi ſtatim deuorati ſunt. Apud Macedonas octauo captiuitatis anno regnare cœperat Alcetas rex octauus, qui viginti nouem annis regnauit: Eique ſucceſſit Aminthas anno trigeſimo ſeptimo eiuſdem Iudaicæ captiuitatis anno, qui regnauit annis quinquaginta. Floruerunt his temporibus inter Iudæos Aggæus & Zacharias, necnon Eſdras prophetæ: Inter Gentiles verò Amalthea ſiue Cumea Sybilla in Campania, & Helleſpontina in agro Troiano, quæ de Chriſto vaticinans dixit; *Naſcetur Ieſus Chriſtus de caſta.*

Capta Babylone, & interfecto Balthazare, Darius & Cyrus ſecundam Medorum & Perſarum monarchiam ſimul inchoant, quam mortuo Dario poſt primum Imperij ſui annum ſolus Cyrus moderatur. Græci ſcriptores primum monarcham ponunt Cyrum, ob eximium animi valorem: Daniel autem ſacer ſcriptor teſtis oculatus ponit Darium; cui Cyrus & vt nepos, & vt gener, &

vt iunior reuerentiam exhibebat, velut auunculo, velut socero, ac velut seni venerabili sexaginta duorum annorum: Vtrique autem Daniel fuit charissimus. Mansit Cyrus aliquandiu Babylone, vt imperium recenter acquisitum firmaret. Darius autem in Mediam profectus est: quo post annum mortuo, Cyrus cum solus imperare cœpisset, videns se in Isaia propheta diu ante prænuntiatum mundi monarcham, & populi Iudaici liberatorem futurum, in signum animi grati primum libertatis eius decretum edidit, eumque ad patriam cum maximis honoribus & facultatibus remisit, vt paulò post dicetur. Tandem anno regni Persici trigesimo, & monarchiæ septimo bellum intulit Massagetis & Scythis, apud quos tunc regnabat Tamiris seu Temin regina: Primo certamine Cyrus victor extitit, occiso reginæ filio deletoque exercitu; sed paulò post regina cum residuo exercitus timorem fingens ad montes recessit, ad quorum angustias incautum allexit Cyrum, quem positis insidiis tam acriter adoritur, vt ipsum cum vniuerso exercitu deleuerit, nec vnus quidem euasit. Finito generali conflictu, iussit regina Cyri corpus inter alia diligenter inquiri; reperto iussit caput amputari, & in vtrem suorum sanguine plenum, velut in condignum superbiæ ac ferocitatis suæ tumulum immitti, dicens ei; *Sume Cyre sanguinem, quem semper sitisti*: seu; *Satia te sanguine, quem ita sitisti.*

Cambyses filius Cyri (quem Esdras etiam Assuërum vocat, communi fortè potestatis & honoris apud Persas nomine, quale fuit nomen Pharaonis apud Ægyptios, & nomen Cæsaris apud Romanos) patri successit: Hic non fauit Iudæis in Palæstinam remissis; Vnde contradicentibus Samaritanis eorum pietati, cessauit ædificatio templi. Moritur anno Imperij septimo: iussit fratrem occidi, sororem duxit vxorem, quam postea peremit, & similia crudelitatis opera fecit.

Smerdis Magus, audita Cambysis morte in Ægypto, simulat se fratrem eius, cui erat simillimus, & sic inuadit dolo

dolo & fraudibus imperium: sed his detectis, vix septem conseruat illud mensibus, & cognitus à Persis trucidatur.

Darius filius Histaspis ad imperium assumitur, filiam Cyri sororem Cambysis in matrimonium duxit. Eius anno primo Zorobabel de Ierusalem reuersus in Persidem, tã prosperè suæ gentis apud ipsummet Imperatorem negotia promouit, vt ab ipso patentes honorificas & plurima dona ad construendum Ierosolymis templum Domini obtinuerit, & in Iudæam iterum profectus opus absoluerit. Darius penè totius Asiæ imperio non contentus, plures fecit bellicas expeditiones, maximè contra Græcos; in quibus tamen parùm proficiens moritur anno imperij sui trigesimo quinto.

Xerxes filius Darij mortuo successit patri, cœptasque eius expeditiones promouit: Sed contra eosdem Græcos cum maximo decies & quinquies centenorum millium militum exercitu profectus, ab ipsis debellatur, victusque penè deleto exercitu recessit. De hoc dicit Cicero, quòd ambulauit in mari, & nauigauit in terra; quia in freto Thraciæ maximum pontem supra naues construxit, supra quem ambulãs exercitum in Europam transmisit; & montem Aton in Græcia aperuit, vt inde naues transirent. Fertur de ipso, quòd suum ingentem videns exercitum fleuerit, cogitans quòd post paucos annos nullus ex tanto militum numero viuus reperiretur. Moritur anno imperij sui vigesimo.

Artaxerxes filius Xerxis patri succedit in imperium. Hic in sacra scriptura dicitur Assuërus qui Esther duxit vxorem, & cuius imperium ab Indis vsque ad Æthiopiam pertingebat. Tertius est Iudæorum liberator (primus enim fuit Cyrus, secundus fuit Darius Histaspis filius:) Cuius authoritate Esdras propheta Rempublicam Iudæorum perfectè stabiliuit. Hic Artaxerxes dictus est longimanus, vel quia manus eius extensæ pertingebant ad genua, vel propter liberalitatem. Susan fuit eius curia, & moritur anno imperij sui quadragesimo.

Xerxes II. filius Artaxerxis patri successit in Im
rium, sed ad breue tempus; nam Sogdianus siue Secu
dianus Pharnacyam Eunuchum Imperatoris cubicul
rium sibi concilians, aditum obtinuit ad eius lectu
dum quodam die festo dormiret ebrius, vbi iacente
trucidauit quadragesimo quinto imperij anno.

Sogdianus imperio tyrannicè potitus Bagoraz
Eunuchum sibi iampridem infensum lapidibus obrui iu
sit. Quod opus crudelitatis coniunctum legitimi Imp
ratoris neci sic exercitui displicuit, vt multi deficien
ab illo ad Darium Nothum accesserint, à quo Sogdian
per fraudem captus, & in cineres conjectus interiit, p
sex menses imperij.

Darius Nothus, dictus etiam Ochus, Artaxerxis
Cosmatridene Babylonia filius illegitimus, prædict
exercitus auxilio sublimatur ad imperium, quod nouen
decim annis tenuit, Parysatidem propriam sororem, s
ex diuersa matre duxit vxorem, fœminam crudelem, cu
ius consilio Sogdianum oppressit. Ex ea duas suscep
proles, antequam ad imperium peruenisset, scilicet A
sacan dictum postea Artaxerxem Memnon, & Amistri
filiam: factus autem imperator genuit ex ea Cyrum mi
norem, & alios tredecim.

Artaxerxes II. cognomento Memnon siue Mnemon
id est memoratiuus, in imperio patri succedit. Ita deno
minatus est, quia tam fœlicis fuit memoriæ, vt singulo
rum immensi exercitus sui militum nomina retinere
Moritur quadragesimo imperij sui anno, postquam Da
rium primogenitum occidi iussit: illum collegam impe
creauerat ex indulgentia: sed malus filius longioris vit
patris pertæsus voluit de medio ipsum tollere: Quo
resciens pater, illum pœnæ talionis subiecit.

Artaxerxes III. cognomento Ochus, id est magnus
prædicti Artaxerxis filius patri succedit in imperium
mortuis iam tribus suis fratribus maioribus natu; pri
mogenito quidem mandato patris, vt dictum est; duo
bu

bus autem aliis propria eius malitia, nam vnum suis calumniis ad venenum compulit, alium verò procurauit interfici. Viginti sex annis imperauit.

Arses seu Arseas, filius Ochi natu minimus, patri sufficitur arbitrio Bagaos Eunuchi, qui quarto imperij anno trucidatur ab eodem Eunucho, proditore etiam patris sui Ochi.

Darius Arsami filius, dictus Codomanus, vltimus Persarum monarcha, fuit potentissimus, ditissimus & gloriosus: quippe qui supra centum viginti & octo prouincias in Asia maiori & minori, ac in Ægypto dominabatur. Sed Alexandri Magni fortunæ, quamuis generosissimus, resistere non potuit, vt dicetur infra: Vnde cuiusdam proditoris dolo occisus, secundam Medorum & Persarum monarchiam terminauit, postquam in quatuordecim imperatoribus ducentis triginta circiter annis perseuerasset, anno mundi 3724. imperij autem nono.

REDITVS IVDÆORVM IN PATRIAM DE CAPTIVITATE BABYLONICA.

Captiuos duxerat Dominus in Babybilonem filios Iuda per Nabuchodonosor Imperatorem, vt hac captiuitate prolixa, malisque illam concomitantibus eorum crimina, præsertim idololatriam purgaret. Contritis igitur & purgatis iam exulibus Iudæis, verè bonus & misericors Dominus fœlix nuntium proximæ libertatis viuentibus tunc prophetis, & maximè Danieli dedit: Cui aliud fœlicius reuelauit, scilicet Saluatoris Christi post septuaginta duas hebdomadas venturi, qui liberaturus erat populum suum de peccatis eorum. Expletis igitur septuaginta annis Iudaicæ captiuitatis, misit Dominus Iudæis liberatorem, Cyrum scilicet Persarum regem, quem in Isaia prædixerat capite 45. vbi habetur: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, &*

dorsa

dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & p tæ non claudentur: Ego ante te ibo, & gloriosos terræ h miliabo, portas æreas conteram, vectes ferreos confringa & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretoru vt scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, D Israël. Propter seruum meum Iacob, & Israël elect meum, & vocaui te nomine tuo; assimilaui te, & n cognouisti me: Ego Dominus, & non est amplius, ex me non est Deus; accinxi te, & non cognouisti me: sciant hi qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quoni absque me non est; Ego Dominus, & non est alter, forma lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malu Ego Dominus faciens omnia hæc.

Cyrus rex Persarum, capta Babylone & interfecto Ba thazare, factus mundi monarcha, tres præcipuas Impe ciuitates commoditati suæ habitationis elegit, vt pe petuo vere gauderet; septem hybernis mensibus maneb Babylone, tribus vernis mensibus Susan, & duobus æstiu Ecbatanę. Tunc Babylone degebat primo imperij sui ann Cum Diuino instinctu moti præcipui Iudæorum, insta tibus prophetis, ad eum accesserunt, & præsertim Dani apud eum celeberrimus, qui suæ gentis captiuitatem exordio deduxerunt, quanta mala spatio septuaginta a norum crudelitate Babyloniorum ei contigerint; propt quæ superbam ciuitatem illam imperio eius subiecera & regionem totam vastauerat, quæ cuncta successisse iu ta prophetiã Ieremiæ cap. 25. demonstrabant in scriptu antiquis & authenticis, quas ei legendas offerebant: autem loco citato ait Propheta, post captiuitatem septu ginta annorum Iudæis prænuntiatam; *Cumque impletisu rint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & sup gentem illam,* dicit Dominus, *iniquitatem eorum, & sup terram Caldæorum, & ponam illam in solitudines sempiterna* Denique significauerunt ei, qualiter eum Deus elegera populi sui liberatorem, & honorificum huius rei testimonium in prophetia Ieremiæ clarissimum exibuerunt.

Eius lectione Cyrus statim conuictus, & genti Iudæorum supra modum affectus, in anno primo imperij sui voluit Diuinæ voluntati obedire. Vnde traduxit vocem in omni ditione sua, etiam per scripturam dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persarum; *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa: Quis est in vobis de vniuerso populo eius? sit Deus illius cum ipso; ascendat in Ierusalem quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Israël, ipse est Deus qui est in Ierusalem. Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant, adiuuent eum viri de loco suo, argento & auro, & substantia & pecoribus, excepto quod voluntariè offerunt templo Dei, quod est in Ierusalem.*

Audito hoc imperiali mandato, surrexerunt principes patrum de Iuda & Beniamin, Sacerdotes quoque ac Leuitæ, & omnis cuius Deus suscitauit spiritum, vt ascenderent ad ædificandum templum Domini quod erat in Ierusalem: Quibus cooperabantur alij circumuicini oblatione multiplici tam in auro & argento, quàm in aliis. Et ipsemet imperator, vt aliis exemplum præberet, vltrò Iudæis tradidit omnia vasa templi, quæ Nabuchodonosor abstulerat de Ierusalem, diisque suis consecrauerat: Erant autem; Phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ millæ, Cultri viginti nouem, Scyphi aurei triginta, Scyphi argentei secundi quadringenti decem, vasa alia mille: omnia vasa aurea & argentea, quinque millia quadringenta, quæ tradidit Mithridates filius Gazabar Sessabasar principi Iuda, & hic secum detulit cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Ierusalem.

Profecturis autem Iudæis in Ierusalem, præficitur Zorobabel filius Salathiel filij Ioachin siue Iechoniæ regis vltimi Iuda, tanquam legitimus hæres regni: non tamen cum potestate regia sub nomine regio, sed sub nomine Ducis, iuxta prædictionem Iacob, qui sub mortem benedicens

benedicens filio suo Iuda, prænuntiauit de Tribu
Duces Regibus successuros: *Non auferetur sceptrum*
Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mit
dus est, & ipse erit expectatio gentium: Præcipui
consiliarij & ministri fuerunt Iosuë filius Iosedech su
mus sacerdos, Nehemias, Saraia, Rahelaia, Mardoch
Belsan, Mesphar, Beguai, Rehum, & Baana. Omnis
tem multitudo, quasi vnus, quadraginta duo millia t
centi sexaginta, exceptis seruis eorum & ancillis, q
erant septem millia trecenti triginta septem; & in ip
cantores atque cantatrices ducenti: Equi eorum sept
genti triginta sex, muli eorum ducenti quadraginta qui
que, Cameli eorum quadringenti triginta quinque, Asi
eorum sex millia septingenti viginti.

Paratis igitur omnibus ad iter necessariis, desert
Arabiã ingrediuntur, & in illa peragranda plusquam me
sem insumunt, vt tantæ multitudini omnis ætatis, & vtri
usque sexus incedenti pedibus consuleretur, licet paru
itineribus quindecim circiter milliariorum vno men
possit facilè pertransiri: nec dubium, quin multum pa
fuerint ex aquarum potabilium defectu, nam aquæ in r
gionis illius medio raræ sunt, & quæ in puteis reperiu
tur, vt plurimùm odore sulphuris vel bituminis sunt in
sipidæ. Peragrata tandem Arabia, & transacto Iorda
fluuio Terrã Promissionis ingrediuntur læti, ac Domin
gratias agentes. Zorobabel Dux eorum, ostensis paten
tibus Imperatoris Cyri à Gubernatore prouinciæ huma
niter suscipitur, & per ciuitates & oppida totam multi
tudinem aduenam filiorum Israël distribuit.

Iam aliquot dies fluxerant, ex quo in Palæstinam adue
nerant, quibus se à labore itineris recreauerant: Cum
veniente septimo mense, congregatus est populus quasi
vir vnus in Ierusalem: Et Iosuë filius Iosedec summus sa
cerdos, & Zorobabel filius Salathiel Dux populi cœpe
runt agere de templi constructione: Collocato tunc ibi
altari, cœperunt offerre sacrificia, & solemnitatem taber
naculorum

naculorum celebrauerunt; dederunt pecunias Latomis,ac Tyriis & Sydoniis,vt ligna Cedrina de Libano iuxta mandatum Cyri vſque Ioppen deferrent:Secundo autem poſt aduentum anno cœptam templi conſtructionem diligentia mirabili proſequebantur; Vnde citiùs quàm credi poterat perfectum vtcumque viderunt:ſed quantum diſtaret ab illo, quod Nabuchodonoſor iuſſerat comburi, teſtabantur lachrymæ eorum,qui videntes hoc templum nouū velut informe, & recordati veteris illius ſpecioſiſſimi à Salomone conſtructi quod viderant,conferendo inter ſe, nouiſſimum quaſi lutum deſpiciebant:aliunde tamen lætabantur, videntes templum Domino conſtructum.

Videntes Iudæorum inimici, quòd Cyrus Imperator fauebat Iudæis, vt opus cœptum impedirent, & fraudulenter ipſis tunc contrariarentur, accedunt à Zorobabel, volunt ad ſtructuram templi ſimul admitti,velut eiuſdem pietatis æmuli: quos tamen Zorobabel & Ioſuë recipere noluerunt; timentes ne poſtea dimidiam templi partem ſuis obtinerent idolis. Hi maligni, cum non poſſent vi templi conſtructionem impedire contra expreſſum Imperatoris mandatum ſibiipſis intimatum, ſecretis fraudibus id aſſequi tentant; nam ad Cyri miniſtros ſcribentes epiſtolas acres contra Iudæos, impedierunt ne ſumptus ab Imperatore taxatos ſubminiſtrarent, propter quod opus admodum lentè procedebat. Nec poterant Iudæi de miniſtris regiis & hoſtibus Samaritanis apud Cyrum Imperatorem conqueri, qui bellicis expeditionibus totus erat occupatus aduersùs Maſſagetas & Scytas, vbi victus periit, ſicut ſupra dictum eſt.

Tunc mortuo Imperatore Cyro,Iudæorum æmuli iam vi manifeſta cœptum opus impediunt, donec nouus Imperator Cambyſes informetur: Cui ſcribunt ipſi vrgentes epiſtolas, Iudæorum infidelitatem & multiplicem eorum contra prædeceſſores Aſſyrios Imperatores rebellionem:Quarum diſcuſſioni lentiùs incumbunt Imperatoris miniſtri forſan muneribus corrupti: Vnde ſuſpenditur

ditur opus, & moritur Imperator re infecta, post septimum imperij annum. Nec intrusus eiusdem Cambysis successor Smerdes potuit huius negotij habere notitiam, cum vix septem mensibus tyrannicum eius Imperium durauerit: Et sic in Iudæa languebant Iudæi, nec quicquam audebant aggredi.

Sublimatur tandem ad thronum imperialem Darius Hystaspis filius, quem Zorobabel in curia Cyri priùs agnouerat, & intimam cum illo contraxerat amicitiam: Vnde sperans sua præsentia plurimum apud imperatorem amicum negotium suæ gentis promoturum, inito consilio ad eum inuisendum accingit itineri: Et quia imperialis curia in Susam Persidis metropoli residebat, iter versus Babylonem arripit, ibique consultis aliis Iudæorum, & confirmato priori consilio, pergit in Curiam. Accedit Imperatorem de sua ad imperium promotione congratulaturus, excipitur humanissimè, & cum duobus sociis in palatio retinetur. Conuocauerat nouus Imperator generalia Comitia, tum vt ab omnibus regnis acceptaretur, tum vt ordinaret tributa: Viris principibus regnorum deputatis solemne conuiuium fecit, ad cuius maiorem festiuitatem, ingenij certamen institutum est, ac victori præmia maxima promittuntur. In certamine autem propositum fuit, quænam res esset omnium fortissima: Primus eorum, qui ad certamen fuerant admissi, dixit vinum esse fortissimum, quia subiicit & decipit omnes qui bibunt illud: Secundus dixit regem esse fortissimum, qui terræ, mari, hominibus aliisque omnibus dominatur: Tertius qui fuit Zorobabel, duobus prædictis mulierem prætulit quasi fortiorem, cum regi amanti dominetur; & absolutè veritatem dixit omnium rerum fortissimam, quæ sola conuincit omnem intellectum. Omnium calculis, ac præsertim imperatoris piè affecti Zorobabel victor declaratur: Vnde Darius ad eum conuersus iussit petere quod vellet. Hac vsus occasionne Zorobabel reuocat regi in memoriam votum ab ipso editum de restauranda Ierosolyma

Ierosolyma , cuius executionem tunc ab ipso postulat.
Non solùm imperator postulata concessit, sed etiam alia quàm plurima. Nam scripsit ad præfectos locorum, per quæ transituri erant Iudæi, vt cum opus esset, illis præsidia militaria traderent: scripsit ad Tyrios & Sydonios,vt Iudæis ligna cedrina ad constructionem ciuitatis & templi deferrent: Voluit ipsos esse à tributis immunes: Coëgit Idumæos de Iudææ finibus recedere: De suis redditibus decem talenta in sumptus sacrificiorum ordinauit: Decreuit omnes Iudæos quauis occasione seruos censeri liberos: sacras vestes & vasa templi omnia concessit.

Cum his muneribus & priuilegiis Zorobabel rediit ad suos in Babylonem, ex quibus plurimi comites itineris se iungunt, & post dies festos cum mille regiis equitibus proficiscuntur, & Ierosolymam perueniunt, cum Aggæus propheta Iudæos animabat ad ædificationem templi, promittens in nomine Domini, quòd maior esset futura gloria templi huius nouissimi quàm prioris templi Salomonis; quia scilicet ad illud intraret Christus Messias desideratus cunctis gentibus. Cum autem Gubernatores prouinciarum de noua restauratione ciuitatis & templi Ierusalem ad imperatorem Darium scripsissent, ipse vt concessam facultatem suam iustificaret, primam ab Imperatore Cyro datam iussit inquiri, quæ in regia Ecbatanis bibliotheca reperta fuit. Et sic imposterum omnes æmuli Iudæorum libere compulsi sunt, ipsi verò Iudæi sub suis Ducibus pacificè degebant in patria quam restaurabant.

Deinde sub imperio Artaxerxis Esdras propheta de Tribu Leui, doctor eximius in sacris litteris venit in Ierusalem cum multis comitibus, anno scilicet eius imperij septimo: facultatem enim generalem huiusmodi transmigrationis ab ipso in scriptis obtinuerat. Sic autem expressa fuit; Artaxerxes rex regum Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cœli doctissimo salutem: *A me decretum est, vt cuicunque placuerit in regno meo de populo Israël, & de sacerdotibus eius & de leuitis, ire in Ierusalem, tecum vadat; à*

facie enim regis & septem consiliariorum eius missus es, v
sites Iudæam & Ierusalem in lege Dei tui, quæ est in manu
& vt feras argentum & aurum, quod rex & consilia
eius sponte obtulerunt Deo Israël. In iisdem patentibus Im-
rator suis iniungit ministris in Syria & Palæstina deg-
tibus, vt petitam ab Esdra pecuniam vsque ad cent
talenta argenti subministrent, & ad victum similiter m-
nam frumenti vini & olei copiam.

His omnibus paratis, Esdras sub protectione Dei
aggreditur: Et vt simul comites itineris de filiis Is
congreget, quorum numerus fuit mille quingentorum
quatuordecim, venit ad fluuium qui decurrit ad Aha
vbi cuncti post tres dies congregati, simul læti sub Es
suo duce proficiscuntur; Cumque peruenissent in Ieru-
lem, quarta post aduentum die, munera Imperatoris A-
taxerxis aliorumque principum Persarum obtulerunt
templo Domini. Fuit autem Esdras propheta sanctus
sacerdos Dei de Tribu Leui, filius Saraiæ, descendens
Aaron per domum Eleezar: Creditur Esdras esse id-
ac Malachias vltimus minorum prophetarum.

Denique sub eodem Imperatore Artaxerxe Nehem
filius Helciæ, qui regius erat Pincerna, facultatem ob-
nuit ad tempus vt proficisceretur in Ierusalem: qui co-
mendatitias Imperatoris epistolas deferens, & secum h-
bens principes militum & equites: quorum comitatu
nit in Ierusalem, & non audentibus inimicis Iudæo-
vltra resistere, cœpit muros ciuitatis valde destructos
staurare; & sic Iudæorum Respublica sensim firmata re-
ruit, aduenientibus quotidie nouis hospitibus filiorum
raël, qui præcedentium occasione captiuitatum inter A-
syrios & Babylonios, inter Persas & Medos, aliosque
pulos fuerant dispersi.

DVCE

DVCES DE TRIBV IVDA, REGVM SVCCESSORES.

PRædixerat Iacob Patriarcha benedicens filios suos, de Tribu Iuda futuros reges & duces, qui non deficerent vsque ad Messiæ promissi aduentum: dixerat enim; *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Vidimus supra sceptrum ablatum de Iuda, quando Sedecias rex vltimus in authoritate regnandi, à Nabuchodonosor Imperatore excæcatus, occisis eius filiis, captiuus in Babylonem ductus est, vbi mœrore confectus breui moritur. Regnauerat ante ipsum Ioachin seu Iechonias filius Ioakim fratris natu maioris prædicti Sedeciæ, qui translatus in Babylonem tempore Nabuchodonosor detinetur in carcere; sed sub imperio Eluimerodach sublimatus ad pristinam honoris dignitatem, velut rex agnoscitur: ipsoque mortuo in Babylone dignitas regia, & re & nomine defecit inter Iudæos.

Genuit Ioachin seu Iechonias filium nomine Salathiel, qui mortuo patri quadragesimo primo regni eius anno, & quinto Imperij Eluimerodach, successit vt legitimus eius hæres; non quidem in regnum, quod à Babyloniis possidebatur; sed in omnia eius iura: Vnde à reliquis Iudæis agnoscitur quasi primus princeps sanguinis; Et fortè præpositus eis fuerat ab Imperatore tanquam Dux, ad diiudicandas inter eos domesticas lites. Mortuus est Salathiel tempore captiuitatis: sub qua retulimus quicquid eius tempore contigit.

Post mortem Salathiel, acceptus fuit vt princeps Iudæorum Zorobabel eius filius. Qui primò sub Imperatore Cyro, deinde sub Dario designatus fuit Dux eorum in Iudæam transmigrantium: cuius ducatus seu principatus vsque ad quinquagesimum primum annum perdurauit; quo tempore in ædificando templo Domini, re-

ſtauranda ciuitate Ieruſalem, aliis vrbibus Iudææ reparandis, ac inſtituenda noua Republica ſtrenuè laborauit. Toto eius tempore fuit ſummus pontifex Ioſuë ſiue Ieſus filius Ioſedec. Tunc apud Perſas erat Imperator Cyrus, qui quarto ducatus Zorobabel anno Lydos rebelles iterum ſubiugauit, & armis abdicatis ad artes mechanicas exercendas condemnauit; & poſtmodum in expeditione contra Maſſagetas miſerrimè periit: Cui ſucceſſit Cambyſes filius valdè crudelis, qui ſepulchro patris hoc Epitaphium iuſſit affigi; *O homo, ego Cyrus ſum, qui Perſis imperaui, & rex Aſiæ fui, ne igitur mihi monumentum inuideas*: Cambyſes duas habuit expeditiones bellicas, vnam contra Ægyptios, alteram contra Æthiopes, & in vtraque pugnauit infœliciter,&penè inſanus moritur in Ægypto: cui Smerdis Magus ſuccedit, ſimulans ſe Cambyſis fratrem, ſed poſt ſeptem menſes deponitur: Poſtremò Darius aſſumitur; qui contra Rebelles Babylonios procedens, eos de nouo ſubiicit vrbe capta; mouit etiam bellum contra Scythas, contra quos nihil memorabile fecit, totam tamen Græciam in illa expeditione ſubiugauit, quamuis variis eius prouinciis poſtea rebellantibus, diuerſo marte pugnauerit. Apud Romanos Lucius Tarquinius cognomento ſuperbus Seruium Tullium regem & ſocerum ſuum regno & vita priuat ſuaſu Tulliæ coniugis ſuæ, Tullijque filiæ; Vnde occiſo rege regnum inuadit, quod tyrannicè gubernat, multis ex magnatibus & diuitibus occiſis, qui ſuperbiæ eius & crudelitati reſiſtere poterant; Latinos iterum ſubiicit, Sabinos iterum rebellantes debellat, Ardeates armis impugnat: Verùm cum Romani ſummum eius ſuperbiam & tyrannidem iam ferre non poſſent, maximè propter adulterium Sexti Tarquinij eius filij perpetratum in Lucretiam Tarquinij Collatini coniugem, ad quod ipſa metu conſenſerat, & propter quod ſeipſum gladio peremit: Vnde commoto populo rex expellitur, nec vnquam poſtea vel arte, vel fraude, vel vi potuit redire; Et

ſic

ſic regnum in Rempublicam commutatur, creatis impoſterum Conſulibus ad eius adminiſtrationem. Sub hoc tempus mortui ſunt Daniel cum eſſet centum & decem annorum, Aggæus & Zacharias prophetæ. Floruerunt Pindarus & Theogonus poëtæ Græci, Xenophanes Philoſophus, Sapphos Lesbia poëtrix, cui ſororem aſſignant Rhodopen ſpecioſam meretricem, quæ ſuo quæſtu pyramidem apud Memphim laudatiſſimam extrui fecit.

Cum cœpit Iudæorum Reſpublica ſub protectione Darij toto imperij tempore continuata florere, Zorobabel Dux eodem prorſus anno quo Darius Imperator moritur. Zorobabeli ſucceſſit in ducatu Reſa Meſulam filius: de quo, ſicut & de eius ſucceſſoribus pauca dicuntur, imò quidam Authores omninò prætermittunt; ſolùm enim in reparandis vrbibus & oppidis Palæſtinæ deſtructis intenti fuerunt. Hic quadraginta ſex annos gubernauit populum: Tunc fuit ſummus pontifex Ioacim ſeu Ioachim filius Ioſue vel Ieſu, qui viginti duobus annis pontificatum tenuit, & ſcripſit hiſtoriam Iudith, quamuis multò ante ſucceſſiſſet, vt docent Authores, qui eam referunt ad tempora Merodrach Imperatoris Babyloniorum, dicti etiam Nabuchodonoſor: Cui ſucceſſit Eliaſib in ſummo pontificatu. Apud Perſas Xerxes Dario patri ſucceſſit in imperium, & in pietatem erga Iudæos: duas habuit expeditiones bellicas, vnam contra Ægyptios qua eos fœliciter domuit, alteram contra Græcos in qua pugnauit infœliciter, victuſque receſſit exercitu penè deleto, & claſſe diſſipata tempeſtatibus & Themiſtoclis arte. Apud Romanos, excluſis iam regibus, creantur impoſterum quotannis duo Conſules, qui Rempublicam cum Patriciorum Senatu gubernarent, eorum autem creatio fiebat Kalendis Maij, quod is eſſet vrbis conditæ dies; Duo autem primi Conſules fuerunt L. Iunius Brutus & L. Tarquinius Collatinus: Conſulibus ad res bellicas duo miniſtri adiunguntur, Dictator

scilicet velut Imperator exercitus, & Magister equitum. Tunc enim vndique bella Romanos vrgebãt, tum Tarquiniorum regnum repetentium, tum Etruscorũ, tum Sabynorum, aliorumque populorum, in quibus varij fuerunt euentus Romanis, nunc prosperi, nunc sinistri: Sub hoc tempus Romæ Capitolium absoluitur, Pompilia Vestalis polluta libidine per forum traducta in specu subterraneo viua fuit defossa; pestis autem sæuiit ob Vrbiniam Vestalem corruptam & sacra impurè tractantẽ. Floruerunt quoque Euripides poëta, Epicharmus item poëta qui docuit Athenis, Echilus etiam poëta, Sophocles quoque: Floruerunt etiam insignes philosophi, vt Democritus Abderites, Heraclitus cognomento Asianus, Themistocles Atheniẽsis, Aristides item Atheniensis, Diagoras cognominatus Atheos quasi negans Deum: Floruerunt denique Zeusis Heracleotes, & Parrasius Ephesius, pictores eximij: Et similiter duces inclyti, vt Fabij & Coriolanus inter Romanos, Leonida inter Spartiatas, & Pausanias inter Græcos.

Post Resa Mesulam successit in Ducatu Iudæorum Ioannes eius filius, qui quadraginta annis illum tenuit: Cuius anno vigesimo sexto Ioiada quem alij Iudam vocant summum obtinuit pontificatum post mortem Eliasib patris sui. Apud Persas post Xerxem imperare cœpit Artaxerxes eius filius, qui quadraginta annis imperauit: hic est Assuerus ille, sponsus Esther, in cuius historia describitur eius magnificentia, conuiuium illud solemne, repudiatio Vasthi, desponsatio Esther, condemnatio Iudæorum ex malitia Aman, ac tandem eorum libertas cum suspendio Aman: misit Esdram in Ierusalem cum magno Iudæorum comitatu, ad restaurationem patriæ, qui authoritate imperiali Ioannem Ducem plurimum adiuuit: Artaxerxes expeditionem aduersùs Ægyptios Græcis adiutos potentissimam instituit, qua illos debellauit; duo Eunuchi coniurarunt in imperatorem, sed eorum coniuratio per Mardocheum patruum Esther

reginæ

reginæ delecta fuit: Imperator Nehemiam quoque misit in Iudæam, qui ciuitatem Ierusalem extructis muris reparauit: moritur tandē Artaxerxes. Apud Romanos anno tertio Artaxerxis imperatoris acerrima pestis deſæuiit, quę præter magnam populi multitudinē, ipsos consules cum quarta parte Senatus deleuit, cuius mortalitatis occasione Volsci & Æqui bellum Romanis intulerunt, sed vincuntur: post tres annos maior desæuiit Romę pestis, quæ dimidiam partem Ciuium, & totam infimæ plebis multitudinem absumit; nec defuerunt bella cum circunstantibus populis continua, quorum Dominium vsurpare Romani conabantur; nec etiam intestinæ defuerunt seditiones, inter plebæos & patritios, plebæi namque vnum duorum consulum ex suis creari postulabant, quibus restiterunt patricij, sed ad aliqualem satisfactionem Tribunum plebis creauerunt, creauerunt etiam Tribunos militum: Duodecimo postea Artaxerxis anno consulibus abrogatis creantur decem viri, qui Rempublicam gubernarent, quorum tamen institutionem diu durauit. Apud Græcos, præter bellum à Persis illatum, multa fuerunt inter prouincias bella ciuilia, quin imò ipsi Siculis bellum intulerunt. Floruerunt hoc tempore insignes viri: Inter Philosophos quidem; Anaxagoras in Clazomeno Asiæ oppido, qui se natum dicebat ad contemplandum solē cæteraque cœli sydera, de quibus scripsit, cœlumque suam esse patriam dicebat, veneno peremptus dicitur ab Atheniensibus, quia solem vocabat lapidem ignitum, quem illi pro Deo colebant; Empedocles Atheniensis, qui Diuinam considerans immensitatem, dicebat Deum esse sphæram, cuius centrum est vbique, & circumferentia nusquam; Parmenides Zenonis præceptor Atheniensis, qui contemplationis amore fugiens homines delituit in rupe montis Caucasi, vbi dicitur Logicam adinuenisse; Melisius ex Samo insula, nominatus apud Aristotelem; Gorgias Siculus Empedoclis discipulus; Zeno Cithæus; Ac tandem Socrates Atheniensis, Achelai discipulus & magister Platonis, omnium Philosophorum sapientissimus, qui pluralitatem deorum negans damnatur morte pe-

rimendus veneno, in cuius acceptatione mirabilem ostendit constantiam, & breui moriturus dixisse traditur, *Dubius vixi, dubius morior, nescio quò vadam. Ens entium miserere mei*: Inter Historicos, Herodotus Græcus, & Tucidides Atheniensis: Inter Poëtas, Cratinus Atheniensis, Plato quidam Comediarum scriptor, & Prothagoras: Inter Medicos. Hippocrates eorum princeps: Et tandem inter Statuarios, Phidias nominatissimus.

Post Ioannem succedit in officio Ducis Iudas Hyrcanus, & illud obtinet quatuordecim annis. Apud Persas Artaxerxi mortuo successit in imperium Xerxes II. eius filius, quem breui occidit Sogdianus: Et hic paulò post à Dario Notho per fraudem captus interimitur: Vnde ipse Darius ad imperium sublimatur, quod nouendecim annis tenuit. Apud Romanos continuatis bellis variæ succedūt depredationes; & in maximum discrimen inciderunt; nam mancipia decreuerant ciues subiugare, vnde communi coniuratione decreuerant ignem vrbi multis in locis admouere, vt sic concurrentibus ad eius extinctionem ciuibus Capitolium impetu facto caperēt, sed delecta coniuratione Romani fœliciter liberantur. Apud Græcos inter Argiuos, Lacedemonas & Athenienses mutua sæuiunt bella, ipsique Athenienses Siculis bellum inferunt. Floruerunt tunc Alcybiades inuictus Dux Atheniensium, & Philosophus clarissimus. Eudoxius Gnidius, Astrologus, Geometra, Medicus ac Legislator clarissimus. Anno decimo quinto imperij Darij regnare cœpit apud Macedonas Horestes tertius decimus Macedonum rex; Cui post tres annos successit Archelaus rex quartus decimus, & regnat annis nouem. Anno autem decimo septimo Dionysius Syracusanus suam cœpit exercere tyrannidem, quam nouem annis exercuit.

Postea succedunt in Ducatus dignitate Ioseph, qui septem annis gubernat: Semei qui gubernat vndecim: Mathathias cognomento Helli, qui duodecim: Et Moath, qui præest nouem. Apud Persas hoc tempore imperabat Artaxerxes II. cognomento Memnon, qui Cyrum fratrem rebellioni

accusatum

accuſatum occidere voluit, ſed poſtea Pariſatis matris precibus liberum dimiſit: ſed perfidus frater memor carceris, immemor indulgentiæ, maximum aduersùs imperatorem congregat exercitum, vbi Xenophon & Clearchus duces numerati ſunt, & plurimæ Græcorum turmę: ſed cũ ad Euphratem fluuium peruenit versùs Babylonem tendens, obuium habet imperialem exercitum: vtrimque dimicatur acriter, ipſe Cyrus imperatorem vulnerat in pectore, ſed vulneratus ipſe ad oculum interficitur: Tiſſaphernes Dux imperatorij exercitus bellum contra Græcos auxiliatores Cyri proſequitur, tum propter iniuriam Imperatori factam, tum quia ſibi nolebant obedire, ſub cuius gubernatione ora Græciæ maritima fuerat poſita poſt mortem Cyri; ſed ab Ageſilao victus ad Pactolum fluuium Sardibus vicinum, propter deſidiam iubetur obtruncari: Tandem Artaxerxes poſt multas expeditiones, etiam maritimas contra Cyprios & Ægyptios, poſt necem ſui primogeniti in pœnam parricidij intentati, moritur quadrageſimo Imperij anno. Apud Romanos continuantur bella cum vicinis populis, qui dominationi eorum reſiſtebant, & ipſi ſemper magis ampliare procurabant: hoc tempore mouerunt arma contra Præneſtinos & Cluſienſes Etruriæ; ſed eorum res aduenientibus Gallis plurimum turbantur: Gallis præerat Brennus, qui Romam versùs tendens, ad confluentem Alliæ & Tyberis locum Romanos inuenit obuios, quos in conflictu ſuperauit, deinde cunctanter ad Vrbem accedens inſidiarum timore, caſtra poſuit ad Anienem fluuium, vbi confuſionem Romanorum audiens, vrbem aggreditur, & nemine reſiſtente confeſtim ingreditur, quam diripit & ex parte incendit; arcem Capitolij obſidet, & noctu tentat inuadere, ſed Anſerum clamore M. Manlius excitatus irritum facit eius conatum, & cum auxiliaribus militum turmis adueniens Camillus Dictator vrbem liberat, & recedentes Gallos deleuit. Apud Græcos continua ſæuiebant bella; cum enim eſſent multi principatus, ac plures Reſpublicæ, quilibet pro ſua conſeruatione contra inuadentes pugnabat; hoc maximè tempore contra Thebanos cæteri conuenerunt, quia

consultabant assiduè de comparando Græciæ totius imperio; legationes etiam contra eos ad Imperatorem Persarum miserunt, vt eius authoritate & potentia cessaret aut compesceretur eorum ambitio. Quarto Artaxerxis anno apud Macedonas regnare cœpit Amynthas rex decimus quintus, & vno tantùm anno regnauit; Cui succedit Pausania frater, & vno regnat anno; post quem restituitur Amynthas, & regnat sex annis; sed hoc iterum expulso subintrat Argeus, qui regnat annis duobus; ac tandem restitutus Amynthas nouemdecim annis regnauit. Apud Siculos Dionysius Dionysij tyranni filius trigesimo octauo Artaxerxis anno Syracusanum assumit regnum, sed propter tyrannidem & turpitudinem de regno pulsus Corinthi pueros docere compellitur. Erat tunc Ionathas summus sacerdos, qui quadraginta annis in Pontificatu vixit, & plurimi floruerunt illustres viri: Inter Philosophos; Isocrates Græcus, auditor Gorgiæ, Xenophon Atheniensis Socratis discipulus, & in bello Dux insignis; Archita Tarentinus, Philosophus Pythagoricus; Diuinus Plato, qui primò Socratem, deinde Cratylum & Hermogenem magistros habuit, imò & prophetas Iudæorum audiuisse traditur, & confirmatur ex eo quòd testante S. Augustino libro 10 de Ciuitate Dei cap. 2. S. Ioannis Euangelium, ab in principio vsque ad illud, & tenebræ eum non comprehenderunt, in eius libris inueniatur, Timeum scripsit de rerum creatione, Ad Parmenidem de rerum principiis, Ad Phedronem discipulum de immortalitate animæ, De Legibus, De Republica, &c. Eius paternum genus fuit à Codro rege, maternum autem à Solone Philosopho, moritur octuaginta & vnius anni, in cuius postea sepulchro reperta fuit ad eius pectus aurea lamina, in qua scriptum erat, *Credo in Christum nasciturum de Virgine, passurum pro humano genere, & tertia die resurrecturum*; Item Anthisthenes Atheniensis; Aristippus Cyrenæus, Socratis discipulus; Epicurus, corruptæ philosophorum sextæ author, cuius primi discipuli fuerunt Polystratus & Ippodides vno die nati, eodemque die mortui; Speusippus, Platonis ex sorore nepos; Et Ermias Asiaticus, qui

qui prius Platonis discipulus, deinde potens effectus Aristotelem vocauit, cui neptem suam ex fratre tradidit vxorem: Inter Duces autem, tam Romanos quàm Græcos, eximij quamplures inueniuntur, quos in decursu historiæ nominauimus; Et insuper Cymon Atheniensis, & Timoleon Corinthius.

Post prædictos Duces Iudæorum, succedunt Nanges, qui decem annis gubernat: Helli, qui octo; Nahum, qui septem. Quorum tempore fuit summus Sacerdos in Ierusalem Iaddus Ionathæ prædecessoris filius, qui quadraginta annis pontificatum tenuit, & Alexandrum vidit Imperatorem. Apud Persas regnabat Artaxerxes III. cognomento Ochus, id est magnus, prædecessoris filius, qui propria malitia duos fratres natu maiores de medio sustulit, aliosque plures factus imperator occidit: Eius tyrannidem, aut crudelitatem timentes populi ab imperio Persarum defecerunt, præsertim Asiæ minoris, Græciæ, Phœnicis, Syriæ, & Ægypti: Et omninò corruisset monarchia, nisi proditores ipsi suæ vtilitati attendentes seipsos prodidissent: In his tumultibus sedandis reliquum Imperij Artaxerxes impendit, qui veneno peremptus dicitur à Bagaos Eunucho, concurrente Medico. Apud Romanos bella vigebant, & cum Gallis aggressoribus, & cum finitimis populis: Galli quidem ad pontem Anienis via Salaria castra posuerant, ad quos Dictator T. Quintius Pœnus cum exercitu perrexit, & in citeriore pontis parte stetit, vbi cum T. Manlius Gallum audacem & procerum in singulari certamine necasset, reliquos inde in agrum Tyburtinum recessisse traditur, & vlteriùs in Campaniam commigrasse. Romani bella mouent contra Faliscos, contra Tyburtinos, Priuernates, Veliternos, Samnites, & alios, quos vt plurimum debellant, & ipsam Campaniam deditione accipiunt. Anno quinto Artaxerxis Ochi regnare cœpit apud Macedonas Philippus Amyntæ filius, frater Perdiceæ, & pater Alexandri Magni regnare cœpit, in principio quidem quasi tutor iunioris regis filij fratris: hic generositate animi, & etiam industria mirabili maximam

Græciæ

Græciæ partem ſuo regno ſubiecit, plura promittens quàm concedens. Tunc bellum ſacrum decennale ſæuiit inter Græcos & Phocenſes: hi ab Amphictyonum Senatu totius Græciæ generali ad Thermopylas ad ingentem ſummam pecuniæ ſoluendam damnati, Delphicum templum ditiſſimum Duce Philomelo diripuerunt, ad cuius ſacrilegij vltionem bellum hoc titulo ſacrum Græci contra Phocenſes mouerunt: Tunc Phocenſibus Onomarchus præerat, quo deinde mortuo Phrayllus eius frater ſuccedit, qui contra Thebanos in Bœotium progreſſus tabe lenta conſumitur; vnde poſtea Phocenſes Philippo regi ſe dedunt. Tunc regnabat in Ægypto Tachos, qui Achoris veſtigia ſecutus defecerat ab Imperatore Perſarum, ſed paulò poſt rediit, vt poſſet amiſſum proditione Proregis regnum recuperare. Tunc cœpiſſe traditur regnum Cariæ in Aſia minori ad mare declinans propè Rhodum inſulam, cuius regia fuit vrbs Halicarnaſſus: rex primus fuit Hechatonius, qui tres habuit filios, & duas filias; filij fuerunt Mauſoleus, Idreus & Pyxaclarus; filiæ verò Arthemiſia & Ada: Arthemiſia maior Mauſoleo fratri nupſit, & cum eo poſtea regnauit ſic autem amauit, vt ei mortuo magnificentiſſimum extruxerit ſepulchrum, quod inter ſeptem mundi miracula numeratur. Floruerunt hoc tempore inſignes viri: Inter duces, Epaminondas Thebanus, Torquatus, M. Pompilius, & M. Valerius Coruinus Romani; Inter Oratores, Demoſthenes Græcus, & Herina Poëtrix; Inter Philoſophos, primus ac facilè princeps omnium Ariſtoteles Stagyrites, Socratis & Platonis diſcipulus, & Alexandri Magni præceptor, ſatis operibus ſuis laudatus; Dion Syracuſanus, Platonis dilectus diſcipulus; Carnaides Diogenis auditor; Eſchines Athenienſis, Xenophilus Calcedonenſis, Phædron Elidenſis, & Xenocrates Calcedonenſis. Vixit infœlix Heroſtratus Græcus vilis & ſceleſtus, qui templum Dianæ Epheſinæ ſuccendit, ea ſolùm ratione vt homines in futuris ſæculis de ipſo loquerentur.

Dux fuit apud Iudæos, poſt mortem Nahum, Amos co-

cognomento Sirach, qui quatuordecim gubernat annis. Apud Persas Artaxerxi Ocho mortuo succedit filius Arses, seu Arseas, qui sua imprudentia breui cum filiis necatur: Cum enim minus intentans declarasset se Bagaos Eunuchum patris sui interfectorem occisurum, occiditur ipse cum filiis ab eodem Eunucho veneni potione, cooperante Dario eius successore, vt ei improperauit Alexander. Hoc tempore Philippus Macedonum rex Athenienses & Thebanos bello lacessit, Scythas superat, Bizantium obsidet, & artem pyraticam exercet, qua pluribus captis nauibus maximas cumulat pecunias.

Deinde Mathathias cognomento Siloach Dux in Ierusalem decem annis gubernat: cui successit Ioseph filius Tobiæ & filiæ summi sacerdotis Oniæ, qui sexaginta annis gubernauit. Apud Persas Arsi mortuo sufficitur Darius Arsami filius dictus Codomanus, qui frater fuit Artaxerxis: Eunuchum illũ imperatorum præcedentium interfectorẽ occidit. Fuit Darius potentissimus & ditissimus, cum supra centum viginti & octo prouincias imperaret; sed Alexandri Magni fortunæ, quamuis generosus, resistere non potuit: Vnde ter victus ab illo, cuiusdam proditoris dolo vulneratus occiditur anno imperij nono; Et tunc terminatur secunda Persarum atque Medorum monarchia, postquam in quatuordecim Imperatoribus ducentis triginta annis perseuerasset, anno mundi 3724. Apud Romanos, præter bellum contra vicinos populos, grauis pestilentia hoc tempore desæuiit, & Minutia Vestalis suspecta de libidine, mandato pontificum viua in campo defossa est. Apud Græcos Philippus rex Macedonum suas multiplicat victorias, & regnum auget: Olympiadem repudiat vxorem (quæ priùs dicta fuerat Mustulis, filia Neoptolemi Molossorum regis, & soror Alexandri regis Epiri) certò namque credidit ipsam ex adulterio sibi peperisse filium Alexandrum, & Cleopatram Olympiadis ex Alexandro Epiri neptem duxit in vxorem; quod rixarum inter Philippum regem & Alexandrum filium, imò & fugæ ipsius Alexandri cum matre in Illirium causa fuit, sed postea reuocatur

tur à patre, qui anno ſequenti percuſſus à Pauſania necatur, eo quod factum ipſi Pauſaniæ iniuriam in Attalo duce vindicari noluiſſet: Tunc Alexander rex Macedonum factus, de Monarchia mundi comparanda cœpit cogitare, vt ſtatim dicetur. Poſt prædictos ſequitur vltimus Dux Iudæorum de domo Iechoniæ, Ioannes Hircanus filius Ioſeph, qui ſeptemdecim annis gubernat, & cum vexationes Regum Syriæ ferre non poſſet, ſeipſum occidit. Non inueniuntur octuaginta ſequentibus annis vſque ad Machabæos Iudæorum principes ſæculares ſiue Duces.

TERTIA GRÆCORVM MONARCHIA.

ALexander Philippi Macedonum regis & Olympiadis filius, interfecto patri ſucceſſit, & munus Imperatoris contra Perſas ſuo patri ante collatum ab omnibus Græciæ populis obtinuit: Quos ſuaſionibus Darij Perſarum Imperatoris deficientes reconciliauit ſibi. Tunc vel ſubiectis, vel vnitis omnibus Græciæ viribus, de Aſiatica expeditione, ac totius mundi monarchia comparanda cogitare cœpit. Vnde cum vigeſimum primum vix compleſſet annum, & iam factis heroicis generoſos quoſcumque ſuperaſſet duces, præuidens quòd deuicto Perſarum monarcha Dario, cuncta ſibi facile paritura & ſubiicienda forent, coacto peditum electorum triginta & quatuor millium & paulo amplius quàm quatuor millium equitum exercitu, per Helleſpontum traiiciens in Aſiam contra Darium perrexit, tradita Antipatro Græciæ & Macedoniæ adminiſtratione.

Nouerat Darius ex rebus geſtis partiſque victoriis Iuuenem Alexandrum, in cuius occurſum miſit potentiſſimum exercitum, cui præerant Memnon Rhodius & Spithrobates Darij gener dux eximiæ fortitudinis: Cum ſibi mutuo ad Granicum fluuium exercitus occurriſſent, ſciens Alexander *quòd audaces fortuna iuuat, timidoſque repellit*, prima luce traiecit fluuium, ſingulari certamine cum genero Darij pugnans, illo necato victor exiſtit, & poſtmodum hoſtilem exercitum

exercitum virtute & prudentia dissipat, & illa victoria populos Asiæ minoris Persis vnitos sic terruit, vt statim ad illum defecerint, traditis vltrò in captiuitatem fugitiuis Darij militibus.

Anno sequenti Memnon dux exercitus Persici, vt progressum Alexandri sisteret, sub Imperatoris beneplacito necessarium iudicauit bellum in Græciam transferre, vt sic Alexander patriæ miseriis reuocatus statim redire teneatur: Vnde contractis plurimis militum turmis, multa pecuniæ summa ab Imperatore recepta, & instructa trecentarum nauium classe, Chium insulam capit, expugnat Lesbum, plurésque alias Cycladarum insulas, & aliquos Græciæ populos metu & muneribus victos in fidem recipit, & ni mortuus fuisset, res Alexandri in magnum discrimen adduxisset. Ex alia verò parte Darius imperator Satraparum vsus consilio copias ingentes, tam peditum quàm equitum, ad sexcenta millia militum Babylone congregauit, quibus ipse munitus obuiam Alexandro in Ciliciam proficiscitur, vbi liberatus Alexander & à graui morbo, & à proditione cuiusdam Alexandri Thessali Ciuitatem Issam occupat, paulò post generalem cum Dario conflictum init, in quo cæsis ad centum viginti millia peditum, & ad decem millia equitum, reliquis in fugam compulsis, vix ipse Darius euasit auxilio fratris sui Oxatris; Alexander autem iterum victor trecentos tantùm pedites, & centum quinquaginta equites dicitur amisisse: deletis igitur & fugatis Persis, eorum castra Græci diripiunt, immensas inde diuitias & gazas referentes. Capta fuit vxor Darij, quam Alexander intactam conseruauit, & paulo ante conflictum Arbellæ mortuam luxit, ac regio apparatu sepeliuit.

Darius fugiens Babylonem peruenit, vbi dissipati reliquias exercitus collegit, & missis ad Alexandrum nuntiis de ineunda pace & confœderatione tractauit, offerens illi filiam in vxorem, & totum Asiæ tractum quem fluuius Halyx cursu definit in eius dotem: sed Alexander vanæ gloriæ stimulis agitatus, & duplici victoria sublimatus pacem recusauit.

cuſauit. Vnde Darius maiores quàm antea colligens copias, cum ingenti curruum falcatorum multitudine, ſe bello præparat: Alexander verò, non credens ſe tutum, quandiu Perſas à tergo haberet, totam Syriam properat occupare, ſimulque maritimam Phœniciæ partem; Parmenionem igitur capta Damaſco Cœleſyriæ præfectum conſtituit, & ipſe accedens omnes penè ciuitates eius victoriis perterritas vltrò ſe tradentes recipit, occurrit ei Strato rex Aradiorum Aradi inſulæ & vrbium ſubiectarum coronas aureas deferens in ſignum deditionis, Sydon quoque & Biblon Perſis infeſtæ ſe victori tradunt: Sola Tirus illum recuſat admittere; Vnde iratus Alexander cœpit eius obſidionem; & ſublimato, in cingulo maris quo ſeparatur à continenti, ex terra & lignis aggere, procedit audacter ad vrbem, quam capit & incendit, occiſis quàm plurimis eius ciuibus: Acceſſit ad eum obſidionis tempore Sanaballetes Samaritanæ prouinciæ regulus cum octo millibus militum, & ab ipſo facile impetrauit facultatem templi in Samaria ad montem Garizim ædificandi, cui ſuum generum Manaſſem Iaddi ſummi ſacerdotis fratrem conſtitueret pontificem, quod templum inter Iudæos & Samaritanos perpetui fuit occaſio ſciſmatis: Capta Tyro venit Alexander in Ieruſalem, puniturus ciuitatem, ac præcipuè Iaddum pontificem, qui ſibi commeatum & auxilium contra Tyrios negauerat,& hactenus Perſis adhærebat; ſed cum Iaddus in habitu pontificali cum ſacerdotibus & populo in albis veſtibus Alexandro venienti proceſſiſſet obuiam, accurrit ad eum Alexander venerabundus: quod cum mirarentur eius principes, reſpondit ſe in perſona pontificis Deum fuiſſe veneratum, qui ſe illi de hac expeditione deliberanti in Dio Macedoniæ ſub hoc habitu videndum præbuerat, & victoriam promiſerat. Coniunctus illis intrat ciuitatem, & aſcendit in templum immolaturus, vbi legit Daniëlis librum, in quo dicitur Græcum quendam Perſas debellaturum, quod de ſe prænuntiatum affirmauit,& lætus conceſſit multa priuilegia & immunitatem à tributis ſeptimo quoque anno. Pergit inde versùs

Gazam,

Gazam, ciuitatem captu difficilem ob editum eius situm, & penè propter arenas inaccessibilem, cui præerat Batis Eunuchus; hic noluit Alexandrum venientem suscipere, sed fortiter restitit duobus mensibus, donec vrbe vi capta post murorum subuersionem milites & ciues occiduntur, mulieres & paruuli captiuantur. Inde descendit in Ægyptum, & veniens Pelusium à Mazace Persa Ægypti Satrapa recipitur honorificè, sicut & Heliopoli, & Memphi ab Astace Darij præfecto: perueniens autem ad oram maritimam, locum destinauit inter paludem & mare, vbi ciuitatem Alexandriam ex suo nomine voluit ædificari, ambitus octoginta stadiorum, quam Ægypti primariam declarauit, & vocatis vndique populis breui confertam ciuibus reddidit.

Post hæc rediens in Asiam venit Tyrum, inde magnis itineribus pergit ad Euphratem fluuium, quo duobus pontibus ad Thapsacum traiecto per Mesopotamiam versùs Babylonem progreditur Darium quærens: Cumque didicisset eum ad Tygrim fluuium consedisse, properat ad eum; sed eo ibi non inuento fluuium traiicit nemine resistente. Post aliquantum quietis per Assyriam progressus, tandem post aliquot dies Darium ad Arbellam cum ingenti exercitu reperit, in quo quadraginta millia equitum, decies centena millia peditum, currus falcati ducenti, & Elephantes Indici quindecim numerabantur: Cum tamen Alexander non nisi septem haberet equitum millia, & quadraginta millia peditum. Tentata rursùs per Darium confœderatione, offerentem Alexandro quicquid est citra Euphratem, tria millia talentorum, & alteram filiarum in matrimonium; remittuntur nuntij ab Alexandro dicente mundum non capere duos soles, nec orbem terrarum duos summos principes ferre posse: Vnde aut deditionem hodie, aut cras bellum paret. Cuncta ergo generali conflictui parantur: Darius currum ascendit, Alexander equum, initoque certamine auriga Darij occiditur, quo casu Persæ mortuum Imperatorem credentes terrentur & fugiunt; Darius ipse incitato curru recedit in Mediam, Alexander verò venit triumphans Babylonem,

lonem, inde Susas, vbi matrem Darij, filium eius Ochum, filias reperit. Deinde persecutus Darium Mediam velocissimè percurrit, sed illum inuenit mortuum : Cum enim Darius se Besso Bactrianorum Dinasta vehendum commisisset, is adesse audiens Alexandrum, vt citiùs fugeret Darium grauiter vulnerat simul cum iumentis currum eius trahentibus: quem inuenit semimortuum Polystratus Macedo, eique aquam poscenti de proximo fonte tulit : moriens autem salutat Alexandrum, eique gratias mittit propter humanitatem qua in suos fuerat vsus, & hæc proferens moritur ; Quem cum perueniens Alexander audiuisset, & mortuum vidisset Darium, fleuit, & dempta sibi Clamyde corpus illius contexit, & ad Sisygambim matrem patrio regioque more sepeliendum, ac regiis maiorum tumulis inferendum misit.

Post mortem Darij victor Alexander agnoscitur mundi Monarcha, & vt talem se gerit : Oxidatum nobilem Persam à Dario capitali sententia damnatum absoluit, Oxatrem Darij fratrem inter suos principes & amicos retinet, Nazabani recipit excusationem de morte Darij, Bessum verò tanquam insolentem persequitur, Hircanos & Mardos mirabili celeritate subiicit, tunc aduentantem reginam Amazonum prolis causa dicitur excepisse : sed statim in eum formatur coniuratio, authore Philota Parmenionis filio, qua detecta Philotas ipse dilaceratur execrabilis omnibus, alij verò coniurati iaculis confossi perierunt, misso Polydamante in Mediam iussit occidi Parmenionem Philotæ patrem, residentem ibi Satrapam. Deinde progreditur ad Bactrianos Bessum Tyrannum quæsiturus : Arimaspos subministrantes exercitui cibos humanissimè tractat, sicut & Gedronios confines, & vtrisque Teridatem quondam Darij secretarium dedit Prætorem. Inde progressus Paropamisadas gentem agrestem domat : Caucasum & Taurum montes septemdecim dierum spatio superans, aliam ibi ad Promethæi rupem fundat Alexandriam, in qua milites ætate & labore fractos simul cum indigenis relinquit habitatores. Tandem cum maxima rerum inopia & indicibili labore peruenit ad Bactrianos

ctrianos poſt tranſitum Oxi fluminis, quem ponte ſuper vtres extructo traiecit, ibique Artabarzum conſtituit Præſidem. Audiens Alexander Beſſum ad Sogdianos traieciſſe, proſequi decernit: Cum Spitamenes adiunctis Datapherne & Catane, ſcribit ad Alexandrum ſe Beſſum velle tradere; quo audito Alexander, ad eos citiſſimè Ptolomæum Lagi deſtinat, qui cum turmis equitum in oppido Beſſum obſidet, & vltrò tradentibus oppidanis capit. Tunc miſer ille in veſte lacera, fune ad collum iniecto ſiſtitur Imperatori, qui poſt durum improperium de eius in Darium perfidia, præcepit ei vulnera infligi, & in Bactriam remiſſo nares & aures amputari; deinde Oxatri fratri ipſius Darij permiſſus minutatim per ſingula membra conſcinditur.

In his regionibus barbaris vix tutus erat Alexander cum exercitu; quadam enim die dum milites incompoſito agmine ad pabulum egrediuntur, ab incolis infeſtantur, & ipſemet Alexander accurrens in crure ſagitta vulneratur. Inde mouens lectica vectus ad Maracandam Sogdianorum regiam venit: Vnde cogitabat ad Scythas procedere, ſed Bactrianorum & Sogdianorum defectione ſub Spitamene & Catene authoribus detinetur. Captis ibi plurimis vrbibus, & inter eas Cyropoli (cui proter Cyrum eius fundatorem parcere volebat, ſed ob pertinaciam ciuium & graue vulnus acceptum, direptionem ac ruinam intulit) ſuccenſiſque pluribus oppidis inde diſcedens properat contra Scythas, & perueniens ad Tanaim fluuium, nouam ad eius ripam fundat Alexandriam, tantum ſoli muris circumdans, quantum caſtra eius occupauerant, ad ſexaginta videlicet ſtadia, quæ breui tempore dicitur perfecta. Rex Scytharum videns hanc vrbem quaſi frœnum ſibi impoſitum, ad eius deſtructionem Chareaſim fratrem deſtinauit: ſed Alexander quamuis infirmus & admodum debilis, traiecto cum ſuis flumine, tanta venientem Scytham excipit audacia, vt breui conuerterit in fugam, quem ſupra vires proſequutus, & aquam ex fatigatione nimia bibens in magnum vitæ diſcrimen incidit: ſed tamen hac celebri victoria deficientem iam

maiorem Asiæ partem in officio continuit; Vnde plures populi, vt Sacæ, ipsique Scythæ legatos supplices ad eum miserunt, quos benignè recepit. Inde redit ad Sogdianos, Spitamenem puniturus: Sedis audito eius reditu Maraçanda fugit, & ad Scythiæ deserta veniens Alexandri diligentiam decipit; sed tanquam proditor occiditur postea à sua coniuge.

Accedente iam hyeme, volens Alexander defatigatum reficere exercitum in vrbe Zariaspa Sogdianorum, vel Bactrianorum secundùm alios consedit, ibique nouas militum recipit copias, quibus totam regionem illam subiugauit: & rupem inaccessam obtinuit, ad quam ferreis fulcris suos milites eleuasse dicitur. Rediens Alexander Maracandam, legatos Scytharum nuptias filiæ regis sui offerentium, & Phrataphermis regis Messagetarum confœderationem postulantium recipit: vbi Clitum ducem antiquum, ac de seipso benemeritum in solemni conuiuio hasta confodit, eo quod res gestas Philippi patris plurimùm extolleret, ipsius autem Alexandri deprimeret; Cuius cædis postridie sic ipsum pœnituit, vt eadem hasta primo, deinde inedia perire statueret.

His auctus victorius Alexander Indicam expeditionem aggreditur: Vnde ex acquisitis de nouo prouinciis copias cógregat, milites habiturus & obsides; Et sic breui ad centum viginti millia milites armatos numerauit: Simulque Diuinos ambiuit honores, cuius ambitioni cum Callisthenes Philosophus Aristotelis discipulus & cognatus restitisset, illum diuturno carcere, postea morte damnauit. Progressus igitur Alexander cum exercitu, subactis regionibus mediis, die decima sexta ad fluuium Indum peruenit, ipsoque breui traiecto regem Omphim cognomento Taxilem obuium habuit, iam dudum ipsi confœderatum, cum quo fœdere renouato, procedit vlterius ad Hydaspem fluuium: in itinere legatos recipit Abiasaris regis, seipsum suumque regnum offerentis. Vt venit ad fluuium, ex altera parte videt Porum regem cum potentissimo exercitu spectantem, vt traiectum impediat: non vi, sed arte traiiciendum iudicauit Alexander, vnde conspecta in medio fluminis insula, patulis arboribus consita, quæ

quæ secreti traiectus occasionem præberet, iussit Ptolomæo cum magna exercitus parte longius inde recedere, simulque fingere traiectionem fluminis; sequitur illum Porus ex aduersa parte, relictis vbique speculatoribus: Tunc Alexander cum reseruatis copiis flumen celeriter ratibus traiicit, nec à speculatoribus videtur, donec insula iam præterita penè ad alteram ripam peruenisset: monitus rex Porus redit, & iam paratum ad pugnam Alexandrum inuenit, vnde statim dimicatur. Cum Porus quatuor cubitis & palmo procerus esset, non equo sed elephanti insidebat, indeque iactis telis pugnabat: sed pluribus receptis vulneribus concitata bellua fugam capit, eiusque simul exercitus dissipatur; Verum cadente præ vulneribus Elephante capitur, & interrogatus ab Alexandro victore, quonam modo tractari deberet; respondit, *Pro regia dignitate, nihil aliud expostulans*: Hac responsione & venerabilis eius præsentia motus Alexander, non solùm ei regnum suum concessit, sed fœdus vsque ad mortem postmodũ inuiolabile cum ipso iniit, ipsumque Taxili reconciliauit. Post hanc insignem victoriam, conditis ad vtramque Hydaspis fluuij ripam vrbibus præsidioque munitis, suam prosequitur expeditionem, & veniens ad fluuium Acesinem Gangi influentem, Porum alterum regem vltra fluuium dominantem subiugat: Inde venit ad Hydractem fluuium, latũ quidem sed lentum, quo transacto primùm cum Sophitis, deinde Cathæis ad Sangalam vrbem bellum gessit; illisque superatis peruenit ad Hypasim amnem, vltimum expeditionis Indicæ terminum.

Vlteriùs progredi cogitabat Alexander, sed suorum tam militum quàm Ducum resistentia motus sistere cogitur, & paulò post redire. Ibi tamen duodecim aras plurimum excelsas instar turrium, ad expeditionis suæ monimentum extruxit: Præfecit Porum huic regioni ad Hypasium amnem, redit ad Hydraotem fluuium, & inde ad Acesinem, vbi iam constructam reperit vrbem, quam colonis replens præsidio munit: Acesine transmisso venit ad Hydaspem, vbi eundem Porum omnium Indiæ regionum subiectarum regem constituit: Et

ſecundo flumine cum mille nauibus deſcendit,vſque ad confluentiam eius in Indum,pluresque populos in ſuo tranſitu, tam vi quàm deditione capit. Cum peruenit ad locum, vbi diuiſus in duas partes Indus ad Oceanum decurrit, dexteram tenet Perſis finitimam in regno Sindy,relicta ſiniſtra quæ regnum Cambaiæ luſtrat: ad Oceanum deueniens, vbi Sinus Perſicus incipit, multas tempeſtates in hac marium coniunctione ſolitus, ac vndarum fluentium ac refluentium æſtum patitur nautarum præſertim imperitia. Subactis illis maritimis populis,ingreſſus Sinum Perſicum, præfecto claſſis ſuæ Nearcho,in Carmaniam ad Ormuzium inſulam venit,& vlterius ad oſtia fluuiorum Tygris & Euphratis iubens nauigare properat in Suſianam regionem; itinere tamen terreſtri Hepheſtionem cum magna copiarum parte præmiſit. Mare relinquens Alexander, Paſargadas venit,vbi violatum & fractum inueniens Cyri ſepulchrum doluit, & per calumniam accuſatum regem Orſinem velut huius ſceleris reum iuſſit interfici. Inde venit Perſepolim Perſidis metropolim, vbi nobiles Perſarum atque Medorum filias octoginta duxit vxores (iam duxerat Roxanam) & inter aliàs Paryſatin natu minimam Darij Ochi, & Barſinem vltimi Darij natu maximam: ibique multa ſuis militibus dona contulit, conceſſa ſingulis diſcedēdi facultate.His peractis, conſcenſu claſſe cum parte copiarum ad Eulæum amnem,deſcendit in mare,tendit ad oſtia Tygris & Euphratis, æſtu maris vehementiſſimo contra fluuiorum curſum aſcendit ad Opim vrbem. Inde Ecbatanam Mediæ regiam profectus,dum de regni negotiis diſponit,amiſit Hepheſtionem quem quaſi fratrem diligebat,& in eius obitu nimium dolorem,& indignum tanto imperatore manifeſtauit: Tandem in Babylonem reuerſus, plurium populorum legatos excepit. Dum ibi commoratur ſolemnioribus conuiuiis indulgens,& vinum intemperantius ſumens in febrim, & in phræneſim poſtea decidit; qua moritur circa finem menſis Iunij; quidam volunt ipſum veneno ſublatum. Vnde toto celeberrimus in orbe Magnus Alexander, vix attingens trigeſimum quartum ætatis annum,dum

moritur

moritur se mortalem hominem, non Deum esse demonstrauit. Currebat septimus imperij eius annus, & 13. regni.

Cum Alexander successorem competentis ætatis non haberet (Roxana siquidem filia Darij nondum peperat, & Hercules filius adhuc paruulus erat) suis principibus è Macedonia secum adductis imperium in partes diuisit; vel potius, vt alij scribunt, hæc diuisio post mortem Alexandri decreta fuit: Philippo quidem Aridæo fratri ipsius Alexandri cessit Macedonia, quasi patrimonium; Ptolomæo Lagi, vel potius Philippi regis ex concubina postmodum Lago nupta filio; & domui eius nato cessit Ægyptus, Asia minor Antigono, Seleuco Nicanori Syria & Babylonia, & aliæ regiones ad Orientem: Hic vincens Antigonum eiusque filium Demetrium, se Syriæ totiusque Asiæ regem nominauit. Fuit filius Antiochi cuiusdam ducis Philippi Macedonum regis, & Laodicis; proterea in honorem patris sexdecim ædificauit ciuitates sub nomine Antiochiæ, & quinque sub nomine Laodicææ in honorem matris, & nomine suo nouem Seleucias. Sub ipso eiusque successoribus, præ cæteris regibus aliis tunc potentioribus ac ditioribus Græcorum monarchia continuatur, quamuis plurimum ex prædicta diuisione diminuta. Hoc tempore Romani ditionis ampliandæ cupidi bella mouent in Lucanos & Appulios, & contra Samnites iam motum continuatur: in quo cum Fabius iuuenis magister equitum contra Dictatoris mandatum pugnasset, etsi victor de pugna rediens, vix sententiam mortis euasit fusis in Senatu patris sui lacrymis. Tunc mortuo Iaddo summo Pontifici successit Onias filius. Tunc Perdiccas inter præcipuos Alexandri duces, cum adhuc maiorem exercitus partem dirigeret, cœpit imperium affectare; sed confœderatis aliis ducibus, nihil obtinuit, imò progressus in Ægyptum à suismet trucidatur. Tūc mortuus traditur Aristoteles Chalcide in insula Eubœæ.

In Græcia post mortem Alexandri multæ ciuitates de libertate antiqua cogitantes, Macedonum iugum excutiunt; imò in ipso regno Macedoniæ bella intestina mouentur, cum multi starent pro Philippo Alexandri fratre, multi verò pro

Hercule eiusdem Alexandri filio. Similiter apud Romanos continuantur bella iam, contra vicinos circumquaque cœpta: nunc etiam antiqua renouantur, vel nouis defectionibus, vel etiam à nouis aggressoribus aliorum confœderationes: quæ singula vix possunt ad compendium reduci, & multò minus memoria retineri solummodo per transennam indicata. Iam ex dictis constat apud Iudæos non reperiri determinatos duces populi temporales; quamvis legitimi tunc forent prædictorum successores, sed propter tyrannidem nouorum regum, & populi Iudaici oppressionem silere ac latere cogebantur. Pontifices tamen ordinatè sibi succedentes reperimus, sequentes scilicet vsque ad tempora Machabæorum: Simon filius Oniæ, cognomento Iustus & Priscus, qui præfuit annis duodecim; Eleazar frater Simonis, triginta duobus; Manasses frater Oniæ, patruus Simonis & Eleazari, decem; Onias II. Simonis Iusti filius, quatuordecim; Simon II. filius Oniæ, viginti quinque; Onias III. filius Simonis, triginta sex; Quibus successerunt Iason & Menelaus. Hoc tempore Galli Senones, qui magnam Italiæ partem inuaserant, à Dolabella Consule vincuntur, & à propriis vrbibus pelluntur: ab his Senarum vrbs & Senigallia condita traduntur.

Floruerunt hoc tempore plures viri celebres: Primus est Pyrrhus rex Epirotarum, qui de Macedonibus & Romanis non semel triumphauit, Carthaginenses debellauit; sed pugnans apud Argos per manus cuiusdam aniculæ tegula occiditur. Floruerunt & alij tam bellica gloria quàm doctrina celeberrimi: inter duces, præter alios iam citatos tam Græcos quàm Romanos habemus Q. Fabium maximum: inter Philosophos autem habemus Hermem Ægyptium, cognomento Trimegistum & Mercurium dictum, Platonis discipulum; Cyneam quoque celeberrimum Oratorem Epyrotam magni Pyrrhi ad Romanos legatum fœlicis admodum memoriæ virum, Apuleium Aphrum, Platonis etiam discipulum; Plotinum, eiusdem Platonis discipulum, & Porphyrij magistrum; Demam Athenienfem, Alexandro magno primò

contra

contrarium, deinde amicum; Et Callisthenem, de quo supra, qui fictam appetere diuinitatem Alexandro dissuadens ei velut increpans dicebat; *Si Deus es, beneficia mortalibus largiri, non sua eripere debes; si homo, id quod es semper esse cogita*: Prædictis adiungitur Dinocrates Alexandri magni insignis architectus, qui ciuitatē Alexandriam Ægypti metatus est, & præfuit instaurationi templi Dianæ Ephesinæ.

Iam septuaginta septem annorum erat Seleucus Nicanor, cum pugnans aduersùs Lysimachum regem Macedonum, debellat illum, & eius regnum inuadit: sed ipse septimo mense post victoriam per insidias circumuentus occiditur à Ptolomæo Ceranno, cuius sororem Lysandram Lysimachus duxerat vxorem. Successit illi Antiochus Sother, id est Saluator, qui nouercam Stratonicā à patre Seleuco obtinuit vxorem: & post viginti annos regni moritur. In Ægypto Ptolomæus Philadelphus patri Ptolomæo Lagi filio post quadraginta annos regni successit, & ipse quinquaginta octo annis regnat: Hic Ptolomęus Philadelphus volens eximiā Alexandriæ Bibliothecam facere, præcipuos colligebat libros, quibus sacra Biblia cupiens adiungere, ex Hebræo in Græcum transferri curauit; vnde Septuaginta Interpretes à Iudæis obtinuit, quibus talem commisit translationem, qui nō solùm eadem sententia, sed etiam iisdem verbis conuenerunt, cum in domumculis seu cellis separatis ad hoc in insula Pharos ædificatis degerent, vt refert S. Iustinus martyr, qui se cellas huiusmodi vidisse testatur; has tamē cellas reiicit & improbat D. Hieronymus. Hoc tempore Pyrrhus rex Epyrotarum contra Romanos processit, quos non semel debellauit, & vocatus à Siculis Carthaginensium potentiam in ea insula fregit Brennus Gallorum Dux, cum potenti exercitu centum quinquaginta millium peditum, & quindecim millium equitum in Macedoniam irrupit, vbi magnas edunt strages eius copiæ, à quibus prouincia Bythiniæ in Asia minori Gallogræcia, & Galatia denominata fuit. Sub hoc tempus in Sicilia cœptum est bellum inter Romanos & Pœnos siue Carthaginenses, hi totam insulam ocupare volebant, contra quos Siculi Romanos

nos iam potentes aduocarunt,& sic diuturnum inter tres nationes bellicosas inchoatur bellum, de quo plura dicentur inferiùs.

Post mortem Antiochi Soteris, regnat in Syria filius eius Antiochus etiam nomine, dictus per adulationem à Milesiis Theos seu Deus,eo quod Timarchum eorum tyrannum sustulisset: mater eius fuit Stratonica,coniux verò Laodicea, à qua post quindecim annos regni veneno perimitur. Tunc cœptum inter Romanos & Pœnos in Sicilia bellum crescit: Vrbes maritimæ Pœnis, mediterraneæ Romanis obtemperabant; Romanorum duces fuerunt Cornelius Consul & Duillius, Pœnorum verò senior Annibal & Hamilcar; qui vincuntur à Romanis, & aliquot ciuitates amittunt. Hoc tempore bellum desæuiit inter Antiochum & Ptolomæum Philadelphum: Antiochus cum validissimo exercitu totius orientis Ægyptum aggreditur; sed post aliquot annos rex Ægypti tam crudeli bello volens imponere finem,cum Antiocho fœdus init,filiam suam nomine Berénicem ei tradens vxorem, cum infinita auri & argenti copia dotis nomine, ipsamque pater vsque Pelusium comitatus est: Aliam iam duxerat Antiochus Laodicem nomine, ex qua duos habebat filios;Promisit se Berenicem habiturum vt Reginam & regni consortem, Laodicem verò tantùm vt concubinam; sed postea huius amore superatus,ipsam cum duobus filiis Seleuco Gallinico & Antiocho Hierace reduxit in regiam.Romani sub ducatu Attilij & Manlij Classem contra Pœnos in Aphricam mittunt, quæ numerosiorem aliam hostium inuenit, cuius erant duces Hanno & Amilcar: inito conflictu Romani victoriam, sed cruentam reportant;nam Pœni quidem plusquam trecentas naues submersas, sexaginta verò tres cum viris captas amiserunt; sed Romani viginti quatuor submersas perdiderunt,nulla cum viris capta:Inde procedentes Romani, classe priùs instaurata, ad Hermæum Aphricæ promontorium Siciliæ oppositum appellunt, Oram maris ad Clypeam vsque legunt, & ibi descendentes in terram agros depopulantur,& oppida vrbesque capiunt, venientes

obuiam hostes ad octodecim millia cædunt: Verùm cum rationabiles pacis conditiones à Pœnis oblatas respuissent, adueniente Xantippo Lacedemone Pœnorum duce sic debellantur, vt de toto exercitu vix duo millia fugiendo euaserint: quæ clades nuntiata Romæ mœrorem attulit, classes tamen reparantur, quæ postea tam ad Sirtes quàm ad Lilybeum naufragium patiuntur.

Seleucus Gallinicus Antiochi filius patri successit, & viginti regnat annis. Laodices eius mater maritum regem Anthiochum veneno interfecit, metuens ambigui viri animum, ne fortè Berenicem reduceret, & seipsam iterum repelleret cum filiis. Post mortem autem mariti, credens non benè stabilitum filij regnum, quandiu Berenices eiusque paruulus filius viuerent, Seleuco regi suasit, vt tam matrem quàm filium occidi procuret: quod ita successit, nam Berenices cum filio ex Asylo Daphne per dolum educta trucidatur. Ptolomæus Euergetes frater Berenicis, qui patri Ptolomæo Philadelpho successerat in regnum, fortem congregat exercitum, vt sororis filiique eius mortem vlciscatur, & venit in Syriam contra Seleucum, ipsam capit, Ciliciam, superioresque partes trans Iordanem, & propemodum vniuersam Asiam, vt ait S. Hieronymus: Plura monarchiæ Seleuci regna deficiunt, vt contigit Parthis, qui duce suo Arsace Syros eiiciunt, & regnum Parthorum de nouo instaurant. Tunc Euergetes, id est Benefactor, audiens sua absentia excitari seditionem in Ægypto, sublato Seuleuci thesauro ad quadraginta millia talentorum auri cum vasis pretiosissimis, stabilito quoque præsidio in acquisitis de nouo prouinciis, rediit in patriam: recedente Euergete magnam deperditi regni partem Seleucus populorum commiseratione recuperauit: Sed postmodum insurgente contra eum Hierace fratre, dicto etiam Anthiocho turbatur: hic regni perturbator fugit in Ægyptum, eligens potiùs Euergeti infensissimo se committere, quàm in manus fratris deuenire; Verùm captus in Ægypto carceri mancipatur, sed opera meretricis euadens; ac fugiens interficitur à latronibus: Seleucus quoque iisdem

fermè

fermè diebus equo præcipitatus moritur. Hoc tempore Romani victoriam celebri Carthaginenses vicerunt, qui inita pace Siciliam Romanis relinquunt: Nascitur tamen inter illos Annibal inclytus ille dux, qui Italiam ingressus Romanos plurimum virtute bellica infestabit: Inter Romanos autem nascitur Cato, qui sua sententia Carthaginem captam subuertit.

Mortuo miserè Callinico Seleucus Ceraunus filius eius in regnum Syriæ desolatum successit, & tribus tantùm annis regnat. In Ægypto post regnum viginti sex annorum Ptolomæi Euergetis cecesserat Ptolomæus Philopater eius filius, qui septem tantùm annis regnauit. Contra hunc Seleucus Ceraunus, & Antiochus magnus eius frater, & postea in regno successor, spe victoriæ prouocati, & vltione parentis, exercitu congregato arma corripiunt. Postea cum Seleucus Ceraunus procederet aduersùs Attalum, qui paterni regni plures prouincias occupauerat, & iam Taurum montem superasset, dolo appetitus ab Apaturio Gallo & Nicanore necatur: Achæus autem Dux exercitus, & qui regem attingebat cognatione, mortem eius vlciscens vtrumque regicidam interficit, exercitum prudenter administrat, plures recuperat eis Taurum prouincias, & fidelis Antiocho fratri Seleuci regnũ vltro oblatum recusat, & ipsi conseruat. Hoc tempore bellum Romanis cum Gallis acerrimum institit: nam duo regis Galli Celtæ, Concolitanus scilicet & Aneroëstus cum immensis penè copiis Alpes traiecerunt; & quamuis Veneti ac Cenomani defecissent ab eis, (propter quod partem exercitus ad fines conseruandos reliquærunt) ad septingenta tamen septuaginta septem millia & trecentos in Hetruriam ducunt, qua latè populata dum iter Romam versùs arripiunt, Romanorum obuium habent exercitum, initoque certamine victores Galli existentes ad sex millia occidunt: Verùm superueniente duplici Romanorum exercitu, vno quidem Arimino sub Æmilio Consule, ex Sardinia autẽ altero sub Attilio etiam Consule superantur Galli, cæsis ad quadraginta millia, captis ad decem millia cum ipso

so rege Concolitano. Gestum est in Græcia bellum Cleomenicum à rege Spartano contra Aratum & Achæos, quo maiorem Græciæ partem variis necibus cladibusque labefecit. Floruerunt his temporibus insignes Philosophi: Zenon Stoicus, Crisippus similiter Stoicus natione Elius, Palæmon Atheniensis, Strabo Lampsacenus Silphon Megarensis, Crates Atheniensis Philosophus Academicus, Crates alter Thebanus, Lycon Troadensis, & Timon Apolloniates. Floruerunt quoque Aratus poëta Asiaticus & Erasistratus Atheniensis Medicus.

Antiochus cognomento magnus occiso fratri Seleuco successit, qui de reparando regno cogitans varias instituit expeditiones: Iudæam enim inuasit, postea contra Ptolomæum Philopatrem in Ægyptum venit; sed cum huic bello intentus ad Zeugma Seleuciæ degeret, Diognotus Nauarchus ad eum aduenit è Cappadocia Mithridatis regis filiam ducens, ei missam vxorem: Cum regio comitatu processit obuiam Antiochus, & nuptiis quam primum celebratis in regiam venit Antiochiam, vt ductam vxorem reginam salutaret nomine Laodicem. Tunc defecit ab Ægyptiis Siriæ Præfectus Theodotus genere Ætolus, partim timore procerum Cælesyriæ fauentium Antiocho, partim contemptu turpissimę Ptolomæi vitæ: Et ita Cœlesyriam Antiocho tradidit. Cum audisset rex Antiochus Molonem Mediæ Satrapam defecisse, conuerso contra eum exercitu processit; vnde Molon ipse timens in manus regis deuenire, violentas sibi manus intulit, sicut & alij coniurationis participes: Hermiam postea sibi suspectum trucidari iussit. Inde mouit contra Ptolomæum, qui promittens æquas se pacis conditiones acceptaturum inducias obtinet ab Antiocho: sed cum postea de conditionibus non conuenirent, mouente exercitu progreditur Antiochus in Ægyptum; sed cum æquales Ægyptius copias haberet ad septuaginta & amplius millia militum, inito certamine vix vlli cessit victoria, & pacis ineundæ fuit occasio: Vnde Antiochus ex Ægypto rediens animum ad debellandum Achæum rebellem applicat, ipsumque persequutus Sardibus inclusum obsidet,

det,& poſtea dolo captum vltimo plectit ſupplicio, qui fuit mutilatus primò extremis membris,poſtea truncatus capite, & in crucem ſublimatus. Deinde proceſſit ad Bactrianos Antiochus contra Eutydemum rebellem, vbi ad Arium amnem occiſo equo pedes ipſe pugnauit,& generoſi animi ſpecimen dedit. Cum Ptolomeo Philopatori mortuo ſucceſſiſſet Ptolomæus Epiphanes eius ex Eurydice ſorore filius puer quinquennis ſub tutela Agathoclis,& hic duce Scopa Syriam occupaſſet, ad eum perrexit Antiochus, quem repertum ad fontes Iordanis fugere Sydonem compulit,ibique longa obſidione captum dimiſit.Poſtea tradita in matrimonium Ptolomæo Cleopatra filia,ipſique conceſſa in dotem Cœleſyria Phœnice & Iudæa, pacem init cum Ægyptio: Bellum cum Romanis incipit, quibus factus tributarius & ad ſoluendum tributum Dyndimæi Iouis templum diripiens facta populi concurrentis ſeditione perimitur trigeſimo ſeptimo regni anno. Cum Iudæi Syros inter & Ægyptios medij forent, ab vtriſque facilè victoribus ſubiiciebantur,& plurimùm ob adhæſionem parti contrariæ vexabantur:Contigit mira eorum vexatio ſub Ptolomæo Philopatore; qui primò ſub mortis pœna iuſſit eos ad ritus Ægyptios tranſire, multos reſiſtentes & in Dei lege conſtantes occidit crudelibus ſuppliciis. Cumque multos ex illis ſimul congregaſſet elephantibus obiiciendos ac perimendos,Diuinam in ſe ſuoſque Ægyptios experitur vindictam; nam duo terribiles Angeli deſcendentes è cœlo, ſic regem terruerunt, vt ipſe cum ſuis horruerit, & elephantes commoti milites eius pedibus conculcarunt: quo rex miraculo conuerſus Deum Iudæorum protectorem agnoſcit, & ipſos ſolemni conuiuio ſeptem dierum excipit. Primo anno regni Antiochi magni fuit ingens in Aſia terræ motus, præſertim in Rhodo inſula,vbi prodigioſus ille coloſſus ad oſtium portus corruit. Vincuntur Galli à Romanis ſub Marcello duce,totamque amittunt Inſubriam. Anno verò ſequenti cœpit Annibalis virtus lucere, qui cum mortuo Aſdrubali Amilcaris genero in regenda pro Carthaginenſibus Hiſpania ſucceſſiſſet, odium in Romanos iurauit; no-

uenni

uennis erat puer, dum venit in Hiſpaniam cum Amilcare parente, qui prouinciam illã nouem annis rexit, & Aſdrubal gener eius ac cognatus Annibalis octo. Cum igitur Annibal cœpit Hiſpaniam regere, viginti ſex erat annorum, ſtatimque ab initio regiminis Olcadum gentem, & Althæam primatiam eius partem Pœnis ſubiecit, vbi reperiens argenti fodinas perſoluendis militibus ſtipendiis abundat; Vnde dilectus ipſis mira facit: Reſidebat ordinariè in noua Carthagine, indeque ad ſuas expeditiones mouebatur. Saguntini in regno Valentiæ populi Romanorum protectione freti ditionem Pœnorum conterminam iniuriis laceſſebant, quibus irritatus Annibal cum centum quinquaginta millibus militum adit Saguntum, vrbem obſidet, acriter vrgens obſidionem vulneratur in femore; ſed acriùs inſurgens, promiſſa militibus vrbis ditiſſimæ præda, ciues ad extremam neceſſitatem compellit, qui cum rationabiles pacis conditiones obtinere non potuiſſent, pretioſiſſima quæque comburunt in foro, & admoto domibus igne poſt captam ciuitatem, penè ſinguli vel flammis, vel in pugna pereunt, reliqui puberes militibus occurrentes interficiuntur. Hæc audientes Romani, contra Pœnos fœderis violatores animantur, ac ſimul eorum potentiam veriti bellum illis denuntiant, acceptant Pœni, & Annibal ipſe firmatis in fœdere Gallis & Hiſpanis, potentem congregat exercitum ad nonaginta millia peditum, & duodecim millia equitum. Adueniente primo vere montes Pyrenæos ſuperat, Galliam Narbonenſem pertranſit, Rhodanum traiicit, non obſtante Cornelij Conſulis Romani reſiſtentia: Vlteriùs procedens Alpes cum magni labore ſuorumque iactura quindecim dierum ſpatio pertranſit, Taurinum capit, & ad planities inſubrum deſcendens obuium habet Scipionem Romanum Ducem: Ibi confligitur, ſed Romani malè excepti Ticinum amnem traiiciunt ponte, & Placentiam recedunt: quò cum poſt aliquot dies Annibal adueniſſet, in nocturno ſilentio veniunt ad Trebiam fluuium, vbi cum generalis initus eſſet conflictus poſt aduentum Sempronij Conſulis, vincuntur Romani diſſipato penè toto

toto exercitu: Cornelius alter Consul, qui ex Gallia per mare in Liguriam redierat, vt descendenti ex Alpibus Annibali cum exercitu Romano occurreret, & in primo conflictu fuerat vulneratus, reliquias exercitus dissipati colligens venit Placentiam, & inde Cremonam, fugiente Romam Sempronio, quam tam tristi nuntio perturbat. Non cessat Annibal etiam hieme, Romanos suis excursionibus infestare: Et ad primum veris indicium Apenninum superare tentat, sed nimio rigore tempestateque ventorum & imbrium, ac suorum mortalitate Placentiam vsque retrocedere cogitur; donec mitescente tempore rursùs Apenninum superare tentat, vbi inter paludas incedens aëris inclementia alterum amittit oculum: Ibi Flaminium consulem reperit obuium, quem inito certamine superat & occidit ad Thrasymenum lacum. Victor Annibal Spoletum venit: Vnde cum magna militum iactura repulsus venit in Picenum: Interim Fabius Dictator prudenter se gerens, non præcipiti consilio Minutii magistri equitum vsus, hostes aggreditur; sed cunctanter se gerit; propter quod in Senatu damnatur ignauiæ. Dum Annibal Italiam infestat, mittunt Romani P. Scipionem in Hispaniam qui fratri Cneio Scipioni ibi regenti coniunctus Asdrubalem Annibalis fratrem Pœnorum ducem aggrediatur, vt sic Annibal ad suorum auxilium redire compellatur: sed hic è Piceno castra mouens venit in Appuliam ad oppidum Cannas, vbi cum Varrone & Æmilio Consulibus inito certamine Romanos dissipat & delet. Si parta tam celebri victoria Romam versùs Annibal processisset, vrbem nimio terrore confusam & mœrore confectam facilè obtinuisset: sed paulatim procedens Samnium mouit, Cossanam vrbem deditione recipit, Capuam ad suas partes allicit, vbi cum hyeme commoratus fuisset, deliciis Capuanis eius exercitus emollitur, quem labor indurauerat. Dum Annibal Tarentem; Brundusium, & alias Appuliæ Calabriæque vrbes occupare tentat: Romani Capuam obsident, & Syracusas sub ducatu Marcelli capiunt, vbi Archimedes occiditur, figuris mathematicis sic intentus, vt vrbis captæ tumultum non audierit, & interrog atus

rogatus quis esset non fuerit nominis sui recordatus, solùm interrogantem deprecatus militem ne formatas in puluere figuras deleret. Dũ obsidetur Capua, & rediens ad eius auxilium Annibal obsidionem soluere non potest, Romam cum exercitu petit, credens obsidentes consules Capua abducere: sed Roma repulsus, nec volens auxiliari Capuæ peruolat in Brutios; & ita Capuani desperato auxilio deditionem fecerunt. Tunc Romanæ res fœliciter procedebant; Tum in Sicilia, quam totaliter subegerunt; Tum in Italia, vbi debilitato Pœnorum exercitu populi deficientes ab Annibale Romanis adhærebant; Tum in Hispania, vbi P. Scipio consiliatis Hispanorum animis sic Asdrubalem insectabatur, vt etiam Carthaginem nouam obsederit, & vi ceperit: Cum Annibal exercitu renouato Marcellum inueniens nimis audacem & ad certamen velut cogentem multiplici victoria debellat, & grauiter vulneratum occidit; Cuius tamen corpus argentea vrna conditum Marcello filio misit. Rediens victor ex Hispania P. Scipio Consul creatur: Vnde prudenter & generosè Reipublicæ prouidet, & Classem in Africã ducit hostes in patria debellaturus: vbi post annum imperio continuato superat hostes, incendit eorum castra, totumque delet aut dissipat exercitum. Vnde Senatus Carthaginensis decreto reuocatur Annibal ex Italia, vt patriæ succurrat: Cum illuc peruenit, victoremque reperiens Scipionem, suasit æquam cum Romanis pacem inire; Cui cum Scipio consentire noluisset, certamen initur, quo victus Annibal Adrumetum profugit, vnde Carthaginem reuocatus pacem quibusvis conditionibus faciendam persuadet, quæ tandem conclusa Romanis gloriosa fuit. Hi debellatis Carthaginensibus in Africa, Macedones in Græcia sub Philippo rege superarunt, variasque victorias vbique, præsertim in Hispania sub prudenti Catonis ibidem Præfecti directione reportarunt.

Mortuo Antiocho magno Seleucus Philopator eius filius successit, cum triginta duorum esset annorum, de

quo dicit S.Hieronymus, *quòd nihil dignum Syriæ & patriæ gessit imperio, & absque vllis prælijs inglorius periit*; dicitur tamen omnes sumptus templo Ierosolymitano è suis reditibus subministrasse. Cum autem duodecimum regni annum ageret, insidiis Heliodori, de quo fit mentio in libris Machabæorum, oppressus interiit; Cum enim Seleucus filium Demetrium Romam misisset obsidem loco fratris sui Antiochi Epiphanis, videns Heliodorus potens in regno nullum adesse legitimum hæredem, sublato rege voluit illud vsurpare. In Ægypto post Ptolomæum Epiphanem regnat eius filius Ptolomæus Philometor eiusque regnum viginti annis durat. Iam à tempore Antiochi cognomento Dei, Parthi iugum Græcorum excutientes, etsi non monarchiam Persarum, suum tamen regnum repararunt: Primus eorum rex, qui & Medis & Persis dominatur, vocatus est Arsaces, cui successit filius eiusdem nominis Arsaces II. Huic successit filius Pampacius siue Phraartes, qui regnat annis duodecim, regnumque Pharnaci filio reliquit, cui Mithridates frater successit, & huic filius Phraartes II. qui in bello contra Scythas occubuit: Artabanus filius Pampacij succedens nepoti vulneratus in bello moritur, filiumque Mithridatem II. successorem reliquit; hic Scythas & Armenos debellauit, sed ob crudelitatem deponitur; eique sufficitur Orodes frater, qui Babylonem obsidet, captumque ibidem fratrem Mithridatē occidit, sæpè contra Romanos in Syria pugnat, & tandem à proprio filio Phraartes III. quem regni successorē reliquerat, occiditur. Hoc tempore Seleuci regnauit apud Macedonas Perseus vltimus eorum rex: Post Alexandrum Magnum plures successere reges, de quorum illustrioribus disseruimus; sed quia rari fuerunt pacifici possessores regni, singulorum tempora paucioribus annis concluduntur: Aridæus regnat annis nouem, Cassander octodecim, Antipater cum Alexandro quatuor, Demetrius sex, Pyrrhus mensibus sex, Lysimachus annis quinque, Ptolomæus anno vno, Maleagrus mensibus

ſibus duobus, Antipater anno vno, Softhenes annis duobus, Antigonus Gonatas triginta ſex, Demetrius decem, Antigonus quindecim, Philippus quadraginta, cui ſucceſſit Perſeus rex vltimus decemque regnat annis. Floruerunt his temporibus inſignes viri, tam doctrina quàm virtute bellica præclari: Apud Iudæos Ieſus filius Syrach, qui ſcripſit Eccleſiaſticum: Diogenes Stoicus, Antipater etiam Stoicus, Ariſtobolus Iudæus Peripateticus, Archimedes Syracuſanus Philoſophus & Geometra, Plautus & Ennius poëtæ.

Quia de ſequentibus Syriæ regibus in Machabæorum hiſtoria fiet mentio ſpecialis: ideò eos indicaſſe ſufficiet in præſenti. Seleuco Philopatori ſucceſſit Antiochus Epiphanes, poſtea Antiochus Eupator, Demetrius cognomento Soter, Alexander dictus nobilis, Demetrius II. Antiochus, Triphon, Antiochus Sidetes, Alexander Zebenna, Antiochus Gryphus, Antiochus Cyzicenus, Seleucus V. Anthiochus Euſebes, Tigranes rex Armeniæ, & Anthiochus Cyziceni filius: in quo monarchia Græcorum poſt ducentos quinquaginta nouem annos terminatur; nam Syria quæ ſedes huius monarchiæ fuit, in prouinciam imperij Romani redacta eſt. Non deſunt, qui monarchiam Græcorum poſt centum quadraginta nouem annos à fundatione terminatam fuiſſe dicant, cum diminuta eorum potentia Romani iam vbique potentes orientis etiam regna ſibi ſubiicientes, florere cœperunt, ſuæque monarchiæ cæterarum præcedentium potentiſſimæ fundamenta iecerunt.

HISTORIA MACHABÆORVM.

CElebris eſt in ſacris ſcripturis hiſtoria Machabæorum, de qua diſſerimus in præſenti. Cum Seleucus Philopator filium ſuum Demetrium Romam miſiſſet obſidem loco Antiochi Epiphanis ſeu illuſtris, & poſtea per Heliodorum aulicum occiſus fuiſſet: Antiochus cognita fratris morte, ac-

celerat Iter, & venit ad regiam ciuitatem, exteriùs quidem quasi tutor nepotis sui Demetrij, quem Romæ reliquerat obsidem; interiùs autem tyrannidem meditatus quasi regni inuasurus. Firmata iam Asia & Babylonis prouincia in sua deuotione, pulsóque ex Syria Heliodoro per Eumenem Pergami regem & Attalum eius fratrem, eorúmque auxilio subdicto prætextu Syriæ regno potitus, ipsis tanquam fidelibus amicis vsus Ægyptios decipit, ipsorumque deditione regnum inuadit fraudibus speciosis tutelæ regis Iunioris, sui ex sorore Cleopatra nepotis; sed illis detectis tunc recedit, iterum rediturus in manu potente, ac regem expulsurus. Iudæã miris vexat modis, volens illam ad Gentilem ritum reducere: Fugiente igitur Ptolomæo Philometore Ægypti rege propter maximos eius exercitus, tam terra quàm mari missos, regnum sibi subiicit, & rediens in Iudæam, ac Ierusalem ipsumque templum ingressus, omnia sacra & profana rapuit spolia, quæ simul cum Ægyptiacis thesauris detulit in Syriam; post cædem magnam & superbiam arrogantem contra Iudæos exercitum: Iterum post duos annos misit in Iudęam principem tributorum, qui verbis pacificis admissus in vrbem Ierusalem munit ciuitatem Dauid, & arce noua, & firmo Gentilium præsidio, qui ritus suos gentiles cum scandalo ciuium introduxerunt: Vnde ciues ne tale scandalum paterentur, relictis domibus & prædiis aufugerunt. Tandem impius rex Antiochus scripsit omni regno suo, vt esset omnis populus vnus, & relinqueret vnusquisque legem suam; Et consenserunt omnes gentes secundùm verbum regis Antiochi, multi quoque ex Israël: misit insuper libros gentilici ritus, & iussit aras idolis extrui, illisque sacrificare, & quod summum impietatis est anno centesimo quadragesimo quinto regni Græcorum ædificauit abominandum idolum desolationis super altare Domini: ministros quoque misit rigidos suorum mandatorum exequutores, qui sub pœna mortis oppressos Iudæos sacrificare & alia illicita contra legem facere compellebant, sacrosque libros dilaceratos igne consumebant: Vnde tunc summa fuit in Israël miseria; nam & mulieres filios suos circumcidentes

cumcidentes

circidentes, ipſoſque circonciſos pueros crudeliter necabant. His cooperabatur impius Iaſon, poſtquam fratrem ſuum Oniam ſummum ſacerdotem muneribus impiiſque promiſſis deponi procurauit, ipſeque pontificatum obtinuit factus gentilis, qui patriæ priuilegia abrogauit, & ſub ipſa aror gymnaſium Sodomiæ omniſque immunditiæ conſtruxit. Sed infœlix Iaſon citiùs à põtificatu deponitur inſidiis Menelai alterius fratris ſeipſo peioris, qui maiores reditus obtulerat regi; hic enim abſente rege, muneribus Andronicum Antiochiæ præfectum ſibi conſiliat, & Oniam fratrem verum pontificem, cuius increpationes moleſtè ferebat, occidi procurat, vt eius morte pontificatum ſibi firmaret: malus hic miniſter Oniam ex Aſylo Daphnis fraudulenter eductum ſecretò necauit: ſed ipſe periurij & ſacrilegij pœnas luit; nam rediens Antiochus illum purpura exutum per ciuitatem iuſſit circumduci, & in loco mortis Oniæ necari. Cum autem Menelaus, vt promiſſam regi pecuniam ſolueret, Lyſimacho commiſiſſet Templi Ieroſolymitani Theſaurum diripere, hic malus miniſter tumultu populi concitato in ipſamet actione ſacrilega lapidibus & fuſtibus interficitur; timenſque Menelaus ne ſeditionis crimen in ipſum refunderetur, corrupto muneribus Ptolemæo aulico, ipſoque mediante regem ſibi concilians contra ciues Ieruſalem animauit.

Cum decreuiſſet Dominus Iudæorum nationem, ob eorum ſcelera caſtigare, ſub initium perſecutionis Antiochi, priuſquam apertè legem Iudaicam abrogare tentaſſet, tanta crudelitate ſæuiens contra legis obſeruatores, qualem iam paucis deſcripſimus, portenta ipſis terrifica, futurorum prænuntia malorum oſtendit, vt ſic perterritos à peccatis remoueret, ac pœnitentes mitiùs caſtigaret. Hæc autem portenta ſic libro 2. Machabæorum cap. 5. referuntur: Contigit autem per vniuerſam Ieroſolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis, quaſi cohortes, armatos, & currus equorum per ordines digeſtos; & congreſſiones fieri cominus; & ſcutorum motus, &

galeatorum multitudinem gladiis diſtrictis, & telorum iactus, & aureorum armorum ſplendorem omniſque generis loricarum : qua propter omnes rogabant in bonum monſtra conuerti. Tunc Iaſonis & Menelai fratrum de pontificatu diſputantium ſeditio totam Iudæorum Rempublicam turbare cœpit : nam Iaſon de pontificatu per Antiochum depoſitus, audiens ſparſum de eius morte rumorem, & iudicans tempus opportunum rursùs inuadendi pontificatum, collectis mille viris Ieruſalem aggreditur, & amicorum quidem inſidiis admiſſus vrbem ingreditur, vbi multas ciuium cædes patrauit : ſed cum ſe parum videret tutum, Menelao fratre arcem tenente cogitur recedere, & tanquam profugus à patria de ciuitate in ciuitatem fugit, vbique ipſum Diuina perſequente iuſtitia, vt habetur ex ſcriptura : Primò namque fugit ad Ammonitas, inde ad Arabas, poſtea ad Ægyptum, tandem ad Lacedemonas, vbi miſer periit, cuius corpus tanquam hominis impiiſſimi proiicitur inſepultum.

Contigit hoc tempore reditus Antiochi de Ægyptiaca expeditione; qui quidem non fuit voluntarius cum ſibi regnum ſubieciſſet, ſed Romanorum mandato coactus. In hoc reditu contigit illa Ieroſolymorum direptio ſuperiùs indicata, & poſtmodum manifeſta ſæuiſſimaque perſecutio iam dicta; cuius occaſio fuit Iudæorum ad regem Ægypti adhæſio, quam Antiochus vlciſci voluit. Sed tandem miſericors Dominus electi populi pœnitentia commotus eſt & maximè eorum, qui definierant apud ſe vt non manducarent immunda, & elegerunt magis mori quàm cibis coinquinari immundis, & noluerunt infringere legem Dei ſanctam, & trucidati ſunt; facta ira magna ſuper populum valde. Præ cæteris enituerunt Sancti Martyres Eleazarus, ac ſeptem fratres Machabæi, qui ex Ioſepho vocabantur Machabæus, Aber, Machir, Iudas, Achas, Areth & Iacob : Mater verò ipſorum Salomona.

Ta

Tam horribilem videns persecutionem contra sanctam Dei legem & populum fidelem, Mathathias filius Ioannis filiis Simeonis, sacerdos ex filiis Ioarib ab Ierusalem, zelo Dei motus surrexit, & iniquis impij regis Antiochi mandatis palam resistere cœpit. Manebat in monte Modim, quinque habens filios, Ioannem cognomento Gaddis, Simonem cognomento Thasi, Iudam cognomento Machabæum, Eleazarum cognomento Abaron, & Ionathan cognomento Apphus. Hic vir sanctus suis filiis adiutus generosum induens animum audet bellum sanctum aduersùs Antiochi tyrannidem impiam prædicare, suos excitans conciues ad legis Diuinæ custodiam: Dum autem accensis illos verbis animaret, accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in ciuitate Modin, secundùm iussum regis, & vidit Mathathias & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundùm iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram; sed & virum quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit, & zelatus est legem; Vnde tali facto populum ad defectionem mouit, ipseque princeps & summus sacerdos eligitur communi consensu populi, cum iam mortuus esset Onias, & Iason Menelausque illegitimi essent pontifices; Et ad eum sic electum plures aggregantur; Cum autem metu violandi Sabbati plures Iudæi fuissent ab Antiochi ministris occisi, declarauit ipse legem obseruationis Sabbati in tanta necessitate non obligare. Dum Mathathias populum suum solatur, & armis protegit, iam senex effectus moritur in ciuitate Modim, postquam filios & fideles amicos exemplo suorum Patriarcharum ad legis obseruantiam & patientiam fuisset adhortatus, de agendis post suam mortem disposuisset, suumque successorem filium Iudam Machabæum instituisset: Post mortem omnis Israël planxit eum planctu magno.

Successit patri Iudas Machabæus tam in ducatu po-

puli, quàm in summo pontificatu: de quo dixit Iosephus Gorionides, quòd protulit Mathathias cornu cum oleo, & effundens super caput eius, vnxit eum ad prælia, vociferansque vniuersus populus, & clangentes tuba dixerunt, *Viuat rex.* Tunc Iudas strenuè bellum Domini cœpit gerere; & statim vicinos ethnicos & apostatas Iudæos mira fœlicitate expugnauit: Quibus auditis Apollonius præfectus Syriæ congregauit exercitum contra Iudam, cui obuiam processit Iudas, ipsumque dissipato direptoque exercitu debellauit & occidit, cuius assumpto gladio semper deinceps vsus est. Pugnauit deinde contra Seronem Apollonij successorem, quem etiam contriuit. His Iudæ victoriis exterritus rex Antiochus, cum in Persidem discessurus esset, reliquit Lysiam hominem regio semine pro regē Syriæ filiique sui Eupatoris contritium, qui regis mandato maximum exercitum ad quadraginta millia peditū & septem millia equitum sub tribus congregauit ducib⁹, scilicet Ptolemæo, Nicanore & Gorgia, de quibus Iudas cum exercitu paruo septem millium militum triumphauit. Tunc Onias filius Oniæ pontificis transfugus in Ægyptum templum Iudæis ædificauit ad similitudinem Ierosolymitani, concessā sibi facultate ab Ptolomæo rege & Cleopatra regina: Et paulò post dictas victorias reparatum fuit à Iuda templum Ierosolymis, ac munitum, in cuius dedicatione magna festiuitas est celebrata: Rex Antiochus dum pergit in Persidem, traiicit Euphratem, Artaxiam Armenorum regem debellatum capit, ad Elymaidam celebrem Persidis ciuitatem multis Alexandri magni donariis ditissimam aduolat vt eam diripiat: sed detecta eius intentione ciues vrbem tuentur; Vnde tristis recedere cogitur versus Babylonem: Didicit in ipso recessu, quàm malè suis ducibus in Iudæa successerat, & quàm gloriosi essent Iudæi; ex quibus omnibus eum inuasit summa tristitia: Cumque iter acceleraret ex agitato curru decidit, & toto corpore contritus non ferens vlterius agitationem currus humili gestatorio deinceps portatur,

tur, intimiſque viſcerum doloribus tactus incidit in languorem, & rupta cute corporis vermes ebulliunt, tantuſque fœtor manabat, quòd nec ipſe ſeipſum ferre poſſet: Vnde ſe Diuinitùs plexum intelligens ob enormia ſcelera & ſacrilegia contra Iudæos commiſſa, dicere cogitur; Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire; pœnituit ipſum de peccatis, multaque Deo nouit; ſed quia non recta fuit pœnitentia propter Deum, orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus. Scripſit Iudæis humaniſſimas litteras ea intentione, vt potiùs Eupatori filio quàm Demetrio nepoti fauerent: & iam moriturus vocauit Philippũ vnum de amicis ſuis, & præpoſuit eum ſuper vniuerſum regnum ſuum, & dedit ei diadema, & ſtolam ſuam & annulum, vt eſſet quaſi nutritius Eupatoris filij. Sic rebus diſpoſitis Antiochus homicida & blaſphemus peſſimè percuſſus, vt & ipſe alios tractauerat, peregrè in montibus (ſcilicet in Tabes oppido Perſidis) miſerabili obitu vita functus eſt: Cuius corpus detulit Philippus in Ægyptum, timens Lyſiam. Dum hæc Diuinitùs in Antiocho agerentur, vbique victor euadit Iudas Machabæus, pugnans contra Idumæos, Bæanitas & Ammonitas, eis varias eripiens ciuitates & oppida, vt Hebron & Azotum; eius tamen gaudium non parua miſcetur triſtitia, dum Ioſephus & Azarias contra mandatum eius expreſſum cupiditate gloriæ pugnantes ad Iamniam ciuitatem maritimam vincuntur à Gorgia, cæſis duobus hominum millibus. Audita Antiochi Epiphanis morte, ſtatim Lyſias Antiochum Eupatorem, quem in patris abſentia abuerat, ipſi patri ſuffecit in regnum, à quo ipſe ſuper omnia regni negotia conſtituitur, ad excluſionẽ Philippi, quem ei moriens Antiochus pater velut tutorem & nutritiũ præfecerat. Poſt hæc, præmiſſis aliquot Caſtrorum expugnationibus contigit Iudæ mira & miraculoſa de Timotheo Ammonitarum victoria: Cum enim is magno cum exercitu contra Iudæos veniſſet; hi Dominum humiliter inuocantes

ptum obtinent de cœlo ſubſidium : nam inito certam
quinque viri equites de cœlo deſcendentes apparuer
in aureo apparatu,qui Iudæis ducatum præſtabant,& M
chabæum medium conſeruabant ; quorum fulgore ter
hoſtes facilè diſſipantur , & ad viginti quinque mil
quingentos pedites & ſexcentos equites cæſi ſunt t
& fulminibus,quæ quinque cœlites illi iaciebant.Si
auxilio cœleſti Iudas iterum Lyſiam proregem debe
uit:Hic venerat contra Iudæos cum octuaginta pedit
millibus,octuaginta elephãtis,& vniuerſo regis equita
ſed Iudæi ſub aſpiciis cœleſtis equitis,in veſte candid
armis aureis exercitum præcedentis , irruentes quaſi l
nes debellant hoſtes , interfectis vndecim millibus p
tum , & mille ſexcentis equitum ; Vnde Lyſias ad pac
ineundam compellitur. Cum poſtea præſidiarij mil
arcis Sion irruptiones in ſubiectam vrbem Ieruſalem
cerent,obſidet arcam Iudas, obſeſſi ſubſidium à rege
ſtulant , congregato iam exercitu rex accurrit cum l
ſia , Bethſuram capit magna ſuorum clade,deinde Ieru
lem obſidet,ſed breui ſoluit obſidionem,vt rediret qu
citiùs Antiochiam aduersùs Philippum Lyſiæ com
titorem , qui Antiochiam occupauerat , imò inita p
cum Iudæis (quam tamen breui violauit) vrbem & te
plum ingreſſus eſt ; at periurus murum deſtruxit : ſed
huc pace continuata cum Iudæis,quorum indigebat o
ra contra Philippum , vt eis rem gratam faceret , ſu
Lyſiæ Menelaum pſeudopontificem infenſiſſimum
dæorum hoſtem amandauit Berœam,ibique mandaui
terfici. Dum hæc in Syria fiunt , Demetrius regni S
legitimus hæres(vt pote filius Seleuci regis,cuius regn
Antiochus Epiphanes inuaſerat , dum obſes Romæ d
neretur) libertatem ſuam à Senatu Romano petiit ;
obtinere non potuit , Senatus enim Antiocho Eup
intruſo fauebat:Vnde fugam meditatus conſilio Dio
clientis & intimi amici,tandem exequutioni mandat o
ra Menythilli legati Philometoris Ægypti regis ; ab

nam

namque Nauarcho commendatus summo mane Carthaginensem ingressus nauẽ aufugit, & Tripolim breui peruenit, vbi manifestus, & à suis exceptus exercitu coacto recipit Apamæam ad Orontem fluuium, & inde procedens venit Antiochiam, ipsumque regem Antiochum Eupatorem suum consobrinum cum Lysia captum iussit interfici, sicque regnum amissum recuperans, sublato competitore regnat in pace; maximè postquam pluribus oblatis muneribus Senatum placauit, & ab eo regnum obtinuit. Tunc ad eum impius accessit Alcimus, & mortuo volens succedere Menelao pontificatum maximis emit muneribus; ac simul cogitauit accusatum apud regem perdere Iudam Machabæum: sed hic elusit mirabili prudentia dolum Nicanoris volentis ipsum intercipere, & magna generositate congregatum postea exercitum dissipauit, occisis cum ipso duce triginta quinque millibus hostium: Hoc tempore misit Iudas legatos Romam, fœdus cum Romanis initurus, qui humaniter excepti legationem fœliciter expleuerunt: Rex autem Demetrius Cæde Nicanoris, totiusque sui exercitus ruina contra Iudam excãdescens, misit iterum in Iudæam Bacchidem & Alcimum cum potenti exercitu, vt captum Iudam haberet, vel pugnantem interficeret: Occurrit Iudas cum tribus electorum millibus, qui hostium insolito timore perculsi sic dissipantur, vt vix octingenti remanserint, qui recessum Iudæ suadebant; sed his generoso animo, & mira in Diuinam voluntatem resignatione certamen iniit, firmissimum inimicorum cornu dextrum aggressus contriuit, sed dum fugientes insequitur, ipse ab aliis insequentibus interficitur maximo Iudæorum damno, & immenso luctu; ipsumque Ionathas & Simon fratres sepelierunt in sepulchro patrum suorum in ciuitate Modin.

Mortuo Iuda Machabæo sufficitur communi Iudæorum consensu Ionathas eius frater, & in ducatu Reipublicæ, & in summo pontificatu: Cuius electionem intelligens Bacchides voluit eum occidere; sed aufugiens Io-

nathas

nathas mortem euasit: Tunc residens in deserto Thecuæ & consedens ad lacum Aspar, misit fratrem suum Ioannem cum manu militum ad Nabuthæos amicos suos vt auxilium peteret, qui vltra Iordanem longiùs ad orientem habitabant; at irruentes Arabes filij Iambri ex Madaba illum occiderunt: sed breui Ionathas mortem fratris vlciscitur trans Iordanem profectus, vbi sponsam vnius principis gentis illius cum toto comitatu adortus multos occidit, & omnia spolia accepit. Post hæc Bacchides Ionatham vltra Iordanem inquirit, & inuentum aggreditur, quem Ionathas inuasit recta, sed illo declinante letiferum ictum, de pugna recessit cum suis Ionathas occisis mille hostibus, natatu traiecit Iordanem, venit in Ierusalem, vbi loca ad resistendum idonea muniuit: Tunc impius Alcimus paralysi punitur, & moritur cum tormento magno. Omnem adhibuit Bacchides diligentiam, vt Ionatham dolo caperet, aut interficeret; sed detectis insidiatorum consiliis, ipsos cepit, & quinquaginta viros occidit, & in desertum Ierichuntinum recessit: Vnde Bacchides frustratus sua spe, cum ipso fœdus init regis nomine. Elapsis deinceps quatuor annis, Alexander dictus nobilis qui se filium Antiochi Epiphanis iactabat; sed vel illegitimus, vel suppofititius fuit, & licet legitimus fuisset, tyrannicè tamen regnum Syriæ inuasit, optima vsus occasione generalis odij quo Syri regem Demetrium prosequebantur; Vnde Ptolemaidam ciuium deditione cepit. Hæc audiens Demetrius volens Iudæos ab Alexandro sollicitante eos auertere, misit honorificas Ionathæ literas ad fœdus renouandum; sed maioribus illum honoribus ac donis prosequutus Alexander, ad suas partes traxit, qui postmodum inito generali conflictu Demetrium debellauit & occidit. Vnde victor totum Demetrij regnum inuasit, & cum Ptolomæo Philometore contraxit affinitatem, ducta in matrimonium filia eius Cleopatra, quam Ptolemæus pater vsque Ptolomaidam comitatus Alexandro regi sponso tradidit. Cum Alexander ducta

coniug

coniuge torperet; venit ex Insula Creta Demetrius filius Demetrij Soteris anno quinto regni eius, qui susceptus à Syris regnare cœpit ex parte, sed mortuo deinde Alexandro solus regnauit. Hic Apollonium Cælesyriæ præfectum, & antiquum sui patris amicum, elegit ducẽ exercitus, quem contra Iudæos Alexandri competitoris sui fautores destinabat: Occurrit illi cum decem millibus Ionathas, Ioppem eripit illi deditione captam, deinde debellato illo Azotum resistentem vi capit, diripit & succendit, denique progressus Ascalonem, & honorificè receptus à ciuibus vltrò oblatam deditione possidet: Quapropter, vltra honores & munera regis Alexandri, totam Philisthinorum possessionem dono recepit. Tunc Ptolomæus Philometor rex Ægypti, tam bona duorum regum de regno Syriæ dissidentium vsus occasione, decreuit hoc regnum Ægyptio incorporare: Vnde congregato ingenti exercitu properat in Syriam sub specie genero suo Alexandro auxiliandi: sed ab eius subditis benignè receptus, captas hac fraude ciuitates tyrannicè præsidiis Alexandri expulsis, & nouis positis retinebat. Quam audiens perfidiam Alexander, qui tunc in Cilicia ad reparandam populi defectionem degebat, interficiendi Ptolomæi curam dedit Ammonio, quod is irrito conatu Ptolemaide tentauit: Cumque insuper audisset eundem Ptolomæum Demetrio legatos misisse, filiamque Cleopatram vxorem suam ei obtulisse, & Antiochiam ingressum duo diademata, vnum Ægypti, Asiæ alterum imposuisse capiti, cum exercitu ad eum properauit: sed cum fortior esset Ptolomæus, fugatur Alexander, & profugus ad Arabas ab Zobdiele Dinasta necatur, & præscissum eius caput ad Ptolomæum mittitur; verùm tertia die post ipsum moritur Ptolomæus vulnere suscepto ad caput in generali conflictu. Huic Ptolomæo successit frater Ptolomæus Euergetes qui Cyrenis regnabat, ingressus Alexandriam, vxorem duxit viduam fratris sui, eiusque filium successorem regni legitimum

timum interfecit , & ſicut tyrannicè regnum vſurpau,
ſic & tyrannicè cædibus & vexationibus adminiſtrau.
Vſus Ionathas diſcordia regum Syriæ & Ægypti volu
arcem Ieroſolymitanam occupare;ſed vocatus à rege De
metrio ſoluit obſidionem : Tunc ſucceſſit , regem Deme
trium Syris inuiſum fuiſſe,eo quòd extraneis tantùm mi
litibus vteretur;vnde commota ſeditione maxima Antio
chiæ , rex ad arcem ſe recipere coactus eſt,Ionathamq
vocauit in auxilium contra ſeditioſos , cuius aduentu re
liberatur occiſis ad centum millia, direpta & ſuccenſa ci
uitate. Sed rex perfidus , qui mira Ionathæ tempore ne
ceſſitatis promiſerat , non ſolùm non tradidit ipſi arcem
Ieroſolymitanam & alia promiſſa , ſed etiam conuer
contra Iudæos incenſores Antiochiæ ac Syriæ vaſtatores
ſuorum odio , diſpicit Ionatham,bellumque minatur ni
ſi annua ſolueret tributa : quod ſine dubio intuliſſet, ni
ſi ſuperueniente ex Arabia Tryphone cum Antiocho re
gis Alexandri filio, & exercitu potenti veteranorum mi
litum , quos Demetrius tanquam inutiles dimiſerat,ipſe
met Demetrius laceſſitus & victus fugiſſet in Meſopo
tamiam,vbi Dux Græcorum & Macedonum electus co
tra Mithridatem ſeu Arſacem Parthorum regem profi
citur , à quo captus eius filiam nomine Rodogunam
matrimonium poſtea duxit. Tryphon victor effectus,
in ciuitatem Antiochenam admiſſus,communi conſe
populi tutor noui regis Antiochi declaratur : Deinde r
gis nomine fœdus init cum Iudæis , confirmato Ionat
principatu , collataque Simoni eius fratri Phœnicis
Palæſtinæ præfectura à terminis Tyri vſque ad fi
Ægypti. His igitur beneficiis aſtrictus Ionathas, & re
centi perfidia Demetrij motus Antiochi partibus adhæ
eiuſque auxilio cepit Aſcalonem & Gazam : Et relic
ad obſidionem Bethſuræ Simone fratre, qui fœlici
eam expugnans ad deditionem compulit, contra fauto
demetrij proceſſit in Galilæam,quos vicit & fugauit,lic
à ſuis derelictus,iterumque congregatos recedere coëg

Tu

Tunc Ionathas misit Romam Numenium & Antipatrum, vt cum Romanis, & in reditu cum Spartiatis amicitiam renouaret, & interim Ierusalem ædificatis muris communit, & Simon eius frater Ioppem iam rebellātem conseruat. Post hæc volens Tryphon paruuli regis Antiochi regnum vsurpare, timuit perfidus Ionathæ fidelitatem & potentiam, vnde quærebat comprehendere eum & occidere; Venit in Bethsam seu Scythopolim vltra Iordanem in dimidia Tribu Manassis sitam, ad quem Ionathas cum quadraginta millibus virorum aduolat: sed nimis credulus decipitur Ionathas, & suum exercitum dimittere persuasus sub prætextu pacis, & Ptolemaidam sub specie honoris & acquisitionis eius fraudulenter adductus capitur: Et cum Tryphon eum comecisset in vincula, perfidiam suam simulato prætextu detentionis centum talenta argenti cum duobus eius filiis obsidibus obtinuit; & tunc tam Ionatham quàm eius filios trucidauit: Occiso autem Ionatha, Tryphon nullum iam timens qui posset suæ ambitioni resistere, dolo regem occidit, & regnum vsurpauit: eum dolum sic declarat Liuius Epitome 55. Antiochus Alexandri filius rex Syriæ decem annos admodum habens, à Diodoro, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo per fraudem occisus est, corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant illum, occiderunt.

Simon communi consensu populi Dux & summus Pontifex constitutus procurauit corpora fratris sui Ionathæ & filiorum eius, quæ in magnifico sepeliuit Mausolæo, quod parentibus suis totique familiæ construxit: deinde incolumitati patriæ totus vacans, ciuitates munit, & ad expulsum regem Demetrium legatos cum muneribus misit, oblitus antiquam eius cum Iudæis inimicitiam, vt nouam Tryphonis crudelitatem vlcisceretur, eiusque tyrannidem auerteret: Demetrius legatos libenter admisit, & fœdus firmum deinceps cum Iudæis iniit concessis pluribus priuilegiis & exemptionibus. Tunc

Simon

Simon Gazam rebellem subiugauit, arcem Sion in Ierusalem tandem cepit,& magna fruitur pace,dum Trypho cum Antiocho Sidete fratre Demetrij pugnans occupatur:cooperante præsertim Cleopatra Demetrij regis vxore, quæ cum filiis Seleuciam tenebat. Antiochus Sidetes expulso Tryphone regnũ Syriæ fratri perfidus inuasit, licet exteriùs se eius nomine fingeret administrare; propterea beneuolum inuenit Simonem, cui antiquas concessit immunitates: Cleopatram fratris vxorem altera perfidia duxit in matrimonium,& coacto potenti exercitu Tryphonem à suis desertum persequitur, & in Doram castrum munitissimum transfugam obsidione cingit, ibique repudiatis duobus electorum millibus à Simone missis,initum fœdus violat;& Gazam,Ioppem, & arcem Sion sub minis repetens: Interea Tryphon elapsus naui, custodibus pecunia corruptis, venit Orthosiadem vrbem Phœniciæ;sed ibi rursùs,vel Apamææ vt alij volunt,obsessus occiditur mandato regis, vel ipse sibi violentas manus iniecit. Turbatur hoc tempore pax Iudæorum Cendebæo regis Antiochi Sidetis duce misso in Iudæam, cui tamen Simon generosè resistit: Dum rex ip[se] Demetrius, quem supra vidimus in Parthia primò captiuum, deinde regis Arsacidis generum, fugam meditatur ad suos venit in Babylonem Callimandro duce: sed re[ge] Parthorum insequente captus & grauiter increpatus in Hyrcaniam remittitur ad vxorem, & arctioribus excubiis custoditur, quod etiam iterum successisse traditur, nec seueriùs in eum rex Parthorum egit, qui eo vti volebat contra Antiochum fratrẽ hostili animo in Parthiam accedentem,vt vsurpatas regni prouincias occasione fratris detenti recuperaret. Contigit tunc mors violenta Simonis, qui cum Mathathia & Iuda filiis Ierichuntinã regionem, lustrans occiditur dolo Ptolomæi filij Abobi,cui filiam in matrimonium & regionis illius præfecturam tradideret: nec satis fuit infideli genero socerum suum cum duobus cognatis interfecisse,voluit enim & Ioannem

Hyrcanum

Hyrcanum alterum Simonis filium missis insidiatoribus occidere; sed hic audiens à præcurrente nuntio mortem patris & fratrum, insidiatores capit & occidit.

Mortuo Simoni successit Ioannes Hyrcanus filius in vtraque dignitate, videlicet Ducis & summi pontificis: contra quem processit Sidetes, & obsedit Ierusalem, sed cum de Parthica cogitaret expeditione, facilè propositas pacis conditiones honorificas & vtiles cum quingentis talentis admisit, & fortè metu Romanorum, quorum potentia & renouata cum Iudæis amicitia toti formidabilis erat orienti. Vnde bello Iudaico liber, contra Parthos processit: Ad ipsum accessit cum auxiliaribus copiis Hyrcanus pontifex; Cumque obuium habuisset Indatem Parthorum ducem, ad Lycum fluuium debellauit, ibique per biduum rogatus ab Hyrcano stetit propter sabbatum & sequens festum Pentecostes. Inde progressus multos recepit orientis principes ad ipsum deficientes, & triplici prælio victor Babylonem occupauit. Tunc Phraartes rex Parthorum Demetrium suum captiuum in Syriam cum Parthico remisit præsidio, vt sic Antiochus Sidetes illò recederet, ne à fratre suo spoliaretur regno: sed interim cum Antiochum habuisset obuium, illum etsi fortiter pugnantem occidit, & inueniens adductam ab Antiocho patruo filiam Demetrij duxit vxorem: non desunt tamen qui hunc Antiochum dicant esse eundem, quem sacra scriptura libro 2. Machabæorum cap. 1. lapidibus obrutum affirmat in Perside in templo Naneæ, quam stulto sacerdotum consilio voluit vxorem ducere, & pecunias templi eius nomine dotis accipere; fortè Phraartes hanc ad eum perdendum inuenit occasionem. Videns rex Parthorum mortuum Antiochum, & ob eius mortem duces eius recessisse, optasset adhuc habere Demetrium quem dimiserat, misit ad eum retrahendum equites, sed iam in regno receptum inuenerunt. Cum iam regnum suum recepisset de expeditione Ægyptiaca cogitat: Ægyptij Ptolomæum Euergetem ob crudelitatem expulerant de regno, qui in insula

Cypro exulabat:Et Cleopatra soror eius & coniux ipsius expulsioni consentiens,ipsum tamen timens, Demetriu Syrię regem ex perside reducem generumque suum in a xilium vocat, pollicita regnum in pretium auxilij (ha enim Cleopatra ex primo marito Ptolomæo Philome re filiam habuerat sui nominis Cleopatram ; quæ prim Alexandro Balæ siue Nobili nupsit , ex quo genitus Antiochus à Tryphone occisus ; Secundò nupsit isti D metrio cognomento Nicanori,ex quo geniti sunt Anti chus Gryphus & Seleucus ; Tertiò nupsit Antiocho S deti,ex quo suscepit Antiochum Cyzicenum:Sed mort Sidete rediit ad Demetrium).Dum Demetrius esset in Æ gypto,& aliena affectaret,vt assolet fieri, propria per d fectionem Syriæ amisit ; siquidem Antiochenses pri superbiam regis execrantes, quæ conuersatione Parthi crudelitatis facta fuerat intolerabilis;mox Apamenij,ca teræque ciuitates exemplum secutæ ab absente Demetr defecerunt : Et legatos ad Ptolomæum Euergetem Cyprum miserunt mutuæ confœderationis causa con Demetrium hostem communem, & ab ipso petentes a quem ex Seleuci genere quem regem constituerent. D metrius audita Syrorum defectione , simulque tim Euergetis aduentum rediit in Syriam,eumque comita Cleopatra Socrus redeuntis mariti fugiens crudelitate secumque diuitias Ægypti nauibus impositas asporta Tunc Euergetes misit in Syriam iuuenem Ægypti Protarchi negotiatoris filium , qui fingens se Antio Sidetis filium adoptiuum facilè à Syris admittitur, Ægyptum viribus roboratur, de quo sic ait Iosephus: Ptolomæus misisset Alexandum Zebinam (seu Zeb nam cognomine) commisso prælio Demetrius , & fu giens à pugna ad Cleopatram vxorem in Ptolemaide exclusus est ab ea, delatusque inde Tyrum cum pa seruulis, ab aliis derelictus capitur ab inimicis,& diu ferè vexatus tandem interficitur. Dum hæc in Syria runtur, Ioannes Hyrcanus, patriæ prouidet : totam

p

penè Iudæam subiicit sibi, maritimas ciuitates Ioppem, Ascalonem & Gazam obtinet à Romanis, missa Romam legatione honorifica; Samaritanos, Ammonitas & Idumæos domuit, ipsosque coëgit Idumæos, tanquã Abrahæ descendentes, admittere circumcisionem totamque legem Iudaicam. Dum Hyrcanus potens viribus & diuitiis in Iudæa dominatur, Alexander Zebina rex Syriæ intrusus volens regnum suum stabilire contra legitimos hæredes, tam Demetrij quàm Antiochi Sidetis, misit ad eum legatos ineundæ pacis causa, cui pontifex consensit, timens ex bello vexationem patriæ. Cleopatra coniux vidua Demetrij, quæ cædi eius consenserat, noui regis indulgentia id gratiam Ptolomæi Euergetis patrui sui, partem regni adhuc possidebat, vbi Seleucus eius filius ex Demetrio regnare cœpit, quem crudelis mater interemit sagitta, vel volens Alexandro placere, vel timens ab ipso filio ob cædem patris: Eodem furore voluit postea Antiochum Gryphum, sic dictum ob nasum longum & aduncum, alterum ex Demetrio filium veneno perimere, sed is fugiens Athenas periculum mortis euasit. Interim Alexander Zebina, vilis origine, non capiens seipsum præ regio honore, fit intolerabilis populo, & insolens tam Cleopatræ reginæ quàm Euergeti eius patruo, quod eius ruinæ causa fuit: nam ex vna parte Cleopatra filium Antiochum Gryphum Athenis ad Syriæ regnum aduocat, & Ptolomæus Euergetes mittit ei auxiliares copias & Tryphenam filiam ipsi nupturam, vt & belli societate & affinitate sua populos ei conciliaret. Potens igitur effectus Antiochus Gryphus in Alexandrũ procedit, quem à suis derelictum certamine vincit, ipsumque Antiochiã profugũ persequitur, vbi cum miser Alexander primò solidũ ex auro Victoriæ signum accepisset, & deinde simulachrum Iouis aureum infiniti ponderis tollere tentaret; vt stipendia suis militibus pararet, cõcitata populi seditione fugit, & captus à latronibus, & ad Antiochum Gryphum adductus interficitur. Liberatus Antiochus Gryphus ab Ale-

xandro regnum firmat, & matrem sibi venenum insidiose parantem ad illud bibendum coëgit, & postmodum octo annis pacificè regnat: non audet tamen aliquid nouū contra Iudæos tentare, audiens Antiochum fratrē suum vterinum ac filium Antiochi Sidetis patrui copias contra ipsum Cyzici ad Propontidem colligere, ex cuius mansione Cyzicinus dictus est. Mortuo in Ægypto Ptolomæo Euergete Cleopatra eius vxor regnum quidem, etsi coacta populo, Lathuro maiori filio tradidit, Cleopatram tamen eius vxorem simul & sororem expulit, quæ veniens in Syriam Antiocho Cyziceno nupsit, eique Cyprium exercitum adduxit, quo plurimùm roboratus contra fratrem Antiochum Gryphum pugnat, prælioque victum, & postmodum expugnata Antiochia deiecit è regno. Cyzicenus victor imploratum Samaritanis ab Hyrcano obsessis auxilium ferre; sed virtute Iudæorum obsidentium victus repellitur, & tunc post annum obsidionis capta Samaria solo æquatur, & templum Garizim destruitur. Senior Cleopatra filium regem Lathurum, post decimum regni annum, expulit Alexandria, & Seleucem seu Selenem vxorem simul & sororem natu minorem ab eo separauit: illoque in Cyprum fugiente, fratrem eius Alexandrum natu minorem constituit regem.

Mortuo Ioanne Hyrcano post trigesimum primum Ducatus annum, vel post quadragesimum iuxta alios, successit tam in Ducatu quàm in Pontificatu primogenitus eius Aristobulus, qui volens principatum in regni formam vertere, diadema sibi primus imposuit post quadringentos octuaginta & vnum annos & menses tres, ex quo de captiuitate Babylonica liberatus populus ad pristinas sedes reuersus est. Hic supra modum ambitiosus matrem cum aliis fratribus coniecit in vincula, quia principatus æmulam, quia Hyrcanus moriens ipsam rerum dominam reliquerat, eamque fame necauit: deinde suum secundum fratrem Antigonum, quem præ aliis diligere videbatur, & in regni societatem admiserat, interfecit

utus ab eo per calumnias & artes Alexandræ ſeu Salomes xoris ſuæ: ſed huius cædis pœnitens languebat triſtitia; nde primo regni anno moritur poſt acquiſitam Itureæ artem.

Poſt Ariſtobuli mortem, ait Ioſephus, Salome eius xor, quam Græci Alexandram nominant, ſolutis eius ratribus quos ipſe vinxerat, Iannæum, qui & Alexander ocatur, regem conſtituit, ætate cæteros atque modeſtia æcedentem. Potitus regno Iannæus alterum fratrem bi inſidiantem peremit, alterum Abſalonem nomine riuata vita contentum habuit in honore: Voluit regnum dilatare, dum vterque Antiochus Gryphus & Cyzicenus de regno Syriæ diſputant armis: Vnde Ptolemaiam obſidet, ſed adueniente ab inſula Cypro Lathuro ge Ægypti in auxilium obſeſſorum, ſoluit obſidionem; cedens autem in Iudæam doloſum cum Lathuro fœdus it, promiſſis quadringentis argenti talentis, vt eius aulio poſſet Gazam, turrim Stratonis & Doram occupa: ſed cum fideliter eum Lathurus adiuuiſſet, ipſe proditiè Cleopatram matrem ad opprimendum Lathurum lium excitauit: Quam proditionem cum audiſſet Lathurus, relicta parte exercitus ad obſidionem Ptolemais, cum alia parte Iannæum petit, obuium cum quinuaginta millibus ad Iordanem debellat cæſis triginta illibus, pluribuſque captis, ſimulque capit Gazam & tolemaidam: Sed Cleopatra, quæ cum Alexandro filio gnabat in Ægypto, timens nouam Lathuri potentiam ſtructa Claſſe venit in Syriam: Ptolemaidam expunat; Et tunc Iannæus Gadaram & Amathuntem capit, & ptam Gazam ſibi infidelem diruit, quingentis Senatoibus iugulatis: Poſtea inſidiis Heracleonis Antiochum ryphum occidit anno ætatis quadrageſimo quinto, & gni vigeſimo nono. Huic ſuccedens in iure regni filius leucus V. Cum patruo Antiocho Cyziceno bellum rens, captum neci tradidit: ſed is breui ab Antiocho uſebe Cyziceni filio pellitur, & fugiens in Ciliciam

cum tributa voluiſſet exigere, à Mopſueſtenis in ſua re-
gia cum amicis concrematur. Antiochus eius frater vo-
lens regnum inuadere,ab Antiocho Euſebe debellatus &
ſpem regni & vitam amiſit. Nec pacificus regnat Euſe-
bes, nam fratres eius Philippus & Demetrius continuò
illum infeſtarunt, donec ipſe veniens Laodiceam Galatiæ
in auxilium reginæ,fortiter pugnans cum Parthis cecidit.
Tunc accidit, quod dum Cleopatra filio regi Alexandro
parat inſidias, ab ipſomet ſecretè perimitur; Cuius mors
cum innotuiſſet, Alexander tanquam impius Ægypto
pellitur, & Lathurus tanquam pius reuocatur ad regnum.
Iannæus Iudæis ob nimiam rigorem inuiſus eſt, qui
contra ipſum Demetrium Eucærum prouocant: Is cum
exercitu veniens in Iudæam, Iannæum debellat; ſed per-
gens contra Philippum fratrem Beroeæ capitur à Parthis
& ad Mithridatem Parthorum regem miſſus morbo dece-
ſit:Et Philippus Antiochiam profectus,totius Syriæ regno
potitur:ſed breui turbatur ab Antiocho fratre dicto Dio-
nyſio,qui Damaſci regnauit;Verùm breui mortuo Syria
Damaſcena deuenit in manus Aretæ regis Arabum:Mor-
tuo quoque breui Philippo ſucceſſit Tigranes rex Arme-
niæ vocatus à Syris,qui octodecim annis pacificus regna-
uit:ſed à Lucullo Romano victus expellitur, & Antio-
chus filius Cyziceni rex Syriæ ab ipſo Lucullo creatus,
poſtea à Pompeio Magno deturbatur anno poſt fundatam
Græcorum monarchiam 259. quæ tunc terminata fuit
cum Syria, que huius mornarchiæ ſedes fuit, in prouin-
ciam Imperij Romani redacta eſt. Mortuo in Ægypto re-
ge Lathuro Sylla Romanus ſuffecit Alexandrum Lathu-
ri ex fratre nepotem, quem vt pote nimis inſolentem de-
cimo nono die Alexandrini peremerunt: Vnde ſucceſſit
Ptolemæus Dionyſius pater nominatæ Cleopatræ, quem
aliqui cognominant Auletem.Iannæus 27.regni anno mo-
ritur exhauſtis viribus ex triennali quartana febri: huic
ſucceſſit in regno Alexandra coniux, & nouem annis
gubernat; Hircanus autem eius primogenitus ſucceſſit

primùm

primùm in pontificatu, deinde in regno, sed à fratre Aristobulo deturbatur: hæc fratrum discordia Romanos ad conquirendam Palæstinam adduxit; Iulius Cæsar fauebat Aristobulo, Pompeius Hyrcano; Aristobulus à partialibus Pompeij veneno perimitur, eiusque filius Alexander capite plectitur, & Hyrcano restituitur summum sacerdotium: sed Antipater fit Procurator Iudææ, cui veneno morienti succedit Herodes filius, donec aduenìente Pacoro rege Parthorum Antigonus filius Aristobuli throno restituitur, sed breui ab Herode Idumæo, qui à Romanis rex fuerat electus, debellatur & occiditur, in quo progenies Machabæorum terminatur.

INCREMENTVM REIPVBLICÆ ROMANÆ, ET INITIVM MONARCHIÆ.

SVpra vidimus, quàm faustè Romani suam in Italia Rempublicam dilatarunt sub regimine consulum, postquã authoritatem regiam abrogarunt. Vidimus etiam, qualiter Siciliam inuaserunt, pulsis inde Carthaginensibus, sicut & ex Italia tota, imò semel & iterum in propria Africæ regione debellatis. Audiuimus denique per occasionem, ipsos ad orientem suum nomen gloriosis gestis dilatasse. Nunc superest examinare multiplices triumphos, quibus dissitas circumquaque regiones subiugarunt, & Rempublicam suam miris incrementis illustrarunt, & postea Romanæ monarchiæ sub Imperatoribus fundamenta iecerunt.

Romani iam terra marique potentes multas regiones acquisierant, & orbis totius arbitri tenebantur: Vix erat vllus princeps, qui eorum protectione non gauderet. Philippus rex penultimus Macedonum cum eis fœdus inierat: sed cum aliàs regnum augere cuperet, & propterea plures inuaderet vrbes; Romani verò præsidiis eius expulsis eas iterũ libertate donarent: conqueritur se non vt regem socium & amicum, sed velut hostem tractari; Vnde bellũ animo cœpit agitare, quod postea Perseus eius filius infœliciter gessit. Multa secretò contra Romanos molitur, confœderatos inquietans, hostes

etiam adiuuans, & maximè Prusiam Bythyniæ regem, qui transfugæ Annibalis fiducia fretus Eumenem Pergami regem & amicum Romanorum armis lacessebat: sed quia rebellandi tempus opportunum nondum aduenerat, Demetrium filium Romam iterum misit, vt formatis contra ipsum quærelis satisfaceret, & iustam Senatus iracundiam mitigaret; quod fœliciter effecit, erat quippe Romanis charissimus, & perfecta legatione remittitur cum honore: sed ea Demetrij apud populum Romanum gratia primò suscitauit illi inuidiam, tam apud Philippum patrem, quàm apud Perseum fratrem natu maiorem, deinde perniciem attulit, cum in spem inductus esset quòd eum Romani regem constituerent. Tunc missi sunt legati ad Prusiam regem, vt controuersiam eius cum Eumene componerent, tum vt Annibalem Carthaginensem antiquum Romanorum hostem exposcerent: Cumque videret Annibal se non posse elabi, ne deueniret in manus Romanorum, hausto veneno se peremit.

Philippus rex regnum suum rebellioni disponebat, vrbibus maritimis firma præsidia imponens, nihil tamen horum communicabat Demetrio legitimæ vxoris suæ filio natu minori; sed solum consilij participem adhibet Perseum natu maiorem, qui fratris sanguinem sitiebat, ipsumque mille imposturis apud patrem accusat, quasi proditorem regni & Romanorum speculatorem; Vnde non multò post iussu patris veneno perimitur. Verùm detecta Persei fraude, Demestriique perempti innocentia Philippus mœrore conficitur, voluitque Perseum excludere regno tanquam noxium fratris interfectorum, & Antigonum ex fratre nepotem creare regem: sed suam intentionem exequi non potuit, nam afflictione de morte filij consumptus lento morbo moritur citius Amphipoli, cuius mortem audiens Perseus à Calligene medico statim è Thracia venit in Macedoniam, regnum inuadit, & Antigonum consobrium regno decretum iubet interfici; missisque Romam legatis initam confirmat pacem, & regnum regisque titulum obtinet.

Perseus regni Macedonum pacificam habens possessio-
nem, conceptum contra Romanos bellum inchoaturus suos
sollicitat amicos, Rhodios maximè in mari potentes, pro-
pterea Laodicem Rhodiam duxit vxorem: Vnde detectis
eius machinationibus, Romæ declaratur hostis Reipublicæ,
belluḿque ei indicitur, mittitur aduersùs eum exercitus;
multi leues primò succedunt conflictus, deinde generalis
initur ad vrbem Pydnam, quo debellatus Perseus fugit Pel-
lam, totusque eius exercitus dissipatur, cæcis viginti milli-
bus, captis sex millibus cum Pydna: timens Perseus ne in
manus Romanorum suorum proditione deueniret, Pella
fugit Amphipolim, indeque in Samothraciam traiecit, vbi
ab Octauio Prætore capitur cum Philippo primogenito, &
Amphipolim reducitur ad Consulem Æmilium: Et sic re-
gnum Macedoniæ defecit, reducta ipsa in prouinciam
Romanæ Reipublicæ. Ductus autem Perseus Romam, &
postea Albæ in libera custodia detentus inedia voluntaria
consumitur.

Finito bello Macedonico, tertium punicum incipit: Eius
occasio fuit, quòd multi Romani & præsertim M. Cato
prædicabant non fore securum Romanæ Reipublicæ statum,
quamdiu Carthago subsisteret, quæ Romanæ Vrbis æmula
videbatur; & licet tunc inferior viribus, ac velut subiecta
Romanis obtemperaret; poterat tamen contingere, quòd
aliquando resurgens Romam subiiceret, ac penitus deleret:
Iustus autem mouendi belli prætextus fuit, quòd Pœni con-
tra fœdus initum naues haberent, extra fines suos ducerent
exercitum contra Masanissam socium & amicum populi Ro-
mani. Vnde misso potenti exercitu Carthaginem inuadunt
Romani, arma à ciuibus extorquent, eorumque naues suc-
cenduntur: Iubentur ciues ex vrbe recedere, quam di-
ruendam Romani indicebant, illis data facultate nouam
vrbem ædificandi vltra octogesimum à mari stadium. Hæc
audientes Carthaginenses turbantur, cœlum inuocant, deos
inclamant, Romanos quasi perfidos iniuriis appetunt, ipsis-
que expulsis se ad resistendum præparant dicentes se cum

chara patria Carthagine perituros Visa tali Pœnorum deliberatione, Scipio Consul vrbem mari terraque obsidet & obsidionem vrget, tamdem capit & incendit, non sine magna ciuiũ strage, & horribili clamore populi, Asdrubale Pœnorum duce capto, qui Romam ad triumphum à Scipione dicto deinceps Africano ductus in libera vixit custodia. Sic deleta fuit Carthago quarto huius belli Punici anno, & 668. ex Eusebio, vel 748. ex aliis post primam sui fundationem à Didone.

Romani sub hoc tempus in subiuganda Hispania laborabant, vbi generosum Celtiberorum ducem inuenerunt Viriathum, à quo multas clades perpessi sunt: Cum ipso tamen ex Senatus approbatione pacem & fœdus inierunt, eique honorem & multa priuilegia concesserunt: sed postea Cæpio consul rupto fœdere bellum innouat, & proditorie Viriathum dormientem opera siccarij domestici peremit. Cui successit Tantalus in officio ducis, qui fugiens Romanos fluuium Bætim traiicit, ibique victus se suosque tradit Romanis, qui terram sufficientem illis concedentes vlteriorem Hispaniam pacificam reddiderunt. Eodem prorsùs tempore bellum Numantinum Romani cœperunt, in quo varij fuerunt euentus belli sub variis ducibus, tandem Scipio Iunior Africanus Numantiam vrbem, (nunc dictam Soriam, propè Palentiam) tunc in Hispania celeberrimam, situque loci munitissimam arcta obsidione ad extremas famis miserias reduxit, & ad deditionem compulit: Captam vrbem solo æquauit, ciues sub corona vendidit; & ita finitum est bellum Celtibericum, quod viginti annis durauerat. Non multo post Scipio Romæ moritur vt creditur veneno peremptus à Sempronia vxore Gracchorum sorore, discordiæ quippe vigebant inter Scipiones & Gracchos, & vnus istorum fuerat extinctus.

In Asia minori bellum adfuit Romanis cum Aristonico propter regnum Pergami. Attalus rex moriens biennio ante regnum hoc Romanis testamento reliquerat, parum æquus erga suos. Frater eius & prædecessor Eumenes ex Ephesia

pellice

pellice susceperat Aristonicum,qui mortuo Attalo paternum inuasit regnum : contra quem processit P. Licinius Crassus sed hic pugnans imprudenter vincitur & occiditur , cuius corpus Smyrnæ sepelitur , & caput refectum offertur Aristonico. Verùm Perpenna consul Crassi successor , audita eius morte & clade Romani exercitus raptim in Asiam peruolauit , Aristonicum recenti victoria feriatum improuiso bello adortus,nudatumque omnibus copiis in fugam vertit ; Cumque Stratonicem vrbem,ad quam ille confugerat , obsidione cinxisset , fame ad deditionem coëgit : moritur apud Pergamum Perpenna , eiusque successor Aquilius post regni totius reductionem , Aristonicum Romam perduxit , cui Senatus iussit in carcere frangi ceruices. Hoc tempore mons Ætna , & etiam insula Lipare magnos ignis globos euomentes , multum damni tam hominibus & bestiis quàm frugibus attulerunt. Domuerunt quoque Romani Allobroges sub Q.Fabio Maximo,qui Massiliensium populi Romani sociorum fines populabantur.

In Numidia bellum cœpit Iugurthinum:Cuius origo fuit Iugurtha , qui mortuo Micipsa rege Hiempsal ad regnum aspirantem titulo adoptionis interfecit:Tunc Adherbal frater Hiempsal occisi Romam legatos mittit cõtra Iugurtham de morte fratris , hic autem regnum inuadens multam auri copiam mittit,quo non solùm scelerum impunitatem, sed etiam partem & potiorem regni obtinet, concessa Adherbal altera parte,quam tamen non multò post Iugurtha violenter inuadit. Timens Senatus iram,amicorum consilio venit Romam , vnde breui dimissus recedere cogitur ; vbi peruenit in Numidiam , cum fraudibus Romanos superare non posset, armis insequitur, maximè Metellum & Caium Marium iam sua virtute celebrem. Tunc Marius Romam veniens plebis fauore Consul efficitur , & Metello suffectus rediit in Africam , vbi L. Syllæ iunctus rem fœliciter gerit in Numidia, & Iugurtham debellat : Hic proditione Bocchi ducis traditur in manus Syllæ , à quo præsentatur Mario , quod postea ciuilis inter Marium & Syllam belli radix fuit, dum populus Romanus

Romanus postea Mario offensus Iugurthini belli victoriam Syllæ attribuit: Et sic Numidia in prouinciam Romanam redacta est. Quo tempore Cneius Pompeius magnus, & Marcus Tullius Cicero nati sunt.

Postquam capto Iugurtha Marius bellum in Numidia fœliciter conclusit, & Iugurtham vinctum Romam misit, absens Consul secunda vice creatur, & ei decernitur Galliæ prouincia, in qua Cimbri, Teutones aliique populi Romanis infensissimi iuxta fluuium Rhodanum inundauerant, & Romanorum exercitum ad octoginta millia deleuerant, quæ clades Senatum populumque Romanum mœrore ac formidine confecerat: Ad hos igitur Barbaros coërcendos destinatus est Marius. Sed priùs venit Romam, vbi de Iugurtha triumphauit, ducto cum duobus filiis ante currum triumphantis, quem Consul in carcere iussit strangulari, vel enecari fame. Post hæc venit in Galliam, vbi cum didicisset Barbaros ad Hispaniam transiisset, milites suos futuro prælio ad eorum aduentum continuis exercitationibus præparauit: Cumque Senatus audiuisset ineunte vere Barbaros ex Hispania redituros, & milites Romanos sub alio duce à Mario nolle pugnare, tertium ipsi Consulatum dedit; dum in Sicilia bellum seruile, seu seruorum contra dominos sæuiret. In eadem Barbarorum expectatione quartus Consulatus Mario defertur, cui collegam attribuunt Lutatium Catulum, & bellum Cimbricum vtrique demandatur: Vbi Marius hostes aduentare audiuisset, in Galliam properat, Alpes superat, & flumen Rhodanum castra posuit, vbi fossam ingenté communiendis castris vsque ad mare ad septem leucas longitudinis aperuit, quam nunc paruum Rhodanum appellamus, qua formatur insula Camaria siue Camaron, vulgo *Camargue* à Caio Mario denominata. Diuidunt se Barbari in duas turmas vt in Italiam deueniant: Cimbri procedunt itinere germanico, Teutones iter Ligusticum eligunt, contra illos castra mouet Catulus, contra istos stat Marius. Cum ad castra Marij Teutones aduenissent, ipsum ad certamen prouocant, recusat Marius optimam debellandi tantam multitudinem ex-

pectans

pectans opportunitatem; illi castra oppugnant audacter, sed non leui damno: procedũt vlteriùs vt Alpes transgrediantur, Marius lento gradu subsequitur vsque ad Aquas Sextias, siue iuxta alios vsque ad planitiem Oppidi vulgò *Porrieres*, vbi hactenus triumphalis arcus apparet, ibi captata loci commoditate Barbaros tanta fœlicitate aggreditur, quòd ad centum millia & amplius trucidati vel capti fuerint, ita vt Massilienses eorum ossibus vineas suas circumsepsisse perhibeantur: Captus eorum rex Teutobocchus in fuga, vir eximiæ magnitudinis ducitur in triumphum. Dum hæc agit in Gallia Marius contra Teutones, Catulus collega cum diffideret Alpium iuga tueri se posse contra Cimbros, descendit in Italiam, & amnem Athesim obiiciens hostibus, vtramque eius ripam muniuit, ad facilem totius exercitus communicationem ac securitatem extructo ponte: sed cum Cimbri saxis ingentibus & arboribus amnem replerent ac pontem concuterent, tantus Romanos inuasit terror, vt cum milites ducis precibus & monitis contineri non possent, totus eorum exercitus fugam arripuerit. Audita Romæ ex vna parte Marij victoria contra Teutones, ex alia verò Catuli fuga à facie Cimbrorum, qui deuastabant omnia, Senatus quintum Mario consulatum obtulit; ipsumque Romam ad triumphũ aduocat, quem ipse differens ad castra Catuli transuolat, legiones suas exciuit è Gallia, Cimbros repellere nititur, & acceptato certamine apud Vercellas debellat, & duplicem Romæ triumphum duxit, vocatus tertius Romæ conditor: Collega eius Aquilius in Sicilia post quartum ferè annum seruile bellum terminat deuictis seruis, pluribusque occisis, vel ad bestias damnatis. Tunc natus est C. Iulius Cæsar duodecimo mensis quintilis, qui postmodum ab eo denominatus est mensis Iulius.

Duo bella tunc Romanis instabant, Italicum scilicet & Mithridaticum, in primo conspirabant plures Italiæ regiones contra Romanos, quæ paulatim vel sedatæ, vel deuictæ fuerunt: secundum erat contra regem Ponti Mithridatem, qui

qui socios & amicos Romanorum in Asia minori turbabat. Hoc bellum Consuli Syllæ committitur, sed paulò post P. Sulpicij Tribuni plebis arte Mario demandatur, quæ repulsa Syllam ita mouit, vt vi Romam occupans Sulpicium occiderit, Marium cum filio ad vltimum mortis periculum adducens in Africam fugere compulerit. Interim Mithridates summam in Romanos exercet crudelitatem, ita vt vna die ad centum quinquaginta millia mandatis eius fuerint cæsa, ad cuius audaciam reprimendam Sylla cum exercitu transiit in Græciam. Prænuntia belli ciuilis prodigia per Italiã visa sunt, nam animalia domestica subitò efferata fugiebant homines. Grando lapidea continuis octo diebus omnia vastauit, cruor è fractis panibus manauit, terra hians flammas vomuit.

Romæ Marij & Syllæ factiones inter se mutuò sæuiebant: Absente Sylla creatur Cinna Consul Mario affectus, sed priùs habito iuramento quòd eius parti non faueret. Verùm & naturali affectu & pecunia data sollicitatus, accitis Romam militibus partes Marij firmare voluit; non potuit tamen, vnde fugit ex vrbe & Senatus consulto deponitur consulatu; At collecto Hetruscorum aliorumque exercitu cum Mario Romam redit, illam ad deditionem compellit, & ingressus contra iusiurandum multos ex parte Syllæ occidit, vt Merulam sibi suffectum consulem, M. Antonium, Catulum, & Crassum; Octauium autem collegam iubet obtruncari. Tum Cinna & Marius seipsos in sequentem annum consules denuntiarunt, sed decimo sexto huius consulatus die Marius ex intemperantia moritur. Dum in Oriente Sylla generosè pugnans, multas de Mithridate reportat victorias, capit Athenas, & alia mira patrat: Vnde cum Fimbriam successorem ex factione Cinnæ accepisset, & aliunde Mithridates toties victus pacem peteret, occisis iam centum sexaginta millibus militum Mithridaticorum, illam Sylla concludit honestis conditionibus, vt in Italiam posset exercitum reducere sollicitatus à senatoribus suæ factionis, quasi patriæ periculis subuenturus: ad cuius aduentum ciuilis belli discor-

diæ renouantur, & occisis hinc inde plurimis cum magno Reipublicæ dispendio continuantur, quæ causam dederunt Mithridati pacẽ cum Romanis initam frangendi, & Orientales Romani imperij prouincias inuadendi, maximè cũ gener eius Tigranes à Syris vocatus propter continuam Seleucidarũ inter se dissentionẽ, vt vidimus, in Syria potens regnaret, cuius regnum fuit octodecim annorum. Cum Lucullus, etsi bis à Mithridate victus, ipsum tandem sic debellasset, quòd desperans de regno, & ad Tigranem generum fugiens iusserit proprias vxores ac sorores interfici, ne in potestatem hostium delapsæ illuderentur: Armaniam inuadit, Tygranem insequentem debellat; sed insurgente bello pyratico, aliisque similibus, Mithridates regnum suum nouis viribus recuperat.

Sub hoc tempus bellum piraticum siue piratarum contra Romanos sæuiit, quod Pompeio committitur: Insignis dux erat Pompeius, vnde susceptum bellum breui terminauit, eius enim timore moti piratæ vel dispersi sunt, vel deditionem fecerunt. Hoc bello tam fœliciter terminato, bellum Mithridaticum eidem Pompeio demandatur, ac simul datur ei imperium super omnes exercitus extra Italiam existentes. Eius fama commotus Mithridates, voluit cum eo pacem inire, quam tamen obtinere non potuit, sed in conflictu superatus dissipato exercitu fugit ad Tigranem generum, à quo tamen non recipitur; eo quod Tigranes crederet ipsum authorem fugæ ac rebellionis filij; imò Tygranes cum muneribus Pompeium adit, veniam præteritorum obtinet, filij reconciliationem eius mediatore perficit, & inter socios Romanorum numeratur hac conditione, vt tota Syria cæterisque Romani Imperij prouinciis cederet. Quo tempore Pompeius Antiochum filium Antiochi Cyziceni à Lucullo substitutum Tigrani deuicto, cognomẽto Asiaticum regno Syriæ priuauit, & Syriam in prouinciæ Romanæ formam redegit. Deinde Albanos, Iberos, aliosque populos propè mare Caspium subiugat: Inter Tygranem Armenorũ regem & socium populi Romani, ac inter Phraatem Parthorum regem societatem

cietatem Romanorum appetentem, exortum sedat bellum. Voluit etiam inter Hircanum & Aristobulum fratres pacem ponere, restituens Hircanum natu maiorem regno Iudææ: verùm recedentem secretò Aristobulum insequitur, & Ierosolymis captum coniicit in carcerem, Ierosolymam vrbem totamque Iudæã fecit Romanis tributariam. Interim Mithridates pertractis ad suas partes Scythis bellum mente contra Romanos concipit, ipsamque Romæ obsidionem, filius Machares Romanis affectum sic persequitur, vt ad inferendas sibi manus coëgerit; alium filium nomine Xipharem ad fretum Ponti necat coram matre Stratonice ex aduerso littore spectante, quia Castellum pecuniis refertum ipsa Pompeio tradiderat, vt sibi dictum filium incolumem reseruaret: sed Pharnaces eius filius insidias ei parauit, quibus detectis corrupti fauore exercitus paterni rex proclamatur: Vnde Mithridates ad desperationem redactus sibi mortem acciuit, de quo Lucullus primo sub consulatu Ciceronis triumphauit, & anno sequenti Pompeius multo augustiùs adiunctis pluribus aliis victoriis, dum Catilina Ciceroni plurimum offensus Rempublicam turbabat.

Surrexit hoc tempore Cæsar, qui volens cum aliis splendere, vel etiam omnibus eminere, cœpit consulatum ambire, quem cum obtinuisset, studuit populo satisfacere & placere, credens se eius potẽtia potiùs quàm Senatus authoritate profuturum: procurauit tamen exteriùs Senatum in nullo lædere. Verùm cum in fauorem populi legem agrariam Senatus consulto voluisset edere, & Senatum aduertisset sibi contrarium, nunquam deinceps ad ipsum recurrit, sed omnia propria faciebat authoritate & populi adhærentia; maximè postquam Crassum & Pompeium sibi conciliauit, quorum nomine cuncta fiebant, & ita cœpit triumuiratus. Ex his tribus Pompeius Roma manet, Crassus abit in Syriam, indeque in Parthiam; Cæsar autem in Galliam & Germaniam. Crassus à Parthis victus occiditur: Cæsar totam penè Galliam subactam redigit in prouinciam: Pompeius solus creatur consul, qui tamen postea Metellum socerum collegam assumit.

Superiùs in Ægypto reliquimus Ptolomeum Auletem siue Dionysium cognomento regnantem, qui in varia rerum discrimine vixit; fecit aut potiùs pretio conclusit pacem cum Romanis: sed non multo post facta populi seditione, sibi timens Romam fugit; Cumque Ægyptij mortuum credidissent, Berenicem filiam regno præfecerunt, quæ virum pertæsa breui strangulauit: ipse tamen Ptolomæus opera Gabinij restituitur Ægypti regno, vbi postmodum morbo absumptus est, relictis duobus filiis & totidem filiabus, quarum grandior erat Cleopatra; Alexandrini filium natu grandiorem & Cleopatram regno præfecerunt. In Iudæa tunc regnabat Herodes, quem Alexander Aristobuli filius armis vexabat.

Postquam Cæsar Galliam, Germaniam, Hispaniam, imò & ngliam subegisset, & immensas ex tot regnis diuitias collegisset, redit Romam, suisque largitionibus Rempublicam rrupit; quam postea armis euertit. Tunc belli ciuilis inter ompeium & Cæsarem initium eiusdem Cæsaris ambitio usauit. Cæsar voluit priuatus legiones aliquot penes se tinere, sicut retinebat authoritate Senatus ipse Pompeius, uod cum Senatus illi recusasset, imò præcepisset illas determinato tempore dimittere, suos milites ad sui fidelitatem hortus Rubiconem fluuiolum suæ prouinciæ terminum venit, i non procul ab vrbe Cesenna tendentibus Ariminum occrit. Ibi cunctatus aliquantulum, magnitudinem determitionis ponderans, tandem concludens ait; Iacta esto alea; unc traiecto Rubicone, transmissisque copiis statim Ariuum, Pisaurum, Fanum, cæterasque Piceni ciuitates ocauit. His auditis Romæ, tremor omnes inuadit, multi atores ad eum accedunt, multi quoque duces Pompeiani ciunt, præsertim Domitius, qui cum viginti Cohortibus iens exercitum eius tunc perexiguum auxit; Cum enim biconem transiit, vix quinque millia peditum & trecenquites habebat. Tot auctus copiis pergit Cæsar Apuliam; discit Consules Romanos iam Brundusio Dyrrachium sse, & Pompeium eandem Brundusij fugam parare: illuc

properat,

properat, & discedente Pompeio tam Brundusium quàm alias ciuitates deditas vltrò recipit.

Sua Cæsar vsus fortuna, spatio duorum mensium totam suæ deuotioni subiicit Italiam, & Hispaniam disponit vt ei- ciat Pompeianos, iam Galliam affectu sibi coniunxerat per vniuersam. Tunc Romam peruenit, Senatum conuocat, de regimine Reipublicæ ac pace cum Pompeio ineunda tractat, stipendia pro militibus exigit; Cumque negarentur, portas ærarij frangit, & tollit auri pondera quatuor millia centum triginta tria, argenti verò propè nongenta millia: Vt autem in Oriente fidos pararet amicos, Aristobulum cum Alexan- dro filio remisit in Iudæam, quem Pompeiani venenò statim perimunt, filium autem iussit Pompeius occidi à Metello Scipione præside Syriæ. Deinde Cæsar transiens in Galliam obsidet Massiliam pro Pompeio stantem: Tum celeriter ac- cedens in Hispaniam obsidet & capit Ilerdam, & sic fractis Pompeianis redit in Galliam, ad cuius aduentum Massilien- ses obsidione coacti deditionem vrbis faciunt. Iam pacificatis Galliis & Hispaniis Cæsar electus Dictator Romam reuerti- tur, vt ibi firmata authoritate sua Pompeium æmulum perse- quatur, ex cuius victoria dominationem absolutam sperabat.

Brundusium veniens traiectum cum exercitu parat; sed in- pia nauium viginti tantùm millia peditum cum sexcentis equitibus transportare potuit: Pompeius tam celeri Cæsaris aduentu territus recedit Thessalonicam ad Apsum fluuium, quò etiam peruenit Cæsar, ibique vtriùsque castra sistunt me- dio flumine: Deinde redeunt Dyrrachium, vbi inito certami- ne superatur Cæsar, sed Pompeius vti victoria non potuit suo- rum peruicacia, qui præcedenti victoria superbi suum impera- torem Pompeium ad generalem conflictum contra Cæsarem coëgerunt, cum inopia & cunctatione vellet ipsum debellare. Videns igitur Cæsar se necessitate compelli ad pugnam, vt ho- stilem exercitum à mari remoueat, vnde subsidiũ ex classe pe- teret habere & sic reparari, venit in Thessaliam, quò illum se- quitur Pompeius: Inito autem certamine Pharsalico pruden- tia Cæsaris exercitus hostilis dissipatur, & ipse Pompeius fu-

giens

giens Amphipoli nauem conſcendit, venit Mitylenas, inde Ciliciam & Cyprum, ac tandem Peluſium peruenit, vbi cum ab Ægypti rege petiiſſet ius hoſpitij, palam quidem ad regem venire permittitur; ſed tamen proditoriè eius iuſſu primùm telo, deinde gladiis appetitus occiditur, eiuſque caput exſectum reſeruatur Cæſari victori & inſequenti: Eius interfectores fuerunt Achillas Præfectus regius & L. Septimius Tribunus militum; Corpus eius in littore ab eius liberto combuſtum, & in arena tumulatum eſt, cuius ſepulchro inſcriptum fuit, *Hic ſitus eſt Magnus Pompeius.*

Hac Pompeij morte Cæſar iam ſolus Romanorum Imperator, quartæ mundi monarchiæ dedit initium, cum facilè deinceps cuncti mandatis eius ſubiicerentur: Veniens autem Antiochiam, & oblatum videns caput Pompeij fleuit, ibique controuerſiam inter Ptolomæum iuniorem & Cleopatram ſororem cœpit componere iuxta patris voluntatem, vt Cleopatra fratris Ptolomæi coniux eſſet ſub tutela populi Romani. Verùm Ægyptiis contra Cæſarem machinantibus, ipſum Alexandriæ tentant obſidere ac perdere: ſed ille combuſtis centum viginti nauibus Ægyptiis, & hoc incendio caſu conſumpta bibliotheca optimis libris referta Pharũ occupat, vbi iam liber & dominus maris ſiſtit, ac Pothinum regis pueri nutricium ac regni procuratorem, quaſi ſeditionis authorem iuſſit interfici. Sed cum iunior filio mortui Ptolomæi de regia euaſiſſet, ab Ægyptiis regina nominatur, quod belli Alexandrini principium fuit.

Poſt hæc Cæſar Romam venit, vbi tandem credita Pompeij morte ipſius annulo confirmata, tanquam victor recipitur, & omnia priuilegia ac dignitates ei vltrò deferuntur, vt conſulatus in quinquennium continuum, Tribunitiæ poteſtatis toto vitæ tempore, Dictaturæ, & ſummi etiam pontificatus: Vno verbo, cuncta ad eius imperium fiebant. Rediit poſtea Cæſar in Ægyptum, vbi capto Peluſio regium debellat exercitum; cumque rex ipſe fugeret nauem ingreſſus, illa ſubmerſa periit: Vnde victor Cæſar Alexandriam pergit, cunctiſque perterritis deditione capit, ibique Cleopa-

tram solam reliquit reginam cum præsidio Romano, ex qua filium nomine Cæsarionem suscepit, & Arsinoëm secum duxit rediturus terrestri itinere per Syriam. In Iudæa summis honoribus Hyrcanum affecit, restituens ei summum pontificatum : In Asia minori Pharnacem Mithridatis filium contra Romanos tempore belli ciuilis insurgentem debellauit, qui pugnans aduersùs Asandrum regni Bosphori vsurpatorem postmodum occubuit : Vix Romam peruenerat omnibus acceptus Cæsar, cum venit in Siciliam, vt iterum traijciat in Africam, quò cum peruenisset, Pompeianos & Iubam superauit, multas quoque ciuitates occupauit : Numidiam in prouinciam Romani imperij redegit, de quibus postea Romæ triumphauit : Et ita seorsim quatuor diebus, de Gallia, Ægypto, Pharnace, & Iuba quatuor duxit triumphos. Tunc contigit quòd Cato, per Cæsarem alterato Reipublicæ statu, & sublata libertate seipsum in Africa gladio necauerit. Postquam Cæsar quatuor annis sic imperauit à morte Pompeij, idibus Martij perimitur ipse in Senatu viginti & tribus pugionum vulneribus; ipsum Cimber quidam primus aggreditur togam eius ambabus manibus à collo extrahens, deinde Casca prior in ceruicem pugionem infixit; Cuius conspirationis author dicitur fuisse M. Brutus, quem summè diligebat Cæsar, ipsumque videns in parricidio traditur dixisse, *Tu quoque Brute fili.*

Mortuo Cæsare surrexit populus contra Senatores, qui cædem eius non impedierant, occisores quærit, mortuum luget : Sed tamen huic seditioni remedium affertur, dum coniuratores in diuersas amandarunt prouincias, M. Brutum in Cretam, Cassium in Africam, Trebonium in Asiam, Cimbrum in Bithyniam, D. Brutum in Galliam circumpadanam. Sic finiit triumuiratus ille primus, peremptis violenta morte singulis in dissitis mundi regionibus : Vnde quidam de illis ait.

Crassum Parthus habet, Libico iacet æquore magnus.
Tertius ingratam perfudit sanguine Romam.
Et quasi non posset tot tellus ferre sepulchra,
Diuisit cineres.

Marcus

Marcus Antonius habens acta Cæsaris in sua potestate noluit ea communicare, etiā iubente Senatu, sed seipsum gessit tanquam hæredem & bonorum & potentiæ: quia verò plurimum sibi à potentia Lepidi metuebat, illum sibi coniunxit affinitate, filiam suam filio Lepidi tradens vxorem: Octauianum autem à Cæsare relictum hæredem despiciebat velut adolescentulum & rerum adhuc imperitum. Hic autem cum Apolloniæ vbi tunc studiorum causa residebat, mortem Cæsaris audisset, nihil ausus est in principio mouere, cum falsò increbuisset talem mortem fuisse populo gratam: Verùm cum Brundusium transmisisset, & contrarium audiens didicisset, quanta populus indignatione coniuratos persequutus fuerit, aliquos occiderit, & vix ab incendendis eorum domibus mandato Senatus abstinuerit; ac simul fleuerit videns corpus eius adhuc cruentatum, & audiens orationem M. Antonij in eius laudem, sumpsit animum. Verùm cum etiam didicisset se in familiam & nomen Cæsaris adoptatum, ac hæredem ab ipso relictum fuisse, statim nomen Cæsaris assumpsit, se gessit vt hæredem, ac mortem Cæsaris vlturum se promisit. Primùm humaniter à Senatu recipitur, sed cum adhuc iunior nouemdecim annorum Consulatum & alia peteret, ab eo repulsam patitur: Vnde contra Senatum suos milites exasperans, tum aduersariæ partis contra Cæsarem priùs declaratæ timore, tum maximis beneficiorum promissis, Consulatum obtinet, procurat damnari percussores Cæsaris; Cumque multi quotidie ad eum accederent, potens iam effectus cum M. Antonio & Lepido mutinæ fœdus iniit, & secundus triumuiratus in quinquennium ex his tribus formatus est; diuiserunt sibi prouincias, Gallia cessit M. Antonio, Hispania cum Narbonensi prouincia Lepido, Africa cum Sicilia cæterisque insulis Octauiano: Tum iurarunt coniuratos contra Cæsarem perimere, sed ad hunc numerum quilibet horum suos reducebat inimicos; vnde hoc prætextu M. Tullius Cicero sexagesimo quarto ætatis anno Antonij gladio perimitur; Et in honorem Cæsaris sacellum erigunt in foro vbi corpus eius

crematum fuerat. Deinde Lepido Romæ remanente, qui & Consul & vnus de Triumuiratu erat, Alij duo coactis exercitibus ad quærendos ac perdendos M. Brutum & Cassium in orientē proficiscuntur: Cassius & Brutus ad octoginta millia peditum & duodecim millia equitum collegerant, sed debellatis eorum castris vterque se voluntaria cæde perimit: Iam Trebonius vnus è coniuratis fuerat primus à Dolabella capite truncatus, & paulò post D. Brutus ad Aquileiam captus fuerat occisus. Sub hoc tempus Tiberius Cæsar nascitur: In Iudæa verò Antipater Herodis pater à Malicho necatur veneno, quem ipse filius Antipatri Herodes iussit interfici. Non multo post Herodes Antigonum Aristobuli filium prælio superatum de throno Iudææ deturbauit, & vt ad regnum ius acquireret, Mariamnem filiam Alexandri Aristobulo geniti, sororem Antigoni, & Hyrcani ex filia neptem duxit vxorem; priùs duxerat Doridem Idumæam, ex qua suscepit Antipatrum filiorum suorum natu maximum.

Deuictis in oriente Cassio & Bruto, M. Antonius prouincias imperij Romam turbatas quiebat, rebelles castigat, lites componit, & querelas examinat. Multæ contra Cleopatram tunc deferebantur, sed ipsa ex Ægypto vocata in Ciliciam, non tantùm placat M. Antonium, sed suo capit amore: Vnde ipsa redeunte in Ægyptum, non solùm iustificata de præteritis, vt de morte fratris iunioris quindecim annorum, quem veneno peremerat, sed eius authoritate deinceps abutente in cæde iunioris suæ sororis Arsinoës; non multò post illam sequitur Antonius, dispersis ad hyberna copiis, vt ei adhæreret, eiusque consuetudine raptus ac penè sui oblitus, perniciem tam sibi quàm illi, ac seruitutem Ægypto attulit: Cæsar autem Romam rediens Brundusij infirmatur, sed in vrbem perueniens inuenit L. Antonium Consulem M. Antonij fratrem contra potentiam Triumuiratus animatum plura meditantem in reducenda ad pristinum statum Republica; Cui plurimum cooperabatur Fuluia M. Antonij coniux & socrus Octauiani Cæsaris, credidit maritum tandiu Cleopatræ adhæsurum, quandiu Italia
foret

foret pacifica, vnde tumultibus excitatis voluit eum ad seipsam reuocare; generum autem oderat, quòd filiam suam repudiasset: Et ita L. Antonius bellum mouet, sed breui terminat Perusiæ per Cæsarem coactus.

Interim M. Antonius Ægypto rediens, & Brundusium appellens à Cæsarianis repellitur, quod noui belli causa fuisset, nisi communibus amicis, Pollione ac Mecœnate, reconciliati fuissent, & noua affinitate coniuncti Cæsar & Antonius: nam Octauia soror Cæsaris vidua Marcelli nupsit Antonio mortua tunc Fuluia. Tunc Cæsar & Antonius, dimisso in Africam Lepido, partiuntur imperium: Et insuper Cæsar cum iuniore Pompeio pacem init, mediante Libone qui nuper sororem Cæsari dederat vxorem, & socer erat Pompeij. His ita firmatis M. Antonius ad bellum Parthicum profectus est, & Cæsar in Galliam non nihil turbatam: Labienus Iunior ex Cæde Cassij profugus ad Parthos, eis suadet bellum Romanis ciuilibus attritis cladibus inferre, Persuasus Orodes rex, filium ei suum Pacorum cum magno committit exercitu, qui totam penè Syriam occupat, & Iudæam ingressus Hyrcanum deponit auribus amputatis, ei substituens nepotem Antigonum: Phasaëlem Herodis fratrem coniicit in vincula, qui capite ad saxum alliso periit; Herodes autem in Arabiam fuga elabitur, & inde Romam venit, vbi Cæsaris & Antoniæ fauore constituitur rex Iudæę, & Antigonus hostis declaratur, qui ab Herode debellatus postmodum occiditur. Interim Ventidius Dux Parthos vincit, occisis Labieno & Phraarte ducibus, Syriamque recuperauit, de quibus postea Romæ triumphauit: Interim Antonius veniens Antiochiam illuc Cleopatram vocauit, quam immensis donis affecit integras conferens prouincias, & ex ipsa duas proles suscepit, filium Alexandrum cognomento Solem, & filiam Cleopatram cognomento Lunam: Inuenit ibi Herodem, cuius frater ab Antigono debellatus Hierichunte occiditur.

Hoc tempore bellum ciuile Siculum inter Cæsarem & Pompeium iuniorem cœpit; in quo Cæsar primo conflictu

 superatur,

superatur, sed reparatus aduenientis Antonij subsidiis Siciliam rursùs aggreditur, multis tamen damnis & tempestatibus primùm agitatus, tandem mari terraque victor existit, fugiente ad Antonium intempesta nocte Pompeio: Tunc Lepidus exercitu Plennij Pompeiani fortis voluit Siciliam occupare, præsidiis Cæsaris inde exclusis, sed suis deficientibus cogitur humilis ad Cæsarem accedere, à quo remissus in Vrbem sine custodia, solum retinet pontificatum, cum quo aliquandiu vixit, & postmodum suæ pertæsus fortunæ in voluntarium abiit exilium: Cæsar autem Romam veniens immensis honoribus excipitur, obuiam procedente Senatu totoque populo: Et ita vnus de Triumuiratu defecit. Tunc Herodes in Iudæa Copiis Antonij sub Sosio duce plurimùm roboratus obsidet Ierusalem, quam fame debilitatam impetu facto Romani capiunt, Antigonum in vincula coniectum ducunt ad Antonium, qui precibus & muneribus Herodis victus captiuum regem miserum securi percuti iussit, quem triumpho reseruare volebat. In Parthia rex Orodes post cædem Pacori filij à Romanis in prælio occisi, senectute prædictique filij cæde consumptus regnum Phraati filiorum ætate maximo tradidit, qui regno potitus omnium mortalium scelestissimus, primùm omnes suos fratres ex Antiochi Comageni filia natos occidit, deinde etiam Orodem suum patrem id indignè ferentem, denique nobilissimum quemque; vnde plures regni optimates ad Romanos confugerunt.

Cæsar Romanam Rempublicam cunctis acceptissimus administrabat: Antonius autem in Ægypto captus illecebris Cleopatræ residebat, ad quem confugit Pompeius, & vxor Octauia Cæsaris consilio nauigauit. Sextius Pompeius ad orientem perueniens habitum resumit imperatorium, parat exercitum & Classem: sed Antonij territus apparatu, suisque deficientibus fugit in Armeniam, & in ipsa fuga à Titio Antoniano Mileti trucidatur. Tunc Herodes Aristobulum, Hyrcani II. pontificis ex Alexandra filia nepotem, ac fratrem Mariamnes coniugis suæ, cui præcedente anno pontificatum

pontificatum detulerat, crudeliter in piscina natantem iussit aquis præfocari, vt illo sublato velut vnico hærede regnum vsurpatum sibi firmaret: Deinceps in regno securus, ad eius dilatationem Arabas armis aggreditur, quos etiam inuita Cleopatra debellauit.

Hoc tempore conceptæ iam inter Cæsarem & Antonium æmulationes manifestari cœperunt: quilibet querelas aduersùs æmulum formabat, & dum suos quisque fautores habet, Cæsar conuocato Senatu seipsum defendit, & Antonium accusat: Quibus auditis Antonius primò coniugem suam Octauiam Cæsaris sororem, mulierem meliore viro dignam repudiauit; & ita ciuile bellum inter vtrumque declaratur, quilibet maximos comparat exercitus: Antonius quidem ex sua parte reges vndecim habebat, sex exercitui præsentes, quinque verò auxiliares, Cleopatra ducentas naues, viginti millia talentorum, multumque commeatum pro exercitu dedit; imò voluit in exercitu esse, timens ne fortè sua absentia M. Antonius Octauiæ coniugi reconciliaretur: quæ causa fuit, vt Cæsar primariò bellum Cleopatræ, & tantùm ex consequenti Antonio denuntiaret. Igitur Cæsar aduersùs Antonium procedit, Brundusio venit Corcyram, & inde Actium, vbi tandē pugna naualis inita fuit die secunda septembris, & post longum certamen, fugiente primò cum suis Ægyptiis Cleopatra, & Antonio sequente penes Cæsarem stetit victoria: Tunc deficientibus Antonij ducibus Cæsar victor & potens rediit in Italiam, quartum accepturus consulatum; dum Cleopatra & Antonius in Ægypto Classem nouis auxiliis reparare conantur. Interim Herodes volens suum firmare regnum, properauit Rhodum ad Cæsarem, antequam ex Græcia discederet, fatetur quidem se Antonio præbuisse auxilium, se deinceps fidelem amicum fore pollicetur; vnde ab ipso recipitur, & in regno confirmatur: sed priùs quam Ierosolyma discederet, senem Hyrcanum pontificem calumniis appetitum quasi regnum appetentem interfecit, cui Ananelum ex genere pontificio virum suffecit, & vt ab omnibus sibi suspectis caueret, Alexan-

dram ſocrum ſuam cum filia Mariamne coniuge ſua collocauit in caſtro cuſtodiendam

Cum Cæſar poſt Actiam victoriam veniſſet Brunduſium, ibi Senatum reperit obuium, à quo oblatum quartum Conſulatum acceptat, poſtea de terminando contra Cleopatram & Antonium bello ſollicitus, reditum accelerat ad Orientem, prouiſit vt duces aliqui per Africam in Ægyptum procederent, ipſe verò Syriæ littera petens tanta celeritate peruenit, vt hoſtes terruerit: Et ſic Antonius & Cleopatra pacem obtinere contendunt præcibus & donis, mittentes Cæſari coronam auream, ſceptrum aureum, & ſellam regiam: Cæſar acceptis muneribus Antonio nihil reſpondet, Cleopatræ verò regnum & impunitatem promiſit, ſi Antonium occidiſſet; Vnde Cleopatra ſibi conſulens Antonium prodere ſtatuit, qui cum poſt tertiam legationem de pace deſperaſſet, Paratonio diſcedens obuiam Cæſari cum exercitu venit Alexandriam, ſed proditione Cleopatræ deſertus ab Ægyptiis debellatur à Cæſare: Tunc Cleopatra confeſtim in ſuum monumentum inſiluit, quaſi mortem ſibi allatura, quod audiens Antonius ſeipſum gladio petiit; ipſa verò Cæſaris coniiciens verbis ſe ducendam in triumphum, dum minus cautè ſeruatur, vel aſpidis morſu, vel acu diſcriminatoria veneno infecta ſibi mortem attulit. Sic Cæſar ſolus remanſit Imperator, qui vt omnes belli occaſiones amputaret, Antyllum Antonij ex Fuluia filium, cui Cæſaris filia fuerat deſponſata, ſtatim iugulauit, & Cæſarionem Iulij Cæſaris ex Cleopatra filium fugientem in Æthiopiam perimi iuſſit. Cæſar Romam rediens per Syriam & Aſiam, quintum obtinet Conſulatum, ac firmum Imperatoris nomen cum dignitate oblatum poſſidet. Tunc Herodes Mariamnem coniugem de adulterio ſuſpectam capite damnari à Senatu curat, ſicut & Alexandram ſocrum rebellionis ſuſpectam iuſſit interfici. Viuebant in Iudæa Sanctiſſimi parentes Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Ioachim & Anna, & alij conſanguinei, de quibus infra.

Romam Cæſar reuerſus multiplicem de tot victoriis celebrat

lebrat triumphum cum multis largitionibus, & maximè de subiecta Ægypto & victa Cleopatra: Simul etiam nomen Augusti venerationis ergo retulit, tunc multas edidit leges, vias publicas reparauit, transiens in Galliam bellis agitatam sedauit, profectus in Hispaniam eam in prouinciam redegit Cantabros & Astures subiiciens. Hoc tempore Consul Agrippa charissimus Augusto templum omnibus diis ædificauit, quod ideò Pantheon appellauit. In Iudæa rex Herodes in superiore vrbis parte regiam ædificauit, alia quoque condidit palatia in honorem Cæsaris & Agrippæ, quæ eorum insigniuit nomine: Successerat Ananelo Iesus Phabetis filius, cui substituit Simonem, quia Mariamnem eius filiam duxerat vxorem. Hoc tempore tam grauiter infirmatur Augustus, quòd moriturus infallibiliter crederetur, & sequenti anno pestis grauissima sæuiit in Italia: Augustus prouincias imperij Romani perlustrat incipiens à Sicilia, & inde transiens in Græciam: Cumque Romam rediisset, Agrippam Vrbi præfecit, cui filiam suam Iuliam vxorem tradidit, repudiata priùs alia coniuge quæ filia sororis Augusti erat: Ex hoc autem matrimonio Agrippæ & Iuliæ natus est Caius. Post hæc Augustus traiecit in Asiam minorem, vbi constitutis rebus Bithiniæ transiuit in Syriam, quando rex Herodes templum Salomonis iam à Zorobabel instauratum de nouo reparauit. Agrippam sedandis in Gallia populis deputauit, quem ad Imperij penè societatem sublimauit; non multò post ipse Augustus ob eosdem motus sedandos transiit in Galliam, & Virgilius princeps poëtarum Romæ moritur, nec multo post Horatius insignis quoque poëta.

Anno 28. Imperij Augusti nata est Beatissima Virgo Maria ex Sanctis Ioachim & Anna de progenie Dauid. Quinto post hæc anno moritur in Campania Agrippa rediens ab expeditione Pannoniæ, cui suffecit Augustus Tiberium priuignum trigesimo ætatis anno, filiamque suam Iuliam Agrippæ viduam ei tradidit vxorem, & mensi Sextili nomen suum Augusti indidit. Hoc ipso tempore misit Herodes legatos Romam contra filios, quasi suspectos de Parricidio intentato,

tentato, ſcilicet Alexandrum & Ariſtobulum; qui Auguſtum Herodi offenſum placarunt, & ab ipſo poteſtatem obtinuerunt, vt poſſet pater filios caſtigare: Fretus igitur Herodes Imperatoris authoritate coacto Beryti concilio contra dictos filios procedens ſimul, acuſatorem ac iudicem facit. Vnde damnati primò Tyrum, dein de Sebaſtē ducuntur, ibique iuſſu patris ſtrangulantur, & in Alexandrio caſtro ſepeliuntur. Antipater etiam Herodis filius contra patrem conſpirat, quæ conſpiratio vt foret ſecreta, per amicos procurauit ſe Romam ab Imperatore vocari, vt abſens ſine ſuſpicione per procuratorem venenum patri daret, & patruo Pheroræ: hic veneno perimitur, Herodes autem inſidias cognoſcens, ſibi cauet, vxorem ſuam Mariamnem illarum conſciam repudiat, filium eius Herodem nomine deſignatum hæredem de teſtamento delet, patremque ipſius Simonem è pontificatu deponit, ſubſtituens ipſi Matthiam Theophili filium.

Finimus hanc mundi ætatem in ſacris myſteriis Conceptionis S. Ioannis Baptiſtæ; deſponſationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ cum S. Ioſeph, quæ traditur fuiſſe die 22. Ianuarij; Annuntiationis ipſius per Archangelum Gabrielem in ciuitate Nazareth, ac ſimul Incarnationis Verbi Diuini; Viſitationis eiuſdem Beatiſſimæ Virginis ad ſanctam Elizabeth in montana Iudeæ; Ac tandem natiuitatis S. Ioannis Præcurſoris, qui ad aduentu Mariæ fuerat ab originali peccato mundatus, vnde ſanctus natus eſt. Cuius natiuitas gaudium attulit vniuerſo mundo, quia vicinam Chriſti Redemptoris noſtri natiuitatem denuntiauit, à qua ſequentem mundi ætatem incipiemus. Sub hoc tempus multi iam florebant, qui poſtmodum à Chriſto vocati, & in ſchola eius educati naſcentis eccleſiæ magiſtri fuerunt, de quibus libro ſequenti decimus.

LIBER



LIBER SEXTVS CHRONOLOGIÆ.

SEXTA MVNDI ÆTAS, SIVE SENECTVS.

PROLOGVS.



ANC vltimam mundi corruptibilis ætatem à Christi Domini natalitiis incipimus, quam spatio mille sexcentorum ac penè sexaginta annorum deducemus. Si Adam primæ ætatis mundi principium, est primus parens mortalium: Si Noë ætatis secundæ principium, est reparator generis humani: Si Abraham ætatis tertiæ principium, est pater fidei credentium: Si Moyses ætatis quartæ principium, est electi populi Legislator: Et si Dauid ætatis quintæ principium, est Psaltes Domini, ac Regius Propheta, vir secundùm cor Dei: Iesus Christus Dominus noster, à cuius natiuitate sextam ætatem incipimus, est Deus æternus, æternique Patris filius, secunda Sanctissimæ Trinitatis persona, Sanctus Sanctorum, Saluator mundi perditi, Redemptor generis humani: Vno verbo ipse est Dominus, cæte-

ri verò serui; qui cum esset Patri consubstantialis, coæternus & Beatissimus Deus, propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est, omnes nostras assumens pœnalitates, vt pro nobis posset pati, crucifigi & mori. Et vt seruus redimeretur à peccatis & captiuitate diaboli, filius Dei naturalis, piissimo Beatissimæ Trinitatis decreto, manibus impiorum traditus est immolandus & crucifigendus. O mira Diuinæ bonitatis dignatio! O immensus Diuinæ misericordiæ thesaurus!

HISTORIA SACRA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

CVM Deus Optimus Maximus pro redemptione generis humani decreuisset homo fieri, vt factus homo satisfaceret Deo de toto rigore iustitiæ pro hominibus, eligitur Virgo purissima de Tribu Iuda ac Stirpe regia Dauid, nomine Maria, quæ Dei incarnati mater esset. Sancti parentes eius fuerunt Ioachim & Anna: Ioachim processit ex regio Dauid sanguine per Nathan filium eius, ex cuius familia procedens Leui genuit Melchi & Pantherem, Panther autem genuit Barpantherem, & hic sanctum Ioachim, vt docet S. Ioannes Damascenus de Fide Orthodoxa cap. 15. de Domini genealogia & sanctæ Dei genitricis: Anna verò patrem habuit Stolanum nomine, & matrem Emerentianam, de cuius educatione ad propagine refert S. Cyrillus Alexandrinus aliique plures, quòd floruit in Iudæa anno septuagesimo septimo ante Diuini Verbi incarnationem quædam virgo nobilis de Tribu Iuda, clara ex Stirpe Dauid, di-

ues admodum, pulchra corpore, ſed pulchrior mente, cui nomen erat Emerentiana. Hæc virgo optimis moribus prædita, ſanctitate & prudentia illuſtris, cum de parentum ſuorum venia filios Prophetarum noſtros prædeceſſores ſæpiùs in Carmelo viſitaret, virtutum exemplis plurimùm illuſtrabatur, & animæ ſuæ ſecreta manifeſtans, cum eis de aduentu Meſſiæ ac de prophetiis ſuper hoc factis conferebat. Cum iam eſſet nubilis, & à piis parentibus ad generis propagationem, ex inſtituto legis antiquæ deſtinaretur matrimonio: pia virgo caſtis eloquiis imbuta, & virginali vitæ aſſueta reſtitit aliquantulum, eo quòd in occulto promiſiſſet Deo ſe ſeruaturam virginitatem, ſi Diuinæ eius placeret maieſtati. Recurrit ergo pro hac re (ſicut & pro aliis grauioribus conſcientiæ ſuæ negotiis recurrere ſolebat) ad dictos filios Prophetarum in Carmelo commorantes, narrans ipſis ſuorum parentum voluntatem, pariter & ſuam. Hi in ieiunio & oratione Deum conſuluerunt, donec ſenior & alij duo in ſpiritu rapti radicem viderunt pulcherrimam, duas ex ſe emittentem arbores: Ex quarum vna natus eſt ramus ſpecioſiſſimus inter alia duo ramalia, producens florem puriſſimum & fragrantiſſimum, ac optimo cœlum & terram odore perfundentem; ex reliquis etiam huius arboris ramalibus flores nati ſunt, ſi ſeorſum ſpectentur, pulcherrimi, non autem ſi cum primo comparentur: Ex altera verò arbore nata eſt virga ſanè pulchra, pulchriorem producens florem, nec tamen primo comparabilem. Inſuper cum deſcriptæ viſionis extaſi ſimul eſt audita vox dicens; *Hæc radix eſt Emerentiana noſtra, magnæ propagationi deſtinata*: eiſque manifeſtatum eſt, quòd arbor prima ſignificabat quandam filiam ſacratiſſimam, quam in ſtatu matrimoniali Deus ipſi daturus erat; ramus eius ſpecioſiſſimus deſignabat virginem caſtiſſimam, quam filia ipſius Emerentianæ eſſet productura, quæ virgo permanens florem paradiſi & fructum æternæ vitæ, id eſt filium Dei naturalem, eſſet in ſuo virginali vtero clauſura, & tandem

tempore

tempore debito sine dolore paritura: Hæc Dei sacramenta viri sancti Emerentianæ virgini retulerunt, quibus intellectis Deo parentibusque obediens in matrimonium consensit, Dominum humiliter orans, vt nulli coniungeretur qui ipsum non timeret: Cumque post hæc successiuè sex ad illam adducti fuissent viri, nulli eorum voluit coniungi propter corruptam ipsorum intentionem quam Spiritu sancto reuelante præcognoscebat; postremò superuenit septimus nomine Stolanus vir iustus ac timens Deum, & qui non causa libidinis explendæ (cum esset virgo speciosissima) sed potiùs causa suscitandæ prolis illam quærebat habere sponsam. In hunc igitur Stolanum consensit: ex quo matrimonio Emerentiana peperit filiam Ismeriam, quæ genuit filium Eliud & filiam Elizabeth matrem Ioannis Baptistæ; peperit etiam Emerentiana aliam filiam, cui Annæ seu Gratiæ nomen dedit, quæ verè gratia fuit, quia ex eius filia Maria processit Iesus Saluator mundi. Duobus aliis Anna nupsit: Scilicet Cleophæ, ex quo Mariam aliam peperit, quæ nubens Alphæo genuit Iacobum minorem, Ioseph iustum, Simonem, & Iudam: Necnon Salomæ, ex quo protulit alteram Mariam, quæ Zebedæo nubens genuit Iacobum maiorem & Ioannem Euangelistam. Hi omnes sunt consanguinei Christi Domini.

Sanctus igitur Ioachim ex vrbe Nazareth lectissimam illam, ac summis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio sibi copulauit, ex vrbe Sephori oriundam. Ex hoc sacro coniugio, non sine miraculo, nata est Maria, quam Deus sibi matrem elegit: Vnde præuenit ipsam in benedictionibus dulcedinis; nam à communi peccato originali præseruauit: Eius immaculata Conceptio contigit die octaua decembris, Natiuitas autem octaua die septembris anni sequentis: Diuina protectio specialis beatissimam hanc puellam in domo parentum primo ætatis triannio, sub tenero eorum amore direxit, quo expleto pij parentes filiam charissimam deduxerunt in Ierusa-

lem

lem Deo consecrandam; quam propterea die vigesima prima Nouembris in templo præsentarunt, cum aliis puellis ibidem educandam. Perseuerauit in domo Domini Diuini timoris & amoris lacte educata vsque ad decimum quartum ætatis annum: Inspirante Deo primis illis annis votum virginitatis emisit, quod illibatum seruare decreuerat: Verùm cum illi sacerdotes ineundum esse matrimonium iuxta legis illius consuetudinem indixissent, se Deo commendans Virgo purissima, didicit eius reuelatione se virginitatis florē in matrimonio conseruaturā, consentiente sponso quē ei parauerat. Traditur, multos ex Tribu Iuda ad eius societatem aspirasse, sed oraculo Diuino pronuntiatum fuisse, vt illi ex concurrentibus concederetur, cuius virga floruisset. Hæc sors fœlicissima Ioseph contigit, qui de regia Dauid stirpe procedebat, sicut & sacratissima eius sponsa Virgo Maria; secundùm naturam quidem, per Salomonem, vt deducit S. Matthæus cap. 1. sed secundùm legem, per Nathan, vt ostendit S. Lucas cap. 3. Et hac legis ratione Ioseph fuit Beatissimæ Virgini propinquus, vt S. Ioannes Damascenus loco citato demonstrat: Nam Leui ex familia Nathan genuit Melchi & Pantherem, Panther genuit Barpantherem, & hic genuit Ioachim patrem Beatissimæ Virginis: Melchi verò frater Pantheris duxit viduam vxorem Mathan & matrem Iacob patris Ioseph, & ex ea genuit Heli, ita quòd Iacob & Heli fratres essent vterini, ille ex familia Salomonis, iste ex familia Nathan. Porrò cū Heli moriens nullum ex vxore filium reliquisset, Iacob eius frater viduam ipsius vxorem accepit, vt secundùm legem fratri mortuo semen suscitaret, & ex illa genuit nostrum Ioseph; qui proinde fuit filius Iacob secundùm naturam, & secundùm legem filius Heli.

Postquam Ioseph tam fœlici matrimonio Mariam sponsam obtinuit, ipsi tanquam sponsus, ac fidelis custos virginitatis adhæsit, quam feruentissimo simul & castissimo prosequebatur amore, & colebat veneratione, san-

ctissimam eius vitam contemplatus. Ratum fuit hoc fœlix matrimonium die vigesima secunda Ianuarij; & vix duo fluxerant menses, cum adueniente sacræ incarnationis tempore, quo Deus voluit homo fieri, missus est Gabriel Archangelus ad Mariam Virginem desponsatam Ioseph, nuntians ei mysterium quod in ea complendum erat: quæ post prudens legationis examen, consensum præbuit his verbis, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*; Et tunc in sacratissimo eius vtero, virtute Spiritus sancti, ex purissimo eius sanguine cócipitur Christus Dominus, verus Deus & homo, simulque ipsa Dei mater efficitur. Cum ex Angelica salutatione didicisset consobrinam suam Elizabeth sterilem miraculosè filium iam à sex mensibus concepisse, ad eam inuisendam cum suo sponso Ioseph properauit, ad cuius primam salutationem Ioannes in vtero matris ad Domini præsentiam exultat, & Elizabeth Mariam Dei matrem agnoscit interna reuelatione, & vt talem humillima veneratione alloquitur. Mansit piissima Virgo cum Elizabeth vsque ad partum Ioannis iam sanctificati, quasi mensibus tribus, quo edito rediit in ciuitatem suam Nazareth, vbi cum à sex mensibus esset grauida, Ioseph eius sponsus nesciens mysterium, voluit illam occultè dimittere: sed hæc illi cogitanti apparuit Angelus dicens; *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est; Et pariet filium, & vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Angelica instructione Ioseph edoctus, omni diligentia & possibili reuerentia famulabatur sacræ coniugi suæ, fœlix illud natiuitatis Diuini ipsius filij tempus expectans. Contigit tunc, quòd Augustus Cæsar iusserit vniuersum orbem terrarum per imperij Romani præsides describi, vel superbia, vel curiositate nimia subditorum suorum numerum scire desiderans: Quadragesimus secundus eius imperij currebat annus, & decimus quintus ætatis Beatissimæ Virginis; cum hæc descriptio cœpta est

per Cirinum Syriæ præsidem; debebat enim quilibet in sua patria describi cum sua coniuge. Vnde ascendit & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, vnde familia eius ducebat originem, vel etiam vbi fortè natus ipse erat, eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante & proxima partui. Pauperes & modesti processerunt, asini solius vsum ad gestationem sacratissimæ sponsæ, & bouis ad deferenda itineri necessaria habens, ad hunc enim vsum in illis partibus boues vidi deseruire: viginti quinque circiter leucis distat Nazareth à Bethleem. Exeuntes igitur à sua domo, quam in meo Orientali Itinerario descripsi, & transacta valle ad vnum milliare longa, descendunt in campum magnum Esdrelon torrentis Cisson aquis irrigatum, quem lentè peragrantes ad montes Ephraim accedunt, illos superant, Samariam transeunt, & Ierusalem prætergressi perueniunt Bethleem, quarto forsam itineris die.

Factum est cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret Maria, & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Vix credi potest, quanto mentis iubilo Virgo puerpera filium suum recenter natum salutauerit, reuelatum est S. Brigittæ ipsam ei dixisse; *Benè veneris Deus meus, Dominus meus, & filius meus*: Post hæc amplexatur summa cum reuerentia ac simul amore materno, osculatur, ac virginali lacte reficit. Medium silentium tenebat omnia, & nox in suo cursu medium iter habebat, cum natus est Dominus: cuius natiuitatem Angeli celebrant cantibus, & cœlestis legatus denuntiat eam pastoribus, qui statim relictis gregibus suis accurrunt Bethleem, vt annuntiatum sibi cœlitus promissum genti suæ Messiam, tunc natum adorarent.

Elapsis octo diebus circumciditur puer, & Iesus vocatur indito cœlitus nomine: Natiuitas eius acciderat die vige-

ſima quinta Decembris, & circumciſus eſt die prima Ianuarij; ſexta verò die menſis eiuſdem tres Magi ſeu Reges ab oriente venerunt indicio nouæ ſtellę moti, myſtica ei deferentes munera, Aurum, Thus & Myrrham; & ad eiuſdem ſtellæ ductum tranſacta Ieruſalem, conſultoque Herode peruenerunt Bethleem, ibique muneribus oblatis Chriſtum paruulum adorauerunt. Ex ſcripturæ fundamento & vſu Eccleſiæ colligitur ex tribus illis regibus vnum fuiſſe Chaldæum, alium Arabem, tertium Æthiopem; nam etiam oblata munera in illis regionibus ſibi conterminis inueniuntur. Finitis poſtea purificationis præceptæ diebus, Virgo Deipara venit in templum duplici titulo; primo quidem, vt iuxta legem filium ſuum primogenitum Deo offerret, & quinque ſiclorum pretio (qui ſeptem ferè Galliæ francos efficiunt) redimeret; ſecundo autem, vt ſeipſam purificaret coram hominibus, quæ coram Deo ſemper fuerat puriſſima, & in conceptione ac partu filij conſecrata; obtulit autem in ſua purificatione par turturum aut duos pullos columbarum.

Dum completis huiuſmodi myſteriis in templo Ieruſalem, cum agnitione Chriſti per ſanctum Simeonem & Annam propheti ſſam, ſanctus Ioſeph cum ſanctiſſima ſua ſponſa reditum in domum ſuam Nazareth parant, Angelus in ſomnis apparuit illi, prænuntians ei mox futuram Herodis perſecutionem contra puerum, & præcipit ei vt fugiens in Ægyptum maneat ibi vſque ad nouum ipſius mandatum. Recedente igitur celeriter in Ægyptum Ioſeph cum alumno ſuo Ieſu & Maria ſponſa: Videns Herodes quòd illuſus fuiſſet à Magis, ſuſpectum ſibi regem quaſi tyrannus inuaſor regni formidans, voluit ipſum delere; Cumque quis eſſet ignoraret, inaudita crudelitate iuſſit omnes paruulos à Bimatu & infra in ciuitate Bethleē & in omnibus finibus eius occidi, didicerat enim ibi Chriſtum fore naſciturum, propterea tot innocentes martyrio conſumpti ſunt. Tunc in Iudæa Matthiæ pontifici

ſucceſſerat

ſucceſſerat Ioazar, cui poſt duos annos ſucceſſit Eleezar.
Sub finem primi anni à natiuitate Chriſti moritur Herodes impius, Diuina illum iam plectente iuſtitia in vltionem tot ſcelerum, vt infra dicetur: Et Angelus iterum apparens Ioſeph in Ægypto, præcepit ei redire cum ſacratiſſima ſua familia in Iudæam; Vnde dixit ei, *Reuertere in terram Iuda, mortui ſunt enim qui quærebant animam pueri*: Et ita venit in ciuitatem ſuam Nazareth, vbi labore manuum ſuarum familiam ſuam ſuſtentabat vt ſponſus Mariæ, & Chriſti Ieſu nutricius, cum mira ſedulitate legem Domini cuſtodiens; & ſacras illius ſolemnitates celebrans. Tunc accidit, quòd cum Ieſus eſſet annorum duodecim, venit ſanctus Ioſeph Ieruſalem ad vnam ſolemnitatum celebrandam cum Maria & Ieſu: ſed cum poſtea rediret Nazareth, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, inſciis parentibus, qui credebant ipſum eſſe in comitatu conſanguineorum & amicorum ſimul redeuntium; Verùm cum ſub veſperam accedentes ad hoſpitium non inueniſſent, reuerſi ſunt in Ieruſalem, & poſt triduum inuenerunt eũ in templo in medio Doctorum interrogantem eos, cuius interrogata & reſponſa mirabantur audientes. Cũ Maria dilectum filium ibi vidiſſet, dulci lamentatione ſic ipſum alloquitur; *Fili quid feciſti nobis ſic, ego & pater tuus dolentes quærebamus te*: Cui reſpondẽs Chriſtus ait; *Et quid eſt quòd me quærebatis, neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* Tunc ipſum aſſumentes venerunt in domũ ſuam Nazareth, & Chriſtus erat ſubditus illis, & longo illius ciuitatis incolatu Ieſus dictus eſt Nazarenus. Et quamuis ex tunc noſter Ieſus verus pontifex eſſet, non tamen pontificatum exercuit manifeſtè, vſque ad vltimam cœnam, quando ſeipſum incruentum in inſtitutione Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis & vini Deo patri obtulit, ſacerdos ſimul & hoſtia; ſicut & die ſequenti, quando ſeipſum à Iudæis cruentatum in ara crucis obtulit: Vnde legis antiquæ pontifices vſque ad mortem Chriſti, tanquam legitimos continuamus, quos tamen reges

tyranni iam ad libitum commutabant: Et ita dicit Iosephus lib.17.cap.15. Nec Eleazarus diu sacerdotio potitus est, subrogato in viuentis locũ Iesu Siæ filio. Post hæc restituitur Ioazar, sed populi seditione breui repellitur, eique substituitur Ananus Sethi filius seu Annas, de quo fit mentio in Euangelio, quem Ioseph seniorem vocat, & quinque filios pontifices habuisse dicit. Deinde iussu Præsidis Iudææ singulis annis mutantur pontifices: nam Anano seu Annæ amoto sufficitur Ismaël Fabi filius, & huic Eleazar Anani pontificis filius; Eleazaro autem Simon Canithi filius, & Simoni Iosephus cognomento Caiphas.

Cum Christus Dominus vigesimum nonum ageret annum, & sanctus Ioannes ageret trigesimum, hic sanctus Domini præcursor, princeps siue superior Essenorum, ex quibus Carmelitæ procedunt, suo fungens præcursoris officio, cœpit prædicare baptismum pœnitentiæ, multos à peccatis conuertens, & omnes præparans Euangelio: Christus ipse ineũte trigesimo ætatis anno ad baptismum Ioannis accessit, & quasi coacto Ioanne illud recipit: sed super ipsum aperto cœlo Spiritus sanctus in columbę specie descendit, & Patris æterni vox audita est; *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuit.* Post hæc cœpit Christus concionari, adstitit cum sanctissima matre nuptiis in Cana Galilææ (sanctus enim Ioseph ab aliquot annis iam mortuus creditur), ibique per matris intercessionem aquam in vinum conuertit coram primis suis discipulis, Petro, Andrea, Philippo, Nathanael, & si quis alius fuit; quo moti miraculo magis in eum crediderunt. Inde descendit Capharnaum, & post aliquot dies ascendit Ierosolymam ad celebrandum Pascha, vbi multa fecit miracula, quibus plures conuertit, & maximè Nicodemum. Post hæc diuertit ad alia Iudææ loca prædicans regnum Dei, & mediis discipulis conuersos baptizans; ipse namque solam Virginem sanctissimam, Ioannem Baptistam, & Petrum baptizasse traditur; Petrus autem reliquos baptizauit Apostolos.

Videntes discipuli Ioannis Christum baptizare, moti quodam honoris magistri sui zelo, ipsi referunt: quod audiens Ioannes mirabile de Christo testimonium dedit. Post hæc Ioannes coniectus in vincula, eò quòd Herodem regem de scandaloso corriperet incestu, misit ad Christum discipulos suos, sub specie interrogandi de Messia, sed in rei veritate vt videntes eius miracula Messiam ipsum esse crederent: recessit Christus ex Iudæa versùs Galilæam, & transiens Samaria mulierem illam Samaritanam, multosque ciues conuertit biduo commoratus apud illos: Cumque transacta Nazareth venisset in Cana Galileæ, vbi Regulum habuit obuium pro filio laborante deprecantem, quem absens sanauit, & hoc miraculo totam eius familiam conuertit. Deinceps Christus circuiens Galilæam per Synagogas docebat, & multas infirmis sanitates conferebat: Eodem tempore concionum & miraculorum administros sumpsit primos suos discipulos, cum quibus venit Capharnaum, ibique dæmonem vltrò ipsum annunciantem iussit obmutescere, ac exire ab homine. Ingressus Domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne quos paulò ante vocauerat in mari Galileæ, socrum Simonis febribus laborantem curauit. Inde digressus ad oppida vicina fecit multa miracula, desertum in locum abiit vt oraret; reuocatus à suis, cum à circumfusis turbis premeretur, iussit nauiculam transfretare, ipsoque dormiente tempestas suscitatur, quam euigilans sedat mari, & ventis imperando cum stupore omnium. Appulit in regionem Gerasenorum, vbi duos homines à dæmonibus obsessos liberauit, & eius permissione dæmones gregem porcorum arripiunt, & in mare præcipitant. Rediit Capharnaum, vbi paralyticum sanat, Matthæum publicanum sedentem ad telonium vocans conuertit: mortuam Archisynagogi nomine Iairi filiam suscitat, duos illuminat cæcos, mutum simul ac possessum hominem à dæmone soluit

Deinde Iesus occasione festi celebrandi venit Ierosolymam, vbi ad probaticam piscinam sanauit hominem à triginta & octo annis infirmum, & die sabbati manum ari-

dam restituit. Vnde frementes inuidia Pharisæi cum Herodianis ad eius ruinam coniurarunt: Cuius declinandæ causa cum suis discipulis ad mare Galileæ secessit, vbi turbas docebat,& aliquando ex nauicula ne comprimeretur: Ascendit in montem non valde dissitum, vbi cum pernoctasset in oratione,ex omnibus discipulis duodecim elegit Apostolos: Deinde beatitudines prædicauit, quæ totam perfectionem euangelicam continent; descendens post hæc in locum campestrem turbas etiam docuit, leprosum in via mundauit, puerum Centurionis sanauit, mortuum Viduæ filium in ciuitate Naim suscitauit, Mariam Magdalenam Marthæ & Lazari sororem in domo Simonis leprosi conuertit, dæmoniacum quoque cæcum & mutum curauit. Ascendit inde in ciuitatem suam Nazareth, vbi rara patrauit miracula propter eorum incredulitatem, qui tam maligni fuerunt, vt ipsum ex alto monte præcipitare voluerint, sed illæsus de medio eorum exiuit. Inde suos misit ad vniuersam Iudæam discipulos prædicationis gratia, tradens eis opportuna præcepta, & potestatem miraculorum concedens. Tunc occisus fuit ab Herode Antipa S. Ioannes Baptista instante incestuosa & sacrilega Herodiade,quem pij ipsius discipuli sepelierunt.

Post reditum discipulorum ex missionibus, quietis spiritualis causa recessit Iesus cum illis in locum desertum, quo cum turbæ fuissent secutæ, nec haberent quid manducarent, ex quinque panibus & duobus piscibus quinque millia hominum refecit: Cumque facto vespere iussisset discipulos transfretare, solus ipse remansit, sed postea commota tempestate laborantibus discipulis ambulans super aquas succurrit, & ingressus nauiculam tempestatem sedauit, ac veniens in terram Genezareth contactu fimbriæ multos curauit infirmos. Deinde perambulauit Galilæam, & inde profectus in fines Tyri & Sidonis filiam Chananeæ à dæmone liberauit: Rediens ad mare Galileæ surdum fecit audire & mutum loqui, & iterata panum multiplicatione septem panibus quatuor millia hominum saturauit, Bethsaidæ cæcum illuminauit,

minauit, veniens Cæsaream Philippi post miram Petri confessionem, ipsum Vicarium suum in Ecclesia designat: Inde ascendens in montem Thabor, relictis cæteris ad radices montis, coram tribus Apostolis, Petro, Ioanne & Iacobo, præsentibus Moyse & Elia transfiguratur; descendens de monte lunaticum siue dæmoniacum sanat.

Sub festum tabernaculorum vadit Iesus Ierosolymam, decem leprosos mundat in via, mirabilem in templo suam doctrinam proponit, adulteram mulierem iustificat, & miro modo de morte liberat, perambulans Iudæam hospitio Marthæ suscipitur, hydropicum sabbato curat: Cumque à Phariseis interrogatus se Messiam indicasset, eorum lapidare volentium furorem fugiens venit trans Iordanem, vbi malitiam æmulorum arguit, & sacris parabolis viam salutis æternæ docebat. Christo trans Iordanem occasione prædicta degente, Lazarus infirmatur, & breui moritur: Sororum eius Marthæ ac Mariæ Magdalenæ precibus excitatus traiecto Iordane accedit Christus, & stupendo coram multis testibus miraculo mortuum Lazarum iam in monumento quatriduanum solo suscitauit imperio. Multi videntes tam grande miraculum conuertuntur, Pharisæi tam prædictum miraculum, quam Iudæorum conuersionem audientes scandalizantur, & coacto consilio conspirant ad Christi perniciem, decretum mortis contra eum edentes: quo cognito Christus in ciuitatem Ephrem ad modicum tempus recessit. Sed paulò post appropinquante Passionis tempore Ierosolymam petit, propè Iericho cæcum illuminat, Zachæum publicanum conuertit, aliis duobus cæcis lumen restituit; Bethaniam venit, vbi in domo Simonis leprosi cœnans, Lazarum à mortuis suscitatum habuit conuiuam; Die Dominica venit triumphator in Ierusalem sedens super pullum asinæ, cui turbæ cum ramis & canticis occurrerunt; templum ingressus cæcos & claudos sanauit, & Gentilibus ad ipsum accedentibus se manifestauit mortalium Redemptorem breui sua morte futurum, cuius prædictionis confirmatio fuit vox ad eum de cœlo ablata; sed post tantum

populi concurrentis applausum, nullus eum excipit hospitio, vnde sub vesperam cogitur redire Bethaniam.

Quia tempus Passionis instabat, Cœlestis Magister vberiùs æternæ vitæ populo verba promebat: Vnde feria secunda venit Bethania Ierosolymam, esuriit in itinere, & ficum infructuosam maledicendo exsiccauit, ingressus in templum eiecit ementes ac vendentes, & sub vesperam venit in montem Oliueti. Feria tertia venit iterum in templum, vbi multa respondet Scribis interrogantibus, & multa eos interrogat de baptismo Ioannis an sit è cælo, de Messia cuius sit filius; propositis parabolis Iudæorum reprobationem & electionem Gentium prædicit; Scribarum ac Phariseorum malitiam arguit, Iudicium extremum ac secundum filij hominis aduentum post Antichristi tempora denuntiat, ac ferendam in bonos & malos sententiam distinguit,& sub vesperam in montem Oliueti perrexit. Feria quarta Christus denuntiauit post biduum fore Pascha, ac se tradendum Gentibus vt crucifigeretur, dum Iudæi in domo pontificis de ipso tenendo & occidendo consultant, & pretio triginta argenteorum aut siclorum de eius proditione cum Iuda conueniunt. Feria quinta Chistus sub vesperam manducat Pascha cum Apostolis, vt figuras sui cum antiqua lege terminaret, postea pedes ipsorum humilitate summa lauat.& rursus discumbens sanctissimum Eucharistiæ sacramentum instituit, suam Passionem mox instantem annuntiat, miram exhortationem & orationem facit, & hymno dicto venit cum Apostolis in hortum, vbi relictis in villa Gethsemani octo, cum Petro, Ioanne & Iacobo procedens orat, interiùs vsque ad mortem tristatur, exteriùs sudor apparet quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram, sed ab Angelo confortatur.

Finita tandem oratione surgens, & conformis Diuinæ voluntati procedit obuiam iis, qui ad eum capiendum missi fuerant: non negat Iudæ proditori petitum pacis osculum, cum satellites solo verbo prostrasset, facultatem capiendi se dedit, abscissam vni auriculam restituit. Ducitur primum ad Annam socerum Cayphæ pontificis, vbi appe-

titur iniuriis; inde in domum ipsius pontificis trahitur, vbi percutitur, mortis reus proclamatur, & indignis vexatur modis, & ter à Petro iuxta suam prædictionem negatur. Summo mane feriæ sextæ consilium congregant sacerdotes, in quo Iesus à pontifice interrogatus, cum se Christum ac filium Dei palam dixisset, tanquam blasphemus damnatur, & ad iudicem sæcularem Pilatum adducitur. Post eorum accusationes Pilatus quidem Christum agnoscit innocentem, conatur ipsum variis artibus liberare; sed cum nec prævia crudeli flagellatione, nec horrida præsentatione cum corona spinea lapideum cor Iudæorum emollire potuisset; tandem declarata eius innocentia per lotionem manuum, tradidit ipsum eorum voluntati dum Iudas mala ductus pœnitentia pecuniam venditionis restituit, ac seipsum desperaa tione suspendens crepuit medius.

Mortem Christi sic vrgent Iudæi, vt statim crucem ignominiosam parent, paratam humerius eius imponunt, per ciuitatem in montem Caluariæ ducunt, vbi medius inter duos latrones nudus crucifigitur, cuius cruci Pilatus titulum hunc triplici idiomate, Hebræo, Græco & Latino apposuit, *Iesus Nazarenus rex Iudæorum*. Crucifixo insultant Iudæi, milites vestimenta partiuntur: Christus autem pro crucifigentibus orat, vni latronum se confitenti & inuocanti paradisum promittit, matrem cruci adstantem Ioanni commendat, & Ioannem matri, in summa desolatione cordis se derelictum à patre lamentatur, dum sitim extremam moriens testatur, aceto potatur, ac tandem significans omnia iam esse consummata, & spiritum suum sacratissimum Patri commendans, illum inclinato capite post tertiam crucifixionis horam emisit.

Vt Christi Domini, veri Dei & hominis mortem omnis natura testaretur, mira tam in cœlo quàm in terra successere prodigia: sol deliquium lucis patitur, luna penitùs obscuratur, Velum templi tegens sanctum sanctorum scissum est totum in duas partes à summo vsque deorsum, terra tremuit, petræ scinduntur, monumenta aperiuntur, & multa sanctorum

ſanctorũ corpora reſurgunt. Denique tanta fuit alteratio
turæ, quòd Centurio crucifixioni aſſiſtens dixerit de Ch
ſto, *Verè filius Dei erat iſte*: Et S. Dionyſius Areopag
videns tam inſolitam ſolis eclypſim videns exclamau
Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolu
Sub veſperam cum tollenda eſſent crucifixorum corp
propter magnum diem ſabbati, vel ad probandam, vel
perficiendam Chriſti mortem, vnus militum lancea pec
eius aperuit, vnde ſanguis & vnda manarunt. Deinde ad
nientibus Nicodemo & Ioſeph ab Arimathia cum aroma
bus, corpus Chriſti deponitur è cruce, & honorificè ſep
tur in monumẽto nouo, in quo nullus adhuc fuerat ſepul
Cuius ſepulturæ interfuit mater eius doloroſa cum Ma
dalena, Ioanne Euangeliſta & aliis. Die ſabbati mili
adhibentur ſepulchro, qui teſtes reſurrectionis effecti
cuerunt illam pecunia corrupti: Interim Chriſtus ſecu
dùm animam penetrans ad inferos, animas ſanctorum p
trum aliorumque in gratia defunctorum beatitudine don
uit, & ſui poſt quadraginta dies in cœlum triumphi com
tes aſſumpſit.

Die Dominica ſummo mane reſurrexit Dominus, &
piè creditur ſtatim ſuæ matri ſanctiſſimæ apparuit: Dei
de apparuit Mariæ Magdalenæ in ſepulchro perſeuerant
tertio piis apparuit mulieribus qui ad ipſum aromatibu
vngendum venerant, dum redeunt è monumento; poſtqua
ab apparentibus Angelis de eius reſurrectione fuerant in
ſtructæ: Quartò apparuit Petro ad abſtergendas eius la
chrymas, quintò diſcipulis apparuit euntibus in Emmau
ſextò apparuit eadem die diſcipulis in vnum congregatis a
ianuis clauſis, ſeptimò poſt octauam illis iterum apparuit &
Thomæ palpandum ſe præbuit, octauò apparuit in mar
Galileæ diſcipulis piſcantibus, nonò dicitur apparuiſſe diſci
pulis in monte Thabor, Decimò viſus eſt pluſquam quin
gentis fratribus, Vndecimò apparuit Iacobo, tandem duo
decimò cunctis apparuit diſcipulis in ipſa die Aſcenſionis. Ip
ſa igitur die quadrageſima poſt reſurrectionem apparens diſ
cipulis

cipulis, deduxit eos Bethaniam, & assumens Sanctissimam Matrem cum omnibus aliis ascendit in montem Oliueti, vbi valedicens post dulces amplexus ac promissiones,ac suauiter benedicens eleuatus est in cœlum, quem nubes fulgida ab oculis eorum eripuit, sacra pedum vestigia rupi manserunt impressa; cunctisque præ gaudio & admiratione raptis Angeli apparuerunt, & recedere iusserunt in Ierusalem, vt promissum à Christo spiritum sanctum expectarent, quem elapsis decem diebus sub figura linguarum ignearum ipsa die Pentecostes receperunt. Hic terminamus sacram historiam Christi ad dexteram Patris in cœlo collocati.

PRIMVM CHRISTI SÆCVLVM.

PRimum Christi sæculum incipit à Natiuitate Christi, anno mundi secundùm Ecclesię in Martyrologio Romano computum quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono, secundùm alios anno quater millesimo quinquagesimo secundo. Quantùm ad historiam sacram vidimus quid acciderit toto tempore vitæ Christi: successit ipsi tanquam Vicarius in summo pontificatu designatus ab ipso Petrus Apostolus, qui fuit summus pontifex triginta sex annis quinque mensibus & duodecim diebus, quinque scilicet annis Ierosolymæ, septem Antiochiæ, & viginti quatuor cum dictis mensibus & diebus Romæ: fuit naturalis Bethsaidæ, frater Andreæ, dictus Simon filius Ioannis, piscator professione, & coniugatus ante vocationem Christi: sanauit Lyddæ Eneam paraliticum, suscitauit Ioppe mortuam Tabitam siue Dorcam, Baptizauit Cæsareæ Cornelium Centurionem, curauit Iesorolymæ claudum,& innumera alia fecit miracula: Captus postea ab Herode Agrippa per Angelum à carcere liberatur; Venit post hæc Romam secundo Imperatoris Claudij anno, quò peruenit die 18. Ianuarij, quo die Romanus cœpit Episcopatus, cui per mortem Petri summus pontificatus de iure Diuino coniunctus & confirmatus fuit: post extinctionem Simonis Magi Roma cum aliis Iudæis discessit edicto Claudij,& rediens Ierusalem interfuit

terfuit morti & exequiis Beatissimæ Virginis Mariæ cum cæteris Apostolis, sexagesimo tertio ætatis eius anno; post mortem Claudij rediit Romam quinquagesimo sexto Christi anno, suosque in Episcopatu Coadiutores adhibuit Linum & Cletum: Tunc exurgente Neronis persecutione recedere volebat, sed Christo apparente remansit Romæ, vbi non multò post crucifigitur ipsa die qua S. Paulus capite plectitur vigesima nona mensis Iunij. Duas scripsit Petrus Epistolas Catholicas, primos misit in Galliam Episcopos. Tempore S. Petri quædam Concilia celebrata sunt: Primum Ierosolymæ ad substituendum duodecimum Apostolum loco Iudæ, secundum ad eligendos septem Diaconos, tertium contra Corinthum ad declarandum circumcisionem, cæterasque legis cæremonias non amplius esse necessarias, quartum ad permittendas aliquo tempore quasdam ex ipsis, vt cum honore Synagoga sepeliretur, quintum ad diuidendum orbem terrarum Apostolis; sextum dicitur Antiochiæ celebratum. Petro crucifixo successit Linus Volaterranus anno Christi sexagesimo nono, qui vsque ad annum octuagesimum rexit Ecclesiam, quo martyrium subiit, eique sufficitur Cletus Romanus, quo etiam per martyrium extincto pontificatum sumpsit Clemens item Romanus anno Christi nonagesimo tertio, rexitque Ecclesiam decem annis. In nascenti Ecclesia multa scitu dignissima successerunt: Post electionem S. Matthiæ in locum Iudæ proditoris, eliguntur septem Diaconi, Stephanus scilicet, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus. Duobus post Ascensionem Christi annis Paulus propè Damascum ab ipso Christo de persecutore Christianorum conuertitur in Apostolum, qui pro Ecclesia Dei præsertim inter Gentiles mira passus & operatus, dum prædicationibus & sacris Epistolis ipsam erudit: Romæ cum Petro sub imperio crudelissimi Neronis martyrio coronatur. Apostoli discipulique Christi, post factam orbis terrarũ diuisionem, designatas sibi prouincias petierunt, vbi martyrio postmodum coronati sunt: Iacobus maior Ierosolymis primus Apostolorum occiditur sub Claudio imperatore oc-

ciditur; & Iacobus minor ibidem creatus Episcopus dum Christum prædicat primùm lapidibus appetitur, deinde ex edito templi loco deiicitur, vbi fractis cruribus orans pro persecutoribus fullonis fuste percussò capite trucidatur septimo Neronis anno: Iam diximus Petrum cum Paulo Romæ martyrio coronatum: Philippus cum Scythiam penè omnem conuertisset ad fidem, Hierapoli Phrygiæ crucifigitur & lapidibus obruitur: Andreas cum in Scythia Europæ, Epiro & Thracia multos ad Christũ conuertisset, apud Patras Achaię ab Ægea proconsule crucifigitur: Bartholomeus, cum Indiam citeriorem Euangelij prædicatione illustrasset, & veniens in maiorem Armeniam Polybium regem cum vxore, ac duodecim ciuitates conuertisset, ab Astyage Polybij fratre detracta corporis pelle necatur Albanij: Mattheus in Æthiopiam profectus Iphigeniam regis filiam suscitauit à mortuis, quo miraculo regem ipsum cum multis aliis conuertit, sed ab Hirtaco successore postea trucidatur: Thomas Parthis, Medis, Persis, Hircanis, & Bactris cum miro successu prædicauit Euangelium, postea transiens in Indiam Calaminę lancea trucidatur: Simon & Iudas martyrio coronantur in Perside, postquam ille priùs Ægyptum, iste verò Mesopotamiam prædicationibus illustrassent. Matthias dum in Iudæa prædicationis officio fungitur, martyr occubuit. Ioannes post mortẽ Sanctissimæ Virginis Romam venit, vbi propter prædicationem fidei in feruentis olei dolium missus est, totius Asiæ fundauit & diu rexit Ecclesias, in Pathmos insula exulauit, & tandem senio confectus Ephesi moritur. Discipuli Christi Domini laborantes in Euangelij prædicatione toto orbe dispersi sanguinem fundunt: Stephanus omnium primus Ierosolymis paulò post Ascensionem lapidatur: Gallia nostra plures ex illis habuit pontifices & postea martyres; nam Massilia Lazarum cum sanctis sororibus suis Magdalena & Martha ac Marcella pedissequa recepit, Ciuitas Aquensis Maximinum, Arelate Trophimum, Lemouicæ Martialem, Tholosa Saturninum, Petragoricæ Frontonem, Rhemæ Sixtum, Xanctonæ Eutropium, Senonæ Sabinianum, Cenomanum Iulianum,

Iulianum , Vienna Crescentium , Catalaunum Memmium, Bituricæ Vrsinum, ciuitas Claramontana Austromoniū. Ioseph ab Arimathia perrexit in Angliam , & Paulus Sorgius D. Pauli discipulus venit Narbonam : nonnulli etiam perrexerunt in Hispaniam. Qui omnes fidei Christianæ fundamenta iecerunt , proprioque sanguine irrigauerunt. In hoc primo Christi sæculo in tribus patriarchalibus prælatos inuenimus : In Alexandrina Marcum Euangelistam , missum à Petro, qui sexagesimo Christi anno martyr occubuit; Cui successit Anianus , & sedit annis viginti duobus ; post hunc Albilius seu Abilius sedit annis tredecim : In Antiochena post septem annos Petri , sedit Euodius, & 71. Christi anno martyr efficitur ; cui successit S. Ignatius Ioannis Euangelistæ discipulus , & anno Christi 110. Romæ damnatus ad bestias in Amphitheatro in fidei confessione moritur:In Ierosolymitana sedit primus S. Iacobus minor Apostolus, qui 63. Christi anno malitia pontificis Anani prædicto modo interficitur ; huic successit Symeon filius Cleophæ,qui 120. ætatis anno , & Christi 109. crucifigitur. Fuerunt insignes viri tam sanctitate quàm doctrina : nam præter Canonicos scriptores, habemus Prochorum vnum ex septem Diaconis primum Nicomediæ Episcopum & Martyrem , qui gesta Ioannis Euangelistæ scripsit ; Linum Petri successorem, qui passionem sanctorum Petri & Pauli scripsit ;Clementē summum pontificem,qui multa præclara composuit ; Dionysium Areopagitam,qui multa edidit opera,de Diuinis nominibus, de Angelica & Ecclesiastica Hierarchia, de mystica Theologia,qui postea Parisiis martyr occubuit ; S. Hierotheum qui sacros composuit hymnos ; S.Ignatium,qui præclaras scripsit Epistolas traditionibus Diuinis & Apostolicis plenas ; Abdiam primum Babylonis Episcopū & vnum è Septuaginta duobus, Martialem & Polycarpum , & alios qui salutares populis ad fidem conuersis instructiones miserunt. Nec defuerunt in his Ecclesiæ principiis hæretici, quorum primus est Iudas proditor, qui vendens Christum de eius Diuinitate saltē dubitauit. Deinde Simon Magus,Hymeneus,Diotrephes,Menander,Cerinthus, Ebion,& Nicolaitæ.

Quantum

Quantùm ad res prophanas attinet: Præcedenti libro reliquimus Augustum Cæsarem quadragesimo secundo Imperij anno pacificum: Post hæc domesticas patitur afflictiones, & externa bella. Filiam suam Iuliam Tiberio Priuigno nuptam adulteriis infamem audit,& capite plexis eius adulteris, præsertim Antonio Triumuiri filio, de ipsa quoque perimenda cogitauit, sed mitior effectus in Insulam relegauit ab hominum oculis subducendam. Phraates Parthorum rex minorem Armeniam Romanis subiectam inuaserat: sed Augustus misso in orientem Caio suo ex prædicta Iulia nepote, sic eum terruit, vt statim Armenia relicta fœdus renouauerit. Vidimus supra filium Herodis Antipatrum Romam profectum, post decretam medio veneno patri mortem, & necatos eius malitia fratres; nunc Roma redit in Iudæam, & detecta tam insigni eius malitia,iussu patris coniicitur in vincula: Herodes interim ob execranda scelera, præsertim in crudelissima Innocentum morte commissa Diuinitùs plectitur; Vnde ait Iosephus; Regi morbus factus est grauior, pœnam impietatis exigente numine, lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quàm intus viscera popularetur: Aderát & vehemens voracitas, cui necesse esset cibos suggerere continenter; simulque vexabatur intestinorum exulceratione, colicis doloribus: Pedes tumebant plegmate, & pellucido, similiterque inguina; ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermibus, cum molesta tentigine & fœtore grauissimo: super hæc omnia neruorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus. Dum se breui moriturum videret Herodes, & aliàs se populo crederet exosum, immane facinus attentat, iussit omnes nobiliores in circo conuocatos asseruari,suamque sororem Salomen eiusque virum Alexam exorat, vt statim post mortem nondum diuulgatam misso satellitio cunctos illos occideret, vt vel sic coactis totius populi lachrymis mors ipsius honestaretur: Cumque dolores nimium augerentur, vo-

luit se cultro perimere, sed Achiabus eius ex sorore nepos clamans ictum cohibuit. Antipater hoc tumultu patrem mortuum esse credens, custodem carceris sollicitat promissis vt se liberum dimittat; quod audiens Herodes, misso statim satellite iussit filium trucidari: Tunc mutans testamentum, constituit Archelaum regni successorem, Antipæ & Philippo prouincias attribuit, & quinto post die moritur infœlix. Sub hoc tempus C. Lucius Augusti ex Iulia nepos moritur Massiliæ dum missus in Hispaniam pergit, & Caius eius frater post reditum ab Oriente elapsis duobus annis etiam moritur, non sine maximo Augusti dolore, qui ipsum adoptauerat: Vnde Imperator vtroque nepote priuatus Tiberium priuignum & generum suum adoptat, & etiam eadem die M. Agrippam Magni Agrippę filium posthumũ ex Iulia, quam deinceps Augustus ex insula reductam mitius tractat, dum Tiberius ad varias mittitur expeditiones, vt in Germaniam, & Pannoniam; Iunior autem Agrippa Liuiæ artibus Augusto plurimum inuisus in Blanasiam Corsicæ vicinam insulam relegatur. Interim Archelaus rex ad tribunal Cæsaris accusatus Romam vocatur, vbi diiudicata eius causa mittitur in exilium Viennam vrbem Galliæ; & tunc tunc Iudea redacta est in prouinciam Imperij Romani.

Cum Augustus sexagesimum sextum ætatis, & quinquagesimum septimum Imperij annum ageret, Tiberium destinat in Illiricum, relicto in Gemania Germanico Tiberij adoptato simulque nepote ex Druso fratre, qui bello Germaniæ præteritis annis cum eodem Tiberio attenderat: Proficiscentem Tiberium Augustus Neapolim vsque comitatur, licet aliquantum infirmus; rediens aggrauata valetudine Nolæ succubuit, reuocatumque ex itinere Tiberium diu secreto sermone detinuit, & iam moribundus coniugem suam osculatur dicens, *Liuia nostri coniugij memor viue ac vale*: non desunt, qui dicant Augustum ab ipsa coniuge Liuia venenatis ficubus peremptum, quia timebat ne iunior Agrippa reconcilia-

tur

tur Augusto in præiudicium Tiberij filij. Corpus Augusti Romam delatum honorificè, crematur in campo, cuius cineres in Mausolæo conduntur. Tiberius statim Agrippam posthumum iussit interfici, delatumque sibi imperium à Senatu, tanquam præsumpto hæredi Cæsaris Augusti, velut coactus acceptauit quinquagesimo quinto ætatis anno; Paulo post Iuliam inopia ac tabe longa in exilio peremit: Videns Germanici nepotis fortunam & ex bello Germaniæ gloriam adeptam, velut æmulus ab ipso timet, & capta occasione ipsum destinat in orientem aduersùs Archelaum Cappadociæ regem; Asiam, Syriam, & Ægyptum lustrat; moritur tandem non sine veneni suspicione: Cuius filiam nomine Agrippinam Cneo Domitio Tiberius vxorem tradidit, ex quo postea coniugio natus est Nero crudelissimus. Nec multò post moritur Liuia Tiberij mater, & Augusti vidua. Tunc Tiberius Seianum habuit æmulum, à quo sic timuit, vt aliquando fugam paratis iam nauibus dicatur meditatus: sed breui tam odiosum suis artibus ipsum Senatui, populo, militibusque reddidit, vt capite plexus fuerit, filij eius necati, filia quoque in carcere strangulata: multas præterea crudelitates etiam in consanguineos exercuit; sed pius fuit in Christianos, postquam de Christo eiusque doctrina relationem Pilati recepit, imò voluit Christum cum aliis diis adorari, quod cum Senatus reprobasset mira Dei prouidentia, qui filium suum cum falsis diis adorari noluit; saltem prohibuit, ne quis Christianos accusaret: Tandem moritur anno imperij vigesimo tertio, & Christi trigesimo nono. Tiberio successit eius nepos Caius Caligula filius Germanici, qui lasciuam & crudelem vitam ducens anno imperij 4. & Christi 43. à suis militibus trucidatur. Caio Caligulæ successit Tiberius Claudius, filius Drusi Neronis fratris Tiberij, qui anno imperij 13. & Christi 56. à propria coniuge Agrippina filia Germanici veneno peremptus dicitur, ipsum Lugduni in Gallia natum tradit Suetonins. Tiberio Claudio successit Domi-

tius Nero filius Agrippinæ, Priuignus Claudij, & ab ipso adoptatus; in principio clementissimus, postea crudelissimus, & lasciuus etiam contra naturam; persecutionem in Christianos excitauit, Sanctos Apostolos Petrum & Paulum occidit, Senecam quoque magistrum, amitam suam, coniugem Octauiam, matrem Agrippinam, & tandem seipsum formidine pœnæ per Senatum infligendæ. Tunc proclamatur Imperator à militibus Sergius Galba ex nobili familia Sulpiciorum; sed septimo imperij mense trucidatur ab iisdem. Huic successit M. Syluius Otho, qui tertio imperij mense seipsum occidit. Sufficitur Aulus Vitellius, qui lasciuus & gulosus viuens octauo imperij mense captus ab hostibus, ligatis manibus & fune ad collum raptatur, occiditur, & in Tyberim deiicitur. Flauius Vespasianus Dux generosus in imperium ab exercitu sublimatur, de Iudæis cum Tito filio triumphauit, fuit virtutibus addictus, anno imperij 10. & Christi 81. fluxu ventris moritur. Cui successit Titus Vespasianus filius, tam bonus quòd amor & deliciæ generis humani vocaretur; sed tertio imperij & 83. Christi anno moritur. Sufficitur ei fratrer Domitianus Flauij Vespasiani filius, sed crudelissimus maximè contra Christianos, nam Flauium Clementem patruum cum Flauia Domitilla coniuge iussit occidi, aliamque Flauiam Domitillam Virginem suam neptem misit in exilium in insulam Pontiam, sicut & S. Ioannem Euangelistam in Pathmos: sed 15. imperij anno, & Christi 98. trucidatur à Stephano procuratore virginis Domitillæ. Substituitur illi mandato Senatus & exercitus desiderio Nerua Cocceius, suauis moribus, qui prohibuit Christianos accusari vel offendi: & 2. imperij, Christi autem 100. anno febri moritur.

Apud Francos, etsi nondum reges, duces tamen inuenimus: iam à decem annis dominabatur Clogion, quando natus est Christus, dicunt eum fuisse filium Franci Clogioni post triginta ducatus annos successit pri-

mogenitus Herimerus anno Christi 20. cui post duodecim annos interfecto in bello successit frater Marcomerus, qui moriens anno Christi 50. filium Clodomerum successoré reliquit: Hic moritur anno Christi 62. filium Antenerum sibi substituens, qui post sex annos Datherum siue Ratherum filium habet successorem: Hic vsque ad annum Christi 89. vixit, & Richimerum ducatus hæredem instituit, qui ad annum Christi 113. illum administrauit.

Apud Parthos hoc primo Christi sæculo primus regnauit Phraartes III. siue Phrahates filius Orodis & patricida, quem superiùs indicauimus: Cui successerunt in huius sæculi decursu hoc ordine Phraartes IV. Orodes, Vonones, Artabanus II. Gotarzi, Vonones II. qui præerat Medis, Vologeses I. filius Vononis, Artabanus III. filius Vologesis, Pacorus filius Artabani, Chosroas I. frater Pacori.

Apud Æthiopes regnarunt Baazena, Lacasa siue Candaces eius filia, Baazena filia Candacis, Mesuë eius filius, Sectua, Agdala, Agba, Mali, Akle, & Didima.

Apud Scotos iam ante Christi duentum anno 330. sexdecim reges aut duces inueniuntur, scilicet Fergusius filius Ferquhardi regis Hiberniæ, Feritharis, Mainus, Dornadilla, Nothatus, Reuther, Reutha, Tereus, Iosina, Finnanus, Durstus, Euenus I. Gillus, Euenus II. Ederus, & Euenus III. Tandem Metellanus anno quinto ante Christum natum regnare cœpit, & anno 29. Christi moritur: Cui successit Caractacus eodem anno, & deinde anno 54. Corbredus, anno 71. Dardanus, anno 75. Galdus; Cui sufficitur Lugtacus, de quo rursùs sæculo sequenti.

Multi hoc primo Christi sæculo fuerunt scriptores prophani, quos longum esset etiam tantùm indicare: Præcipui sunt, Valerius Maximus, Titus Liuius, Ouidius poëta, Lucius Annæus Seneca, Silius Italicus, Lucanus poëta, Plinius maior, Plutarchus & alij.

Præter iam dictos huius sæculi successus, plures alij memorabiles recensentur Anno Christi 16. Germanicus

ad Rhenum fluuium fundauit Coloniam ciuitatem, quam à nomine coniugis Agrippinæ denominauit. Anno 23. theatrum Pompeij concrematur Romæ, & quinto post anno cadens aliud Fidennæ quinquaginta hominum millia oppressit. Anno 35. dicitur allatus ab Ægypto Romam Phœnis, Aquilæ prorsùs æqualis, collo adinstar auri perlucido, toto corpore coloris purpurei, pennulis coronatus, caudam habens Cæruleam pennis rosei coloris variegatam. Anno 41. Pontius Pilatus Viennam Delphinatus in exilium missus seipsum infœlicem occidit. Anno 44. Druidæ in Gallia sub imperatore Claudio persecutionem patiuntur, & silua Carnutensis, vbi sui intenti mysteriis degebant, succinditur. Anno 46. Herodes Agrippa, qui S. Iacobum maiorem occiderat, & S. Petrum in vincula coniectum occidere decreuerat, quique se Deum affectauerat appellari, subitò moritur ab Angelo percussus, & corrosus vermibus. Anno 46. noua comparuit insula inter Theram & Therasiam magnitudinis triginta stadiorum. Anno 51. tres simul soles apparent, & statim in eundem orbem concurrunt. Anno 60. ciuitas Lugdunensis in Gallia penè tota consumitur igne casuali. Anno 66. Nero magnam vrbis Romanæ partem iussit incendi, volens ad viuum Troiæ incendium contemplari, cuius occasione Christianos velut incendij authores cœpit persequi. In Asia verò tres vrbes, Laodicea scilicet, Hierapolis, & Colossensis terræ motu subuertuntur. Simili terræmotu tres aliæ vrbes in insula Cypro destruuntur. Anno 70. sub imperio Neronis bellum Iudaicum à Vespasiano & Tito filio ducibus inchoatur, & 73. finitur, quo vel fame vel gladio perierunt vndecies centena millia Iudæorum, centum millia diuenduntur in mancipia, reliqui toto disperguntur orbe, succenso templo, totaque regione vastata cum vniuersali vrbium subuersione: Hæc templi succensio contigit ab eius fundatione per Salomonem anno 1130. mensibus 7. diebus 15. à reedificatione per Aggæum anno 639. diebus

diebus 45. anno 2. Vespasiani. Anno 80. sæuissima pestis Romam afflixit, quæ singulis diebus decem millia mortalium consumebat. Anno 82. mons Vesuuius scinditur in vertice, & tantam ignis copiam emisit, quòd regiones & vrbes circumuicinæ consumpserit. Anno 86. tres vestales, Æmilia, Licinia & Marcia, de fornicatione conuictæ sepeliuntur viuæ; similiter octauo post anno Cornelia Vestalium maxima, eodem crimine conuicta. Anno 94. cœpit secunda Ecclesiæ persecutio sub imperatore Domitiano. Anno 99. plura Romæ & alibi prodigia visa sunt.

SECVNDVM CHRISTI SÆCVLVM

PRæcedenti sæculo summum pontificem reliquimus S. Clementem, qui propter fidei confessionem missus in Tauricam Chersonesum appensa in collo anchora submergitur, cuius corpus in ædicula ab Angelis constructa recedente mari repertum est. Huic substituitur anno Christi 103. & die 3. Aprilis S. Anacletus natione Græcus, qui primus Ecclesiam ad sepulchrum S. Petri cœpit ædificare, & post annos nouem pontificatus sub persecutione Traiani martyr occubuit die 13. Iulij anno Christi 112. & propè sepulchrum S. Petri sepelitur. Successit in pontificatu elapsis tredecim diebus S. Euaristus item Græcus, qui constructas Romæ ecclesias præsbiteris distribuit, & martyrio coronatur 26. Octobris anno Christi 121. Cui post Octodecim dies sufficitur S. Alexander Romanus, qui multos Romæ conuertit ad fidem, præsertim Hermem vrbis præpositum cum tota familia; propterea accusatus, post decem annos pontificatus cum Euentio & Theodulo die 3. Maij anno Christi 131. trucidatur. Post 25. dies ei substituitur S. Sixtus item Romanus, qui decimo pontificatus anno die 6. Aprilis anno Christi 142. martyr efficitur. Post duos dies eligitur pontifex S. Telesphorus Anachoreta, qui Græcus fuit natione,

ne, in missa hymnum Angelicum concini voluit, missamque vnam media nocte celebrari ipsa die Natiuitatis Christi: Martyrio coronatur die S. Ianuarij anno Christi 154. Successorem habuit S. Hyginum item Græcum, qui die vndecima Ianuarij anno Christi 158. propter fidem occiditur. Quo mortuo pontifex eligitur S. Pius verè nomine & re, ex Aquileia oriundus, qui postea vndecimo Iulij anno Christi 167. martyr occubuit. Quatuordecim diebus post eius mortem creatur pontifex S. Anicetus natione Syrus, qui die 17. Aprilis anno Christi 175. martyrio coronatur. In eius locum post 17. dies sufficitur S. Soter Fundis in Campania natus, qui die 22. Aprilis anno Christi 179. sua morte fidei testimonium dedit. Successorem habuit S. Eleuterum natione Græcum, qui die 26. Maij anno Christi 194. moritur martyr. Huic tandem sufficitur S. Victor Africanus, qui 28. Iulij anno Christi 203. in odium fidei necatur. Sub hoc Pontifice celebrata sunt quædam Concilia: Romanum, Palæstinum, & Asiaticum, quibus decretum est vt dies Paschatis celebraretur die Dominica post lunam decimam quartam Martij.

Hoc sæculo fuerunt Patriarchæ: Alexandriæ Cordo (non ille hæreticus) qui præfuit annis 11. Primus 12. Iustus item 12. Eumenes 13. Marcus II. 7. Celadion 14. Agrippa seu Agrippinus 12. Iulianus 10. Demetrius 45. Antiochiæ verò post S. Ignatium S. Hero martyr præesse cœpit anno Christi 110. Cui anno 131. successit Cornelius: Deinde Hero II. anno 143. S. Theophilus anno 170. Cui sufficitur Maximinus. Et anno 191. S. Serapió Doctor. Ierosolymæ autem anno Christi 109. S. Simeoni successit Iustus: sequitur anno 113. Zacheus, Tobias, Beniamin, Ioannes, Matthias, & Beniamin II. qui omnes spatio tredecim annorum persecutionibus illorum temporum consumpti sunt: Deinde sequuntur Philippus, Seneca, Iustus, Leui, Ephrem, & Iudas vsque ad destructionem ciuitatis Ierusalem anno 19. Adriani imperatoris, qui etiam breuissimo tempore consumpti sunt: Denique

Denique ſequenti ſucceſſerunt ordine Marcus anno Chriſti 138. electus, Caſſianus, Publius, Maximus, Iulianus, Gaianus, Symmachus, Caius, Iulianus II. & Capito: Quibus anno Chriſti 186. ſubſtituitur Maximus II. poſt hæc Antoninus, Valens, Dulychianus, & S. Narciſſus qui falſis æmulorum accuſationibus in materia caſtitatis motus ad vitam anachoreticam receſſit in eremum; Cui propterea ſubrogatur Dius, & exinde Germanion, Gordius, & Alexander martyrio poſtea coronatus; rurſúſque comparens S. Narciſſus, & manifeſtata eius innocentia tum miraculis, tum miraculoſa accuſatorum punitione, fidelium precibus cogitur Epiſcopatum aſſumere, & Alexandro iam aſſociatus illum adminiſtrare.

Floruerũt hoc ſecundo Chriſti ſæculo inſignes viri, tum ſanctitate, tum doctrina, & præſertim Apoſtolorum diſcipuli, quorum præcipuos tantùm breuitatis cauſa indicamus. Inter ſcriptores ſacros habemus S. Papiam Epiſcopum Hierapolitanum, S. Iuſtinum martyrem Samaritanum, S. Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, S. Hegeſippum hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptorem, S. Athenagoram Athenienſem fidei Chriſtianæ edita apologia confeſſorem apud imperatores, S. Theophilum patriarcham Antiochenum, S. Apollinarem Epiſcopum Hierapolitanum, S. Philippum Cortinæ in Creta Epiſcopum, S. Irenæum Policarpi diſcipulum Lugdunenſem Epiſcopum, S. Serapionem Patriarcham Antiochenum, S. Apollonium Romanum Martyrem; Item Theophilum Cæſareæ Epiſcopum, & Tertullianum prædictis mirabili doctrina præferendum, qui tamen poſtea Montaniſtis adhæſit, & de conuerſione ipſius ignoratur. Præter dictos floruerunt ſanctitate, Titus, Timotheus & Oneſimus diſcipuli S. Pauli; Creſcentius, Zacharias, & Martinus Epiſcopi Viennenſes, Eutropius Xanctonenſis; Euſtachius, Balbina, Gebulus cum Symphoroſa coniuge & ſeptem filiis; Verus & Iuſtus Martyr Epiſcopi Viennenſes; & Photinus Lugdunenſis Epiſcopus cum Blandina &

pluribus aliis martyribus; Praxedes Virgo, Geruasius & Prothasius martyres, & alij tunc prorsùs innumeri. Nec defuerunt hæretici, quales fuerunt Saturninus, Basilides, Carpocrates, Valentinus, Cerdon, Marcion, Montanistæ, Cataphrigæ, Adamitæ, Praxeas & alij.

Quantum attinet ad res prophanas, cum hoc sæculo cœpit Traianus natione Hispanus imperare, qui quamuis ad instantiam Senatus persecutionem contra Christianos mouisset, illam tamē postea speciali reuocauit edicto, commiseratione motus tot fidelium occisorum: fuit tam bonus, quòd hac postmodum acclamatione sequentes fuerint imperatores inaugurati; sis Augusto fœlicior, & Traiano melior, post 19. annos, 6. menses & 15. dies imperij subitò moritur, non sine suspicione veneni. Successit illi P. Ælius Adrianus anno Christi 119. qui penè singulas sciuit artes liberales; fuit lasciuus, inuidus & vanus, & in Christianos crudelissimus, Anno imperij 21. moritur. Successorem reliquit Antoninum cognomento Pium, patria Nemausensem in Gallia, qui motus libro S. Iustini martyris fauit in principio Christianis; sed postmodum instante Senatu illos persequitur: febri moritur 24. imperij anno. Suos nominauit successores Marcum Aurelium & Lucium Verum, quos adoptauerat: hi anno Christi 163. imperium capescentes diuersimodè vixerunt; Lucius Verus fuit dissolutus & lasciuus, & anno imperij nono apoplexia moritur; sed Marcus Aurelius eius frater tam modestus & virtutum fuit studiosus, vt fuerit vocatus defensor vniuersi, ac virtutum speculum: post plures victorias peste moritur anno imperij 19. cuius morte sic affligitur Senatus, vt vestes lugubres pro ipso tulerit. Illi successit Commodus filius anno Christi 181. sed patri dissimillimus; nam fuit impudicus, crudelis, & superbus, vocans se Herculem Romanum Iouis filium: paratur ei venenum ab Ælio Læto & Martia concubinarum dilectissima; cum venenum fuisset irritum, strangulatur à Narcisso, & senatus consulto corpus eius per Vr-

bem

bem tractum proiicitur in Tiberim. Illi sufficitur Ælius Pertinax militum voluntate ac Senatus consensu anno Christi 195. sed ab iisdem militibus post 82. dies imperij trucidatur, dum Reipublicæ statum reparare tentat. Cui substituitur à militibus Didius Iulianus, sed post 66. dies ab iisdem occiditur: Quo tempore Pescennius Niger imperium vsurpat in Syria, Albinus in Anglia, & Septimius Seuerus in Pannonia. In his ciuilibus discordiis Seuerus proclamatur ab exercitu imperator Carnuti in Gallia, & à Senatu confirmatur: Cum Romæ 30. dies mansisset Albino concessit titulum Cæsaris, & contra Pescennium in Orientem processit, quem anno Christi 197. debellatum occidit, sicut etiam Albinum postea rebellem anno Christi 199. suumque primogenitum Bassianum Antoninum Cæsarem nominat: Traditur hic Seuerus murum à mari vsque ad mare construxisse, quo Angliam Romanorum prouinciam à Scotia separaret.

Apud Francos hoc sæculo principatum tenuere Odemarus patri Richimero succedens anno Christi 113. & moritur anno 127. Cui succedens Marcomerus II. filius vsque ad annum Christi 148. dominatur. Post illum succedit Clodomerus II. vsque ad annum 165. deinde Farabertus vsque ad annum 193. Denique Sunnus Feraberti filius, qui mortuus est anno Christi 221.

Apud Parthos regnarunt post Chosroam, Parthenaspates anno Christi 101. Parthis à Traiano imperatore præfectus: quo deiecto subintrat iterum Chosroas. Cui successit Vologeses II. eius filius. Deinde Vologeses III. filius præcedentis: Artabanus IV. frater Vologesis III. qui vltimus fuit rex Parthorum; nam ipso interfecto ab Artaxerce Persa, sceptrum Parthorum ad Persas translatum est.

Apud Æthiopes regnarunt Auretes, Alda, Zeahim de Rama, Gafelas, Bezescoch, & Azgua.

Apud Scotos anno Christi 103. Galdo successit Lugtacus. Anno 106. Mogallus. Anno 148. Conarus. Anno

162.

162. Ethodius. Anno 194. Satrahel. Anno 197. Donaldus I. qui postea anno Christi 203. conuersus est ad fidem, vt infra dicetur.

Inter succeslus huius sæculi memorabiles accidit quòd multæ ciuitates terræ motu subuertuntur, Anno Christi 107. quatuor in Asia & duæ in Græcia, deinde anno 116. Antiochia, Anno 123. Nicomedia & pars Nicræ, Anno 131. Nicopolis & Cæsarea, Anno 182. Smyrna. Romæ Pantheon igne cœlesti succenditur, & Anno 193. templum pacis cum parte ciuitatis Romæ, & in eo spolia templi Ierosolymitani perierunt. Cœpit bellum Iudaicum anno 114. sub Traiano propter Iudæorum rebellionem, sed sub Adriano terminatur anno Christi 137. Reparatur Ierusalem, & mutato nomine vocatur Ælia: Iudæi capti relegantur in Hispaniam, vbi vsque ad tempora Ferdinandi V. & Emmanuëlis Lusitaniæ regis perseuerarunt. Sub Antonino Pio, deinde sub Marco Aurelio & Lucio Vero desæuiit persecutio contra Christianos, vnde multi martyres efficiuntur; sed Deus ipsos persecutores sic peste, fame, aliisque flagellis punit, quòd à persequendo desistere debuerint. Anno Christi 178. Indi missis legatis ad Demetrium Alexandriæ Episcopum obtinuerunt Pantænum Doctorem eximium, qui prædicans hebræum S. Matthæi reperit Euangelium à S. Bartholomæo transcriptum: Hic Pantænus Alexandriæ Theologiam cœpit vberiùs edocere, successorem habuit in docendo Clementem Alexandrinum, & hic Origenem. Et anno 183. Lucius rex Angliæ honorifica legatione ad Eleuterium sanctum pontificem facta, prædicatores Euangelij obtinuit Fugatium & Damianum, qui fidem Christi toto regno disseminauerunt.

Floruerunt hoc sæculo multi scriptores eximij, vt Plinius iunior, Cornelius Tacitus, Solinus, L. Florus, Dion Prusicus, Dorachius Author historiæ Francorum, Galenus medicus, C. Suetonius Tranquillus, Diogenes Laërtius, Iustinus historicus, Ptolemeus Ægyptius princeps Astrologorum

TER

TERTIVM CHRISTI SÆCVLVM.

ANno Christi 203. S. Zephyrinus Romanus eligitur summus pontifex post S. Victorem. Zephyrino martyrio die 26. Augusti coronato successit anno Christi 221. die 1. Septembris S. Callistus. Callisto autem Romano die 14. Octobris martyri effecto successit S. Vrbanus item Romanus anno Christi 226. qui vasa Ecclesiæ fecit argentea, eius tempore S. Cæcilia cum Tiburcio & Valeriano martyrio coronatur, sicut & ipse Vrbanus anno Christi 233. die 25. Maij. Cui post trigesimum diem sufficitur S. Pontianus Romanus, qui relegatus in Sardiniam in odium fidei vexatus occubuit die 19. Nouembris. Post vndecim dies successit S. Antherus natione Græcus anno Christi 237. & vix primo pontificatus mense elapso martyrio coronatur. Huic substituitur post tredecim dies S. Fabianus Romanus indicio præternaturalis columbæ insidentis capiti ipsius anno Christi 238. cui effecto martyri sub Decio die 20. Ianuarij sufficitur S. Cornelius Romanus anno Christi 254. post annum sedis vacantis, ob persecutionem & etiam Schisma Nouatiani primi Antipapæ, martyr occubuit 16. Septembris. Post martyrium S. Cornelij successit die 35. S. Lucius Romanus anno Christi 255. cui duobus post annis obtruncato subrogatur S. Stephanus I. Romanus trigesimo die, anno Christi 257. qui celebrans decollatur. Illi substituitur anno Christi 260. S. Sixtus II. Atheniensis, postquam 22. diebus vacasset sedes, & elapso primo pontificatus anno martyr occubuit. Post triginta quinque dies eligitur noster S. Dionysius monachus Græcus anno Christi 261. qui Sabellium hæresiarcham negantem Diuinarum personarum distinctionem condemnauit, sicut & Paulum Samosatenum negantem Christi Diuinitatem, scriptis eos refutans, & speciali præueniens libello

lo Arianam hæresim distinctionem naturæ in Diuinis personis constituentem: Denique sancto fine quieuit die 26. Decembris anno Christi 272. Cui successit S. Felix I. vltima die eiusdem mensis, erat Romanus, scripsit epistolas ad Maximum Alexandriæ Episcopum contra prædictos errores, & martyrio coronatur die 30. Maij anno Christi 275. Successit illi die 5. Iunij eiusdem anni Eutychianus Lunensis in Hetruria, qui suis manibus 342. martyres sepeliuit, & ipse martyrio coronatur die 8. Decembris anno Christi 283. Nono post die substituitur illi S. Caius Dalmata, consanguineus Imperatoris Diocletiani, qui cum fratre Gabinio & Susanna nepte afficitur martyrio die 22. Aprilis anno Christi 296. Et in eius locum substituitur S. Marcellinus Romanus die 3. Maij eiusdem anni, qui cum priùs formidine tormentorum thus idolis adhibuisset, postea facti pœnitens pro Christo decollatur die 26. Aprilis anno Christi 304. Sub S. Dionysio pontifice duo Concilia celebrantur Antiochiæ contra Paulum Samosatenum eiusdem ciuitatis Episcopum, Primum 70. Episcoporum celebratur anno Christi 266. quo condemnatur eius error, sed emendatione promissa relinquitur in Episcopatu: Verùm relapsus, & in secundo Antiocheno Concilio iterum condemnatus expellitur anno 272.

Hoc tertio Christi sæculo fuerunt Alexandriæ sequentes Patriarchæ sibi succedentes: Demetrio post 45. annos patriarchatus successit anno Christi 234. Heraclas Origenis discipulus, deinde collega & fautor, qui post 14. annos episcopatus moriens successorem habuit S. Dionysium Alexandrinum, qui fuit discipulus Origenis, & postea successor in Vniuersitate Alexandrina, sed tamen acerrimus errorum eius impugnator, & martyr occubuit anno Christi 266. & episcopatus 17. Huic successit Maximus seu Maximianus eodem anno, qui postea moritur anno Christi 285. Maximo successit eodem anno S. Theonus, qui anno Christi 300. successorem habuit

S. Petrum

S. Petrum, de quo dicetur sequenti sæculo. Antiocheni Patriarchæ fuerunt, Asclepiades Serapioni succedens anno Christi 213. deinde successit Philetus anno 219. Zebenus anno 230. S. Babylas anno 241. Fabius anno 253. Demetrianus anno 255. Paulus Samosatenus heresiarcha anno 262. Cui authoritate Concilij deposito substituitur eadem authoritate Domnus anno 272. Et isti successit Timæus anno 277. Deinde S. Cyrillus anno 283. qui doctrina & sanctitate insignis moritur martyr die 22. Iulij anno 299. Ierosolymitani Patriarchæ post Alexandrum & S. Narcissum qui ad 116. ætatis annum vixit, fuerunt electi Mazabenes anno Christi 253. Hymeneus anno 266. qui interfuit Antiocheno Concilio. S. Zambdas anno 296. qui baptizauit sanctos milites Thebanos, postea martyres sub Diocletiano.

Inter scriptores sacros floruerunt Clemens Alexandrinus, Origenes eius discipulus, S. Hippolitus, S. Cyprianus, S. Victorinus Pictauiensis Episcopus. Floruerunt multò plures sanctitate, vt Leonides pater Origenis martyr sub Seuero, Andeolus Subdiaconus à S. Polycarpo missus in territorio Viuariensi martyr, S. Martina virgo Romana martyr sub Alexandro, S. Cæcilia virgo quoque Romana, S. Apollonia virgo & martyr Alexandrina, S. Margarita virgo & martyr Antiochena, S. Paulus primus Eremita, S. Christophorus martyr in Lycia sub Decio, sanctæ virgines Romanæ Rufina & Seconda, S. Nicephorus martyr loco Sapricij sacerdotis apostatæ, S. Laurentius Diaconus martyr post Sixtum II. S. Eugenia virgo monialis ordinis prophetici, filia Philippi Gubernatoris Ægypti, martyr cum Protho & Hyacintho eunuchis, S. Cyrilla virgo filia S. Triphoniæ martyr sub Claudio, S. Valentinus præsbiter & martyr, S. Prisca virgo & martyr Romana, S. Columba virgo & martyr apud Senonas sub Aureliano, S. Fœlix præsbiter nolanus & martyr, Sancti martyres inclyti Clemens Ancyranus & Agathangelus, S. Christina virgo & martyr apud Tyrum

Tirum ſub Diocletiano : Sancti fratres Coſmas, Damianus, Antimus, Leontius & Euprepius : S. Sebaſtianus, S. Georgius Cappadox, S. Suſanna virgo neptis S. Caij pontificis : Et tandem alij martyres innumeri hoc præſertim ſæculo ſub tot tamque diris perſecutionibus. Nec Eccleſiæ ſanctæ defuerunt hæreſiarchæ & hæretici : quales fuerunt Tertullianiſtæ, Origeniſtæ, Nouatiani, Sabelliani, Chiliaſtæ, Samoſateni, Manichæi, & alij plures.

Quantum attinet ad res prophanas, Seuerus Imperator primo huius ſæculi anno, & ſeptimo ſui imperij Antoninum Caracallam filium ſuum collegam creans Auguſtum denominauit : poſtea mœrore conſumitur in Anglia anno Chriſti 213. poſtquam Chriſtianos crudeliter perſecutus eſt. Succeſſor Antoninus Caracalla fratrem ſuum Geram imperij collegam aſſumit, ſed breui trucidauit, & ipſemet magiæ vacans à Martiano Centurione pugione trucidatur inſtigatione Macrini. Hic Macrinus militum tumultu fit imperator, ſed poſt annum & duos menſes ob crudelitatem trucidatur cum filio Diodumeno. Et tunc proclamatur imperator Marcus Aurelius Antoninus filius Caracallæ, cognomento Heliogabalus, qui ſua brutali laſciuia ſic omnibus redditur exoſus, vt 18. ætatis anno trucidatus, per vrbem tractus, & in Tyberim proiectus fuerit. Sufficitur ei Alexander, cum eſſet tantùm 16. annorum, filius mulieris Chriſtianæ nomine Mammeæ, nec erat ipſe alienus à Chriſto : De Artaxerxe rege Perſarum triumphauit ; ſed in expeditione Germanica Moguntiæ Maximini fraudibus occiditur anno Chriſti 237. imperij ſui 13. Tunc acclamatur imperator à militibus ipſe Maximinus, qui veniens in Italiam contra Chriſtianos perſecutionem excitauit : ſed breui ipſe trucidatur ob maximam barbariem. Cumque Maximus Pupienus & Cælius Balbinus imperium inuaſiſſent, à militibus citò perimuntur. Et proclamatur imperator Gordianus iuuenis 16. annorum, cui quaſi tutor Philippus aſſociatur ; ſed hic Gordianum de medio ſubſtulit.

Vnde

Vnde Philippus anno Christi 246. imperium vsurpauit, sequenti anno filium suum collegam imperij & Augustũ declarat: Post hæc vterque fidem Christianam amplectitur sub S. Fabiano pontifice; sed maximo Ecclesiæ damno pater occiditur Veronæ, & filius Romæ malitia Decij anno Christi 253. Hic erat ex inferiore Pannonia, & mortuo vtroque Philippo statim imperium inuadit, Christianos persequitur; sed Deo vlciscente, ipse cum filio eiusdem nominis secundo imperij anno & Christi 254. in bello contra Gothos occiditur proditione C. Vibij Treboniani Galli. Qui vsurpans imperium, filium suum Volusianum creauit Augustum, primò persecutionem Ecclesiæ reuocat, sed postea renouat: sed cum aduersùs Æmilianum imperatorem etiam proclamatum procederet, à militibus occiditur cum filio, & quarto post mense ab iisdem occiditur Æmilianus ipse anno Christi 257. In his tumultibus Valerianus quoque 2. Galli anno fuerat proclamatus imperator, & Gallienum filium sibi associauerat: nunc cæteris competitoribus extinctis imperio fruitur; in principio diligit Christianos, & floret imperiũ; deinde principis Magorum Ægypti suasionibus inductus octauam aduersùs illos persecutionen excitat anno Christi 259. & cuncta succedunt ei infortunia, adeò vt proditione Macriani ducis captus à Sapore rege Persarum, miseram duxerit vitam deseruiens dorso regi equum ascendenti ad instar scabelli, & crudelissimam passus fuerit mortem scoriatus & sale conditus: Gallienus autem cum fratre Valeriano Iuniore ad imperium assumpto, ac suis filiis anno Christi 269. dolo Flauij Claudij à militibus Mediolani trucidatur. Hic Claudius applausu Senatus imperator electus Christianos vexat; sed anno Christi 271. & imperij 3. pestilentia perimitur: Et Quintillus eius frater ac successor ob nimiam seueritatem 17. imperij die trucidatur à militibus. Fauore militum Domitius Val. Aurelianus humili loco natus eleuatur ad imperium: nouam contra Christianos excitat persecutionem,

tionem, cuius tamen edictum, contractis miraculosè neruis subscribere non potuit, imperium in Oriente sub Gallieno perditum reparat, magnificum Soli templum ædificat, circuitum Romæ ad 50. milliaria dilatat: Cumque suo stipatus exercitu inter Constantinopolim & Heracleam incederet, casu fulminis terretur, & paulò post à militibus trucidatur anno Christi 278. Cui sexto post mense Senatus consulto sufficitur Tacitus, qui commotam in Christianos persecutionem sedat. Sed sexto imperij mense moriens Florianum fratrem reliquit successorem; qui tamen post duos menses à militibus trucidatur. Cui statim substituunt M. Aurelium Valerium Probum anno Christi 279. qui veniens in Gallias cum potenti exercitu Germanos inuadentes ad quadringenta millia deleuit anno Christi 280. & Romæ triumphauit: sed cum ad Persicam expeditionem se pararet, occiditur à militibus anno Christi 283. Illi sufficitur M. Aurelius Carus, qui filios Carinum & Numerianum creat Cæsares, fauet Christianis; sed breui decedit anno Christi 284. Tunc filij vsurpant imperium, Carinus in occidente, & Numerianus in Oriente; istum Socer eius Aper imperandi cupidus occidit, ille verò ad annum sequentem Christi 286. imperium protraxit. Audita Numeriani morte exercitus imperatorem proclamat Aurelium Valerium Diocletianum Dalmatam, qui debellato multis victoriis Carino, collegam assumpsit imperij M. Valerium Maximianum: Diocletianus iussit se quasi deum adorari, & voluit denominari Iouius, Maximianus autem voluit cognominari Herculeus: Vterque suum creauit Cæsarem, Diocletianus quidem Galerium Maximianum cognomento Armentarium, Maximianus autem Constantium Chlorum. Hi supra omnes suos prædecessores persecuti sunt Christianos toto orbe terrarum, vt sæculo sequenti dicetur amplius: Anno 298. Diocletianus Thermas in monte Quirinali magnificas & amplissimas labore Christianorum cœpit ædificare.

Apud Francos Sunnus eorum dux principatum tenuit vsque

vſque ad annum Chriſti 221. quo moriens primogenitum ſuum Childericum ſeu Hildericum ſucceſſorem reliquit. Huic ſucceſſit filius Bartherus anno Chriſti 261. Iſti quoque ſubſtituitur filius Clodius ſiue Clogion II. anno Chriſti 279. Succeſſit Clodio filius Valterus ſeu Vatterus anno Chriſti 297. qui moritur ſæculo ſequenti anno 305.

Hoc tertio Chriſti ſæculo, vt iam indicatum eſt, Artaxerxes regnum Perſarum Parthis priùs ſubditum, independens & glorioſum reddidit, eique tam Parthos quàm alios ſubiecit populos: moritur anno Chriſti 242. Cui ſucceſſit Sapor filius, & 31. annis regnauit vſque ad annum Chriſti 273. Huic ſuccedens Hormiſda filius, vnico regnat anno. Sequitur Varanes eius frater, qui tribus regnat annis. Varanes II. filius primi, dictus Narſeus, decem regnat annis. Varanes III. filius ſecundi, dictus Saganeſnus, quatuor tantùm regnat menſibus. Cui ſucceſſit Narſes filius Hormiſdæ, qui ferè octo regnans annis moritur anno Chriſti 301.

Apud Æthiopes hoc ſæculo ſequentes numerantur reges Agua, Hherch, Beſaſene, Guachena, Hadas, Sachel-Affe, & Aſgheba.

Apud Scothos poſt Donaldum regnauit Ethodius II. anno Chriſti 216. Athircus anno 221. Natholocus anno 242. Findochus anno 253. Donaldus II. anno 263. Donaldus III. anno 264. & Crathlintus anno 273.

Inter prophanos ſcriptores floruerunt Alexander Aphrodiſcus primus Ariſtotelis commentator, Domitius Vlpianus Iuriſ-conſultus, Nicoſtratus hiſtoricus, Plotinus Ægyptius è Schola Platonis Magiſter Porphyrij, Porphyrius Tyrius, & alij quàm plures in omni genere ſcientiarum.

Multi ſucceſſus memorabiles hoc ſæculo contigerunt: Seuerus imperator Parthos & Arabas debellat. Sub ipſomet Seuero tota penè Gallia fit Chriſtiana; ſicut & Scothia cum rege Donaldo, regina, & regia prole: quibus conuerſionibus imperator iratus vniuerſalem ac crudelem contra Chriſtianos excitat perſecutionem, vt oculatus teſtis Tertullia-

nus scribit : Veniens hic imperator Lugdunum in Gallia Clodium Albinum interficit, qui se Cæsarem nominabat, & inde bellum in Angliam transfert. Amphitheatrum Romanum ardet in ludis Vulcani. Castellum Emmaus fabricis ampliatum denominatur vrbs Nicopolis. Arabia fidem Christi recipit Origenis missione. Persæ sub Sapore rege prouincias Orientales imperij inuadunt, & Antiochiam capiunt. Imperator Philippus vrbem in Thracia fundans insignit suo nomine : sub ipso fides Christi miris toto orbe terrarum incrementis dilatatur. Qua propter Decius mortuo Philippo succedens septimam excitat persecutionem. Bellum tunc Alexandriæ sæuiit, quod dira pestis subsequuta est, in qua plures Christiani, tam Ecclesiastici quàm Laici, se laborantium obsequio deuouentes ethnicos in admirationem rapiebant, in quo charitatis exercitio mortui velut martyres in Ecclesia coluntur. In punitionem tot persecutionum miris variisque flagellis imperium Romanum vbique affligitur, terræ motibus magnis, diuturnis tenebris, inundationibus maris, pestilentia, fame, templorum incendiis præsertim Dianæ Ephesinæ, Barbarorum inuasionibus & aliis similibus. Tota Græcia, Pontus, & Asia minor à Gothis occupantur; sicut & Hispania Tarraconensis à Germanis. Ciuitas Aurelianensis in Gallia fundatur ab Aureliano imperatore. Nicomediæ viginti millia Christianorum in vigilia natiuitatis Domini maluerunt in Ecclesia concremari, quàm thus idolis incendere. Et in Phrygia vrbs integra propter fidem Christi flammis consumitur. Sed multò plures Christiani sub impiissimis Diocletiano & Maximiano coronantur martyrio. Anno Christi 300. prope Lingonas sexaginta millia Germanorum à Constantino Cæsare occiduntur.

QVARTVM CHRISTI SÆCVLVM.

POst martyrium S. Marcellini, Pontifex eligitur 25. die sedis vacantis anno Christi 304. S. Marcellus Romanus, qui Romæ 25. titulos quasi parrochias diuisit, & sub Maxencio postea ad stabulum alendis animalibus damnatus, cilicio amictus mille miseriis obiit 16. Ianuarij anno Christi 309. Quo anno substituitur ei S. Eusebius natione Græcus die 5. Februarij, qui post toleratum persecutionis rigorem in pace quieuit 26. Septembris anno Christi 311. Post septem dies successit ei S. Melchiades Africanus, qui multa pro fide passus moritur sub imperio Constantini magni die decima Decembris anno Christi 313. Illi subrogatur die prima Februarij sequentis anni S. Siluester Romanus eiusdem Constantini tempore, qui propter persecutiones aliquandiu latuit in monte Soracte, deinde post multa bona opera moritur in pace die 31. Decembris anno Christi 335. Inter alia Constantinum magnum baptizauit post totalem conuersionem ad Christi fidem, ad quam fuerat semper propensus, vt suo loco dicetur. Siluestro successit S. Marcus Romanus die 14. Februarij anno Christi 336. qui breui consummatus sancto fine quieuit die 7. Octobris eiusdem anni. Viginti diebus elapsis subrogatur S. Iulius Romanus, qui postea moritur anno Christi 352. die 13. Aprilis. Cui die 8. Maij eiusdem anni Liberius Romanus substituitur qui ab Arianis missus in exilium anno secundo dicitur subscripsisse condemnationi S. Athanasij, cumque exteriùs Arianis communicaret, tanquam præsumptus hæreticus à Clero Romano reiicitur, & eius loco S. Fœlix II. pontifex creatur: sed hoc post quindecim menses effecto martyre, rediens Liberius, fidem Catholicam profitens, & externam purgationem hæresis præsumptæ faciens, pristinæ sedi restituitur, in qua post hæc sanctissimè perseuerauit vsque ad annum Christi 367. Illi post sex dies sufficitur S. Damasus Hispanus siue Lusitanus vir doctus, qui plenus

dierum ac bonorum operum moritur die 11. Decembris anno Christi 384. Eius tempore fuit secundum schisma Ecclesiæ; nam Vrſicinus eodem anno quo S. Damaſus creatur papa, ſed breui vt Antipapa reiicitur. Poſt mortem S. Damaſi triginta & vno diebus elapſis die 12. Ianuarij anno Chriſti 385. eligitur S. Siricius Romanus, qui poſtea moritur anno Chriſti 398. Cui poſt viginti dies ſedis vacantis ſucceſſit electus 14. Martij S. Anaſtaſius I. Romanus, qui poſt damnatos Origenis errores moritur die 27. Aprilis anno Chriſti 402. ſui pontificatus 5. Hoc ſæculo ſub prædictis pontificibus multa fuerunt celebrata Concilia, vt Sinueſſæ Concilium anno Chriſti 303 circa lapſum & pœnitentiam S. Marcellini, Romanum anno Chriſti 313. celebratum contra Donatiſtas, Arelatenſe I. anno Chriſti 314. contra eoſdem Donatiſtas celebratum, Ancyranum in Galatia eodem anno celebratum contra apoſtatas à fide, Neoceſarienſe celebratum eodem anno contra ſacerdotes matrimonium contrahentes, Laodicenſe in Phrygia ad morum reformationem, Romanum anno Chriſti 324. vbi fit mentio Cardinalium omniumque Eccleſiæ ordinum, Generale Nicænum 318. patrum anno Chriſti 325. contra Arium pro Diuinitate Chriſti & feſto Paſchatis, Gangrenſe in Paphlagonia contra Euſtathium damnantem matrimonia, Romanum anno Chriſti 337. contra Arium, Aliud Romanum anno Chriſti 341. pro abſoluendo Athanaſio, Romanum aliud anno ſequenti pro eodem Athanaſio, Mediolanenſe celebratum anno Chriſti 344. Colonienſe anno 346. contra Euphratas negantem Chriſti Diuinitatem, Generale Sardicenſe celebratum anno Chriſti 347. contra Arianos; Carthaginenſe I. pro reunione Donatiſtarum, pro reformatione morum, & cœlibatum Clericorum anno 348. Mediolanenſe contra Arianos anno 350. Romanum contra eoſdem anno 352. Generale Concilium Sirmij anno 357. contra Photinum eiuſdem vrbis Epiſcopum negantem Chriſti Diuinitatem, Alexandrinum ſub S. Athanaſio celebratum anno 362. & 363. contra Arianos, Romanum contra

tra eoſdem anno 369. Aliud Romanum anno 373. contra Apollinariſtas, Valentinum in Delphinatu ad reformandos Eccleſiæ mores anno 374. Antiochenum anno 378. occaſione ſchiſmatis. Generale Conſtantinopolitanum anno 381. contra Macedonium negantem Spiritus ſancti Diuinitatem, Aquileienſe eodem anno contra reliquias Arianorum, Cæſar-auguſtanum eodem etiam anno contra Priſcilianiſtas, Burdegalenſe anno 385. contra eoſdem, Mediolanenſe anno 390. contra Iouinianum, Taurinenſe ad morum reformationem anno 397. Triplex Carthaginenſe, vnum anno 397. alia duo anno 398. his tribus ſubſcripſit S. Auguſtinus. Toletanum 1. anno Chriſti 400. multa quoque ab Arianis celebrata ſunt Conciliabula, præſertim Tyrenſe, Ariminenſe, Antiochenum, & Biterrenſe.

Hoc ſæculo Patriarchæ Alexandrini fuerunt S. Petrus martyr, qui Theonæ ſuccedens anno Chriſti 300. martyrio coronatur anno 310. ſucceſſit illi eodem anno Achillas, qui contra mandatum S. Petri Arium Diaconum in communionem recepit, & præsbiterum conſecrauit, & moritur anno ſequenti. Sufficitur Achillæ S. Alexander ſtrenuus Arij impugnator, & multa propter hoc paſſus moritur anno Chriſti 326. quo S. Athanaſius ſubſtituitur, & poſt diuturnas ob fidem Catholicam ab Arianis toleratas perſecutiones, clarus doctrina & ſanctitate deceſſit anno Chriſti 372. Ante mortem conſenſu omnium ſucceſſorē ſuum deſignauit Petrū II. qui moritur anno Chriſti 380. Eique ſucceſſit Timotheus frater, qui moritur anno 385. Huic ſubrogatur Theophilus, qui vſque ad annum 412. vixit, & mortuo ſubrogatur noſter S. Cyrillus. Antiocheni Patriarchæ fuerunt, poſt S. Cyrillum anno 299. morientem, Tyrannus eodem anno ſubſtitutus, qui moritur anno Chriſti 312. S. Philogonius, qui deceſſit anno 319. Paulinus, qui obiit anno 324. S. Euſtathius, qui miſſus in exiliū fœliciter moritur anno 340. Quo cum præualuiſſet Arianiſmus, omnia confunduntur, & non ſolùm hæreſi fuerunt infecti Patriarchæ, ſed etiam ordo temporis ipſorum ignoratur: S. tamen Euſtathio ſucceſſit Ste-

phanus, & isti circa annum Christi 356. Leontius. Postea indicantur in confuso Eulalius, Eusebius, Euphronius, & Flacillus. Ierosolymitani Patriarchæ fuerunt, postquam decessit S. Zambdas, anno Christi 298. successit Hermon siue Thermon. Anno 312. Macharius. Anno 331. Maximus. Quo moriente anno 351. Ariani Ecclesiam Ierosolymitanam inuadentes aliquandiu in sua confusione possident. Verùm tempore Theodosij S. Cyrillus illam obtinet, qui moritur anno Christi 386. Eique successit noster Ioannes 44. qui doctrina & virtutibus insignis sedit vsque ad annum Christi 416. Anno Christi 317. Patriarchæ Constantinopolitani cœperunt: Primus fuit S. Alexander post Metrophanem Episcopum. Anno 340. successit illi S. Paulus, qui fuit in exilium missus, & post ab Eusebianis strangulatus anno Christi 351. Ipso in exilium misso intruditur Eusebius Nicomediensis Arianus anno 341. Cui sequenti anno successit Macedonius heresiarcha. Huic deposito anno Christi 369. substituitur Eudoxius Arianus tunc secretus: ipsoque mortuo anno Christi 370. hæretici eligunt Demophilum, Catholici verò Euagrium. Post quem S. Gregorius Nazianzenus assumitur anno 378. Sed ipsi post tres annos recedenti propter corruptos populi mores substituitur Nectarius, vir quidem bonus, sed rerum ecclesiasticarum ignarus, qui anno 397. moritur, & anno sequenti successorem habuit S. Ioannem Antiochenum cognomento Chrysostomum, de quo sequenti sæculo agetur.

Floruerunt hoc sæculo præ cæteris, quàm plurimi viri doctrina & sanctitate celeberrimi, ac penè omnes Ecclesiæ tam Latinæ quàm Græcæ Doctores. Doctrina præcipuè fuerunt inclyti Arnobius, Lactancius Firmianus, S. Iacobus Nisibita, Iuuencus præsbyter poëta, S. Pamphilius martyr, Eusebius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, S. Athanasius, S. Triphillius Ledrensis in Cypro Episcopus, S. Hilarius Pictauiensis, S. Ephrem Diaconus, S. Optatus Mileuitanus in Numidia Episcopus, Osius Cordubensis Episcopus, S. Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus, S. Basilius magnus,

magnus, S. Gregorius Nyssenus Basilij frater, S. Cyrillus Ierosolymitanus, Euagrius Ponti monachus, Palladius Galata, S. Damasus Papa, Prudentius poëta, Didymus Alexandrinus, S.Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, S.Ambrosius, Ruffinus Aquileiensis, Noster Ioannes 44. Ierosolymorum Episcopus, ac tandem S. Augustinus Doctor eximius Hipponensis Episcopus. Sanctitate etiam fuerunt indyti quàm plurimi martyres in principio huius sæculi sub imperatoribus adhuc ethnicis, vt S. Ferreolus Viennæ in Gallia, S. Vincentius Valentiæ in Hispania, S. Firminus martyr primus Ambiani Episcopus, S. Quintinus Augustæ Veromanduorum, S. Genesius Notarius Arelatæ, alter Genesius mimus Romæ, S. Caprasius Agenni, sanctæ Agnes & Emerentiana virgines Romæ, S. Dorothea Cæsareæ in Cappadocia, S. Bonifacius Tarsi, S.Catharina Alexandriæ, S.Iulianus Antiochiæ, S.Cyprianus cum Iustina Nicomediæ, S.Blasius Sebaste. Post baptismum autem Constantini Magni fuerunt inclyti quàm plurimi Confessores, & resplenduerunt sanctæ mulieres: vt S. Helena Constantini mater, S. Nicolaus Miræ Episcopus, S. Spiridion Trimythuntis in Cypro Episcopus, S. Hilarion, S.Antonius Magnus, S. Pachomius, Sancti Macharij cum innumeris aliis Monachis in Ægypto & Thebaide, S. Cæsarius frater S. Gregorij Nazianzeni, S. Nicetius Viennæ Episcopus, S. Iustus Lugduni Episcopus, S. Vrsula cum sociis virginibus, S. Eutropius Arausicæ Episcopus, S. Arsenius Monachus, S.Monica mater S.Augustini, S.Satyrus frater S.Ambrosij, S. Marcella vidua Romana, S.Paula item Romana vidua, S. Eustochium virgo filia S.Paulæ, S. Martinus Turonensis Episcopus.

Quantum attinet ad res prophanas: reliquimus in imperio sub finem præcedentis sæculi crudelissimos Christiani nominis persecutores Diocletianum & Maximianum, qui desperantes de victoria ex Christianis quarto huius sæculi anno se sponte abdicarunt imperio, & vitam priuatam ducentes, Diocletianus velut insanus morbo lento intra duos annos consumitur, Maximianus autem laqueo se peremit.

Tunc

Tunc Cæsares à prædictis electi imperium assumunt: Constantius Chlorus in oriente succedens Diocletiano, & Galerius Maximianus in occidente succedens Maximiano Herculeo. Constantius anno Christi 306. moritur Eboraci in Anglia, successorem imperij reliquit Constantinum ex Helena coniuge primogenitum, qui Galerij fugiens insidias opportunè recesserat ad ipsum. Galerius autem assumpto Augusti nomine crudelem contra Christianos persecutionem excitauit, duos pro administrando Oriente creauit Cæsares, Maximinum & Seuerum, & occiso postea Seuero substituit Licinium; sed plexus à Domino persecutionis edictum reuocauit, breui tamen obiit. Constantinus igitur iam solus anno Christi 306. & ætatis 31. cœpit imperare, & ducta in matrimonium Fausta Maximiani Herculei filia nomen Augusti sumpsit: Deinde contra tyrannos imperium vsurpantes bellum mouet; & primò contra Maxencium, quem virtute sanctæ crucis sibi in aëre coram toto exercitu monstratæ, & iussu Christi postmodum apparentis in vexillo repræsentatæ debellauit; & similiter contra Licinium Christianis infensum, quem cum filio iuniore Licinio interfecit: Post hæc in imperio pacificus, & apparitione sanctorum Apostolorum Petri & Pauli conuersus ad fidem, anno Christi 324. à sancto Syluestro Pontifice baptizatur, & à lepra simul mundatur: Vnde tunc mira pietatis opera in obsequium Christianæ fidei fecit, & quantum potuit cultum idolorum diminuit: Bizantium Thraciæ ciuitatem ad Pontum Euxinum plurimum amplianit, ac miris exornatam ædificiis, relicta Pontifici Roma, caput Imperij constituit, & à se Constantinopolim denominauit: Tandem moritur in suburbio Nicomediæ anno Christi 337. ætatis 65. Tres filij Constantini Magni scilicet Constantinus II. Constantius, & Constans iuxta patris testamentum sibi diuiserunt imperium: Constantinus primogenitus nō contentus portione sua Galliæ, Hispaniæ & Angliæ, dum limites Constantis inuadit, ab eius militibus occiditur anno 340. Ipse verò Constans anno 350. ætatis 27. occiditur. Augustoduni in Burgundia Magnentii

Magnentio legato, qui tertio poſt anno debellatur à Conſtantio: Denique Conſtantius imperium Orientis habens Arianis fauet, pacem init cum Sapore Perſarum rege, contra Iulianum germanum ſuum cum exercitu procedens eo quòd nomen Auguſti vſurpaſſet in febrim incidit, ex qua cum animam ageret, de tribus doluiſſe traditur, quòd conſanguineos occidiſſet, quòd Iulianum imperatorem nominaſſet, & quòd nouis dogmatibus adhæſiſſet. Iulianus igitur ſuccedens Conſtantio anno Chriſti 361. audita eius morte Conſtantinopolim venit, vbi relicta fide Chriſtiana, quam priùs profitebatur aut fingebat, cultum idolorum reſtituit, Chriſtianos miris modis perſequitur, & tormentis, & ablatis ſacris ſcripturis, & anno 363. procedens contra Perſas vouit ſe Chriſtianos immolaturum diis, ſi victor de Perſis rediret: ſed Deo ſuis fidelibus prouidente, in conflictu vulneratur lancea ad mortem; Vnde rabidus effluentem manu ſuſcipiens ſanguinem, & in aëra proiiciens dixit Chriſto per contemptum; *Viciſti Galilee, viciſti.* Iouianus ex Pannonia ſtatim à morte Iuliani ſalutatur imperator ab exercitu, bonus erat Catholicus, fidem Chriſtianam reſtituit clauſis idolorum templis: ſed vix elapſis octo menſibus imperij, dum Antiochia Conſtantinopolim proficiſcitur, repentina morte ſublatus in lecto reperitur, cum eſſet tantùm triginta trium annorum. Poſt mortem Iouiani communi conſenſu militum Valentinianus ex Pannonia etiam oriundus acclamatur imperator, qui breui fratrem Valentem collegam imperij creauit, vterque fuit Catholicus vſque ad annum 366. quo Valens dolo coniugis Arianis adhæſit perſequens Catholicos; De Valentiniano dubitatur, an etiam peruerſus fuerit, moritur anno 375. ſubito ſanguinis vomitu. Iam à ſeptem annis ſucceſſorem nominauerat Gratianum filium, qui mortuo patri ſuccedens ſexto poſt die fratrem Valentinianum iuniorem quatriennem imperij ſocium nominauit & Auguſti nomine inſigniuit: Expeditionem contra Gothos parat, vt Valenti patruo ſuccurrat, in qua ipſe Valens occiditur anno 378. Gratianus autem veniens in Galliam ob Germanorum

Germanorum rebellionem, in generalibus comitiis Theodosium Hispanum creauit imperatorem, tandem ab exercitu proditus occiditur anno Christi 383 ætatis 28. Tunc Valentinianus II. Gratiani frater & Theodosius imperium tenēt: Valentinianus cum procedit contra Barbaros in imperij prouincias irruentes, Lugduni in Gallia Comitis Arbogasti insidiis occiditur anno Christi 392. ætatis 21. cuius corpus ignominiosè suspenditur, sed delatum in ciuitatem Mediolanensem honorificè sepelitur à S. Ambrosio. Sic relictus solus imperator Theodosius, post multa pietatis exercitia in fouenda fide Catholica, & in paganismo destruendo moritur Mediolani quinquagenarius anno Christi 395. imperij 16. duos relinquens filios imperij successores, Arcadium viginti annorum iuuenem in oriente, & Honorium decennem in occidente, paternæ virtutis imitatores, de quibus agetur amplius sæculo sequenti.

Apud Francos anno Christi 305. Valtero mortuo successit primogenitus Dagobertus siue Decembertus. Huic substituitur Clodius aut Clogion III. anno 316. Cui post duos annos in pugna perempto sufficitur Clodomerus III. frater minor. Et huic filius Richimerus anno 329. Postea Theodomerus Richimeri filius anno 349. Cui à Gallis capto & capite plexo anno 355. successit Clodius siue Clogion IV. eius filius. Similiter Clodio successit filius Marcomerus III. anno 377. sed hoc à Romanis occiso res Francorum à Dagoberto administrantur.

Apud Persas Narses præcedens sæculum conclusit. Huic successit anno Christi 301. Misdates seu Hormisdates filius. Misdati anno 309. substituitur filius Sapor II. posthumus crudelis persecutor Christianorum, qui Constantium, Iulianum Apostatã, & Iouianum imperatores armis diu vexauit, septuaginta regnat annis, & moritur anno Christi 379. Illi sufficitur frater Artaxerxes II. qui quatuor regnat annis, & moritur anno Christi 383. Quem sequitur filius Sapor III. hic regnat quinque annis, & moritur anno Christi 388. Succedit Varanes IV. filius cognomento Cermazar, qui regnat

vndecim

vndecim annis, & moritur anno Christi 399. successorem relinquens Isdegerdem filium.

Apud Æthiopes regnat adhuc Asgheba: Cui successerunt hoc ordine Samra, Aiba, Stendhem, Zacham, San, & Iggaan.

Apud Scothos Fincormacus Crathlinto successit anno Christi 312. Post illum Romacus anno 358. Deinde Augustianus anno 361. Fetelmacus anno 363. & Eugenius I. anno 369. quo mortuo mansit Scothia sine rege vsque ad Fergusium II. de quo sequenti sæculo dicetur.

Floruerunt hoc sæculo multi scriptores prophani, vt Iulius Capitolinus historicus, Iamblychus Syrus philosophus, Gennadius Orator, Donatus Grammaticus præceptor S. Hieronymi. Palladius Methoneensis, Themistius, Libanius Anthiochenus Orator, Ammianus Marcellinus, Claudianus poëta, Decius Ausonius Burdegalensis magister Gratiani imperatoris, & S. Paulini, Symmachus orator, Macrobius, & alij.

Fuerunt hoc sæculo multi hæretici, vt Donatistæ, Ariani, Antropomorphitæ, Semiariani, Anomæi, Luciferiani, Agnoistæ, Apollinaristæ, Priscillianistæ, Iouinianistæ, pluresque alij.

Multi fuerunt hoc sæculo memorabiles euentus. Perseuerauit adhuc in principio huius sæculi crudelissima Diocletiani & Maximiani persecutio contra Christianos, qua trucidantur innumeri martyres, destruuntur Ecclesiæ, sacræ scripturæ comburuntur, quo tempore in finibus Tyri & Sydonis vrbes aliquot terræ motu subuertuntur oppressis ciuibus. Sed factus Imperator Constantinus Magnus Christianis fauet, post hæc baptizatus maximam Ecclesiæ pacem, & piis operibus suis gloriam affert. Eius mater S. Helena Dei monitu terram sanctam visitauit, extructis pluribus Ecclesiis singula penè sacra loca illustrauit, in quibus Christi vestigium aliquod apparebat, omniaque passionis instrumenta diligenti sollicitudine reperta, ad redemptionis nostræ monumentum venerata conseruauit. Constantinus

Magnus

Magnus idolorum templa Ierosolymis iussit euerti : Vide Deus in pietatis eius remunerationem illum reddidit etiam in terra gloriosum ; nam Indiarum principes ad ipsum legatos miserunt cum variis animalibus in Europa non visis. Neocæsarea Ponti terræ motu subuertitur excepta solùm Ecclesia in qua erat Episcopus: sicut & Nicomedia. Iulianus Apostata in signi crudelitate falsisque accusationibus criminum Christianos persequitur, dumque in opprobrium Christiani nominis Ierolymitanum Iudæorum templum reedificari curat, miris deterretur prodigiis, nam ignis erumpens è fundamentis constructa non semel cum instrumentis consumpsit, relictis vbiq; crucibus: apparuit etiam tunc in Syria crucis splendidum signum, cũ maximo videntium terrore: Et Paneade, cũ ipsius impij Iuliani mãdato Christi imago miraculosa fuisset ablata, & Iuliani eiusdem Simulachrum in eodem loco fuisset substitutum, ignis è cœlo descendens caput illius à trunco separauit. Tempore persecutionis Iulianæ sæuit alia Saporis in Persis dirissima, quæ captis imperij Romani prouinciis dilatatur in oriente : sub Valente Ariano imperatore crudelis contra Catholicos persequutio mouetur. Constantinopoli grando tam magna decidit, quòd multos occidit homines. Ciuitas Nicæa terræ motu destruitur : Atrebati in Gallia cum pluuia cecidit copiosa ex aëre lana. Tandem sub finem huius sæculi sub S. Damaso Romani Concilij decreto sancitum est, vt in fine cuiuslibet Psalmi diceretur ; *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.*

QVINTVM CHRISTI SÆCVLVM.

MOrtuo S. Anastasio successit in Pontificatu S. Innocentius I. die 14. Maij anno Christi 402. electus, erat Italus patria Albanus. Sententiam excommunicationis contra Arcadium Imperatorem & Eudoxiam Augustam tulit propter S. Ioannis Chrysostomi persecutionem, quos tamen pœnitentes absoluit ; subrogatum ab hæreticis Chrysostomo Arsacium de sede expulit : Cum hic sanctus Pontifex quindecim

quindecim annos , vnum menſem & decem dies ſediſſet, moritur die 28. Iulij anno 417. cui die 19. Augusti poſt viginti duos dies ſedis vacantis ſubſtituitur S. Zozimus natione Græcus , ſeditque annum, menſes quatuor & dies ſex. Cui poſt vnum diem ſucceſſit S. Bonifacius I. Romanus : ſed in quarto Eccleſiæ ſchiſmate competitorem habuit Eulalium Antipapam, qui tandem repellitur, & Bonifacius in pace quieuit. Illi ſufficitur S. Celeſtinus I. Romanus, vel vt alij volunt ex Campania Italiæ, filius Priſci:eius electio ſucceſſit die 3. Nouembris anno 423. poſt nouem dies ſedis vacantis : Fuerat in monaſterio enutritus:Congregauit Concilium Epheſinum contra Neſtorium,ſuum Legatum conſtituens N.S.Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, cuius opera Beatiſſima Virgo Maria fuit declarata verè & propriè Dei genitix & mater : Poſt octo annos , quinque menſes & tres dies Pontificatus ſanctè moritur ; poſtquam ſanctos Epiſcopos, Germanum Altitiodorēſem,Lupum,Treenſem, & Seuerum Treuirenſem in Angliam miſiſſet, vt fidelem populum contra Pelagij Hereſiarchæ Angli errores confirmaret. S. Celeſtino ſubrogatur S. Sixtus III. die 26. Aprilis anno 432.poſt viginti dies ſedis vacantis,patria Romanus, qui ſtatim decreta Concilij Epheſini confirmauit,& Neſtorium ad pœnitentiam hortatus eſt : Accuſatus ab Anicio Baſſo, à calumniis abſoluitur,ipſumque accuſatorem tertio menſe defunctum ſuis manibus honorificè ſepeliuit in Eccleſia S. Petri, Eccleſiam S. Mariæ Maioris reparauit,ibique altare argenteum trecentarum librarum obtulit : elapſis penè octo Pontificatus annis moritur anno Chriſti 440. menſe Martio.Poſt mortem Sixti vacauit ſedes quadraginta duobus diebus, vt expectaretur S. Leo Diaconus natione Hetruſcus, qui miſſus fuerat in Galliam:Rediens igitur ſummo omnium conſenſu eligitur die decima Maij , & Pontificatum tenuit viginti & vno annis ; Vnde moritur die vndecima menſis Aprilis anno Chriſti 461. ſanctiſſimè vixit, & gubernauit Eccleſiam ; Inter alios hæreticos condemnauit Eutichem & Dioſcorum,vnicam in Chriſto ponentes naturam,congrega-

to ad hunc finem Concilio Chalcedonensi sub Marciano Imperatore ; quapropter Armanorum indignationem incurrit prædictam hæresim sequentium, qui hactenus in suis solemnitatibus S. Leonem excommunicant. Mortuo S. Leone I. sedes vacauit vsque ad mensem Nouembrem, cuius die duodecima creatur Pontifex S. Hilarus siue Hilarius Sardicensis, qui quinque annis & decem mensibus Pontificatum tenuit : fuerat à S. Leone legatus ad Concilium Chalcedonense, impugnauit hæreticos præsertim Macedonianos: tandem moritur die decima Septembris anno 467. Postquam sedes Pontificalis vacauit decem diebus, S. Simplicius eligitur die vigesima Septembris, erat patria Tiburtinus filius Castini, quindecim annis, quinque mensibus & decem diebus Pontificatum tenuit : post laudabilem & sanctam vitam moritur die secunda Martij anno 483. Huic successit die octaua eiusdem Martij S. Felix III. presbiter Romanus proauus S. Gregorij Magni, impugnauit Acacium, qui Concilium Chalcedonense prodiderat, & moritur die 25. Februarij anno 492. Successorem habuit S. Gelasium I. filiũ Valerij die secunda Martij, Romanus dicitur ex Africa oriundus, fuit vir doctus & sanctus, pontificatum tenuit quatuor annis, octo mensibus & nouemdecim diebus; Vnde moritur die 21. Nouembris anno 496. septima die Sedis vacantis, vigesima scilicet octaua eiusdem Nouembris eligitur S. Anastasius II. legatos misit ad Imperatorem Anastasium aduersùs Acacium, vt vnionem Ecclesiæ procuraret: Pontificatum tenuit duobus annis minus septem diebus, & moritur die Nouembris anno 498. & elapsis quatuor diebus successorem habuit S. Symmachum, de quo sequenti sæculo agetur.

Sub prædictis Pontificibus multa celebrata fuerunt Concilia: Concilium generale Mileuitanum in Africa anno 40 sub Innocentio I. Concilium Toletanum 1. sub eodem Innocentio anno 405. Concilium Diospolitanum in Palæstina anno 415. Concilium Carthaginense septuaginta septem Episcoporum contra Pelagium & Celestium anno 416. Eodem anno Concilium II. Mileuitanum sexaginta & vnius

Episcoporum

Episcoporum contra Pelagianos. Aliud Carthaginense 214. Episcoporum sub Zozimo Pontifice anno 418. Concilium Africanum sub idem tempus. Concilium generale Ephesinum anno 431. contra Nestorium pro vnitate personæ Iesu Christi sub Celestino Pontifice, & N. Cyrillo Alexandrino Legato. Concilium Regiense in Galloprouincia celebratum anno 439. Concilium I. Arausicanum celebratum anno 441. sub S. Leone, qui Conciliabulum Ephesinum damnauit, in quo S. Flauianus Patriarcha Constantinopolitanus ab Eutychianis occisus fuit. Concilium generale Chalcedonense sub S. Leone celebratum anno 451. contra Eutychem & Dioscorum pro distinctione naturarum in Christo. Concilium Andegauense anno 453. Eodem anno Concilium Arelatense III. & Venetense in Britannia. Concilium Arausicanum II. præsidente Cæsario Arelatense anno 463. & Carpentoractense eodem anno. Concilium Romanum sub Hilario Pontifice anno 465. Concilium Turonense I. sub Simplicio Pontifice anno 482. Romanum sub Gelasio anno 494.

Sæculo præterito inter Patriarchas Alexandrinos reliquimus N. S. Cyrillum, qui ordinatus anno 412. vixit vsque ad annum 444 quo mortuo Dioscorus hæreticus intruditur, sed anno 451. deponitur à Concilio Chalcedonensi. Huic anno 452. sufficitur S. Proterius, sed ab hæreticis occiditur, & ab iisdem substituitur Timotheus II. cognomẽto Ælurus hæreticus. Hic anno 460. deponitur, & successorem habuit Thimotheũ III. solo faciolũ Catholicum, qui moritur anno 482. quo mortuo ab Episcopis Ægypti nominatur eius successor Ioannes I. cognomento Talaida: sed hoc à Zenone Imperatore reiecto Petrus Mogus hęreticus substituitur, qui moritur anno 491. & successorem habuit Athanasium II. & hic anno 497. decedens habuit successorem Ioannem II. cognomento Melam, qui sedit vsque ad annũ 506. Antiocheni Patriarchæ sub finẽ præcedentis sæculi fuerunt omnes Ariani, & tempora eorum valdè confusa: circa annum 408. moritur Porphirius successor Flauiani I. sedis huius vsurpator; quo

mortuo cōmuni consensu substituitur Alexander, qui dentes à 45. annis cōciliauit ad fidem ac pacem animos riens anno 411. successorē habuit Theodorum virum la bilē, qui moritur anno 427. Post ipsum eligitur Ioanne reticus, cui anno 436. morienti substituitur eius ex soror pos Domnus. Quo damnato & pulso, substituitur mus. Post ipsum anno 456. Basilius Magnus Catho Deinde anno 458. Acacius, Martyrius vsque ad annum Petrus Fullo anno 474. S. Stephanus II. anno 476. qui tres annos ab Eutychianis Martyrio coronatur in flu demersus. Vnde anno 479. Stephanus III. successit, qui ritur anno 482. Eique subrogatur Calendion bonus C licus, post quem anno 486. intruditur ab Eutychiani ladius, cui anno 496. decedenti substituitur Flauian Catholicus, & sedet vsque ad annum 512. Ierosolymita triarchæ post N. Ioannem 44. fuerunt Parahylius succ anno 416. Deinde Iuuenalis succedens anno 429. Anast anno 458. Martyrius anno 477. Sallustus anno 485. & anno 492. qui sedit vsque ad annū 513. quo mulctatur à Seuero Eutichiano. Inter Patriarchas Constātinopoli reliquimus S. Ioannem Chrysostomum, qui anno 404. à secutoribus deponitur, eique subrogatur Arsacius. Cui duos annos mortuo successit Aiticus anno 406. Aitico S nius anno 426. Sisinnio Nestorius hæresiarcha anno Cui condemnato in I. Consilio Ephesino subrogatur ximianus Monachus presbiter anno 431. Maximiano su sit S. Proclus anno 434. Et Proclo S. Flauianus anno S. Flauiano à fautoribus Dioscori occiso sufficitur Anato anno 439. Cui anno 458. successit Gennadius, Genn Acacius anno 471. Acacio Flauitas siue Flauianus anno anno sequenti substituitur Euphemius, & Euphemio M donius II. anno 495. qui sedit vsque ad annum 511.

Hoc etiam sæculo floruerunt quàm plurimi doctrin sanctitate celeberrimi præter nominatos præcedenti sæc qui principium præsentis sæculi viderunt. Doctrina qui floruerunt S. Ioannes Chrysostomus, S. Basilius Episco

Seleu

[S]eleuciæ, Ioannes Cassianus, Paulus Orosius, S. Paulinus Nolæ Episcopus, S. Sulpicius Seuerus, Hesychius, S. Isidorus Cordubensis Episcopus, Euodius, Possidonius, Saluianus præsbiter Massiliensis, Vigilius Monachus, N. S. Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, S. Hilarius Arelatensis, S. Prosper Regiensis Episcopus, S. Eucherius Lyrinensis monachus, S. Vincentius item Lirinensis, S. Maximus Taurinensis, S. Isidorus Pelusiota, S. Petrus Crysologus, Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, S. Leo I. papa, Gennadius præsbiter Massiliensis, S. Cæsarius Lirinensis monachus & Episcopus Arelatensis. Sanctitate verò floruerunt Theotimus Episcopus in Scythia, S. Porphyrius Episcopus Gazæ, S. Iacobus Eremita, S. Alexius Romanus, S. Exuperius Tolosæ Episcopus, S. Nicasius Rhemensis, S. Iacobus intercisus, S. Bricius Turonensis, S. Amandus Burdegalensis, S. Simeon Styllita, S. Melania Iunior, S. Honoratus Abbas Lirinensis, S. Germanus Altitiodorensis, S. Genouefa Parisiensis, S. Virgo Pulcheria Augusta, S. Patricius Episcopus Hyberniæ, S. Seuerus Treuirensis Episcopus, S. Lupus Trecensis Episcopus, S. Iulia Virgo Carthaginensis, S. Casarius Abbas Lirinensis, S. Leontius Episcopus Fori Iulij, S. Daniel Styllita, S. Rusticus Episcopus Massiliensis, S. Venanus Episcopus Lugdunensis, S. Anianus Episcopus Aurelianensis, S. Porcarius Abbas Lirinensis, S. Mamertus Episcopus Viennensis, S. Rhemigius Episcopus, S. Amabilis Præsbiter Riomensis, S. Sabas Palestinus, S. Apollinaris Episcopus Valentiæ in Delphinatu, S. Clotildis Regina Galliæ vxor Clodouei, quæ ipsum ad fidem disposuit, & S. Porcianus Abbas in Aruernia.

Quantum attinet ad res prophanas, duos reliquimus sæculo præcedenti Christianos Imperatores, Arcadium in Oriente, & Honorium in Occidente: ille non ita fauit Ecclesiæ, iste verò plurimum; nam Clericis & Monachis immunitatem concessit; hæreticos, præsertim Manichæos, Phrygios & Priscillianistas persecutus est: fratrem scriptis litteris hortatus est ad eandem piam affectionem erga Ec-

 clesiam;

clesiam , Arcadius moritur anno 408. relinquens Isdeg-
dem Persidis regem tutorem filij sui Theodosij I I. prop-
metum fratris : Honorius autem moritur anno 423. re-
quens Imperij successorem filium suum Valentinianum
quo pacificè fruitur mortuo Ioanne Tyranno. Hi duo
mani Imperatores pietate similes imperando student Ec-
siæ exaltationi, multa ei priuilegia concedentes , leg-
eius fauorem condentes , & hæreticos persequentes : Th-
dosius sub beneplacito Celestini Pontificis Cōcilium Ep-
sinum congregauit , ad quod specialiter S. Augustinum
uitauit , sed eius epistolæ ipsum iam mortuum inuener-
Nestorij in hoc Concilio condemnati libros prohibuit,
iussit comburi. Hic pius Imperator tandem mo-
anno 449. qui cum filium non haberet , sorori Pulch-
suasit, vt Marcianum Ducem generosum & pium ætate p-
uectum assumens maritum sibi confirmaret imperium;
Virgo consensit sub pacto conseruandæ virginitatis pe-
tuæ : sic Marcianus imperauit in Oriente; Valentinianu-
tem imperans in Occidente , quandiu mansit Ecclesiæ
ctus , prosperè vixit ; sed recedens ab huiusmodi pia
ctione , mille patitur infortunia , ipsumque amisisset im-
rium , nisi rex Gothorum Attilla suasu S. Leonis Pont-
recessisset ; Dicunt ipsum magicis artibus vacasse , vt ho-
stas mulieres deciperet, propterea trucidatur ab amicis
ac dolo Maximi , qui inuadens imperium Eudoxiam Vale-
tiniani viduam duxit vxorem : hæc audiens ipsum Ma-
ximum esse primi sui mariti interfectorem , Gensericum
cat ex Africa ad vindictam ; Vnde fugiens Maximus
duos menses imperij à Romano populo trucidatur :
successit Auitus Aruernus magister equitum , contra
voluntatem proclamatus Imperator; Vnde breui Placen-
cessit imperio. In Oriente Marcianus plurimum fauit
clesiæ , concessis pluribus priuilegiis , cuius Summo Pon-
fici S. Leoni maximam exibuit reuerentiam , & ad cuius p-
cem & vnitatem Concilium Chalcedonense contra Euty-
& Dioscorum congregauit. Post sex annos & aliquot m-

ſes Imperij moritur anno 457. Cui Senatus conſulto ſucceſſit Leo ex Thracia oriundus cognomento Magnus, qui eodem anno conſenſit vt Maiorianus Dux exercitus in Occidente fieret Imperator: ſed hic dolo Seueri trucidatur anno 461. ſic Seuerus inuadit Imperium, quod veneno peremptus amiſit anno 465. perfidia Ricimeri magiſtri militū: hic conſentiente Senatu poſtulauit à Leone Orientis Imperatore iuniorem Anthemium Imperatorem Occidentis, quem creatum ſibique iam affinitate coniunctum trucidauit anno 472. ipſi ſubſtituens Olybrium: Verùm ipſe proditor Ricimerus quadrageſimo poſt die moritur, & Olybrius ſeptimo menſe: Cui Gondebaldi Regis Burgundiæ opera ſucceſſit Glycerius, qui vix vno imperauit anno: In his occidentalis imperij turbulentiis Leo Magnus pacificè imperauit in Oriente ſeptemdecim annis, & moritur anno 474. quo Zenon Iſauricus maritus Ariadnæ filiæ Leonis imperium adminiſtrat velut tutor filij Leonis iunioris ab auo declarati Imperatoris, qui poſt aliquot menſes deceſſit: ipſe verò Zenon moribus corruptus hæreticiſque fauens ab imperio deturbatur à Baſiliſco per annum & aliquot menſes, ſed illo victo & in exilium pulſo rursùs imperat vſque ad annum 491. quo moritur morbo caduco: eique ſucceſſit Anaſtaſius induſtria Ariadnæ eius viduæ. Ipſomet anno 474. quo in Oriente moritur Leo Magnus, in Occidente Iulius nepos Glycerium Imperatorem deponens, & Epiſcopum faciens conſecrari, Imperium Occidentis inuadit: ſed ipſum breui perdidit, pulſus ab Oreſte magiſtro militum, qui filium ſuum Momilium nominauit Auguſtum, quem alij in deriſum appellabant Auguſtulum. In his imperij tumultibus accerſitus Odoacer Arianus occidit Oreſtem ac Paulum eius fratrem, ſimulque Auguſtulum; & ita in Occidente extinguens imperium, gubernauit Italiam ſub titulo Regis abſtinens à purpura & veſtibus regiis; qui tandem anno 493. trucidatur à Theodorico Ariano, quem ſibi in imperio ſociauerat, Imperante Anaſtaſio in Oriente, ad quos ſequenti ſæculo redibimus.

Sæculo præcedenti reliquimus Dagobertum Princip. Gallorum Ducem, qui paulò post mortem Theodosij I peratoris moriens successorem habuit Genebaldum, moritur anno 420. Cum Marcomerus III. Dux Gallor. à Romanis pulsus & occisus anno Christi 395. sub Sti Imperatorum locum tenente, filium reliquisset Pharam dum: hic mortuo Genebaldo Gallorum consensu p. num recuperat principatum, non ampliùs sub nomine D cis, sed sub nomine Regis: Cœpit hæc Gallorum inc monarchia sub Imperatoribus Theodosio II. in Orient Honorio in Occidente; cumque paucis post annis tu tum fuisset ac valdè debilitatum occidentis imperium, eius ruinis regna plurima surrexerunt. Pharamundu exilio Marcomeri patris recesserat in Germaniam, vnde diit: Et delatum sibi regnum sua mirabili prudentia,& timis legibus confirmauit, quas salicas denominauit à uio Germaniæ Sala qui in Mœnum influit, & Salios Francos suos denominauit belli comites ex Franconia ductos, qui postmodum Galliis potiti Gallos denomina Francos, quamvis alij à summa populi Gallici liber tunc in nouo regno stabilita nomen hoc deriuent: Vnd mo regni anno moritur Pharamundus, cui Clodion Clogion cognomento capilosus à longa cesarie & b succeffit: hic anno 430. regnum assumens illud a pliauit, capta regione illa quæ inter Somonam & Scal iacet, imò & Turingiam, Saxiam, aliasque Germaniæ p uincias cum Moguntia ciuitate fertur subiugasse, & m tur anno 448. quo ei successit Meroueus eius filius (germanus) propter eximias naturæ dotes, quæ in eius filiis Rancario, Renaldo & Alberico defuerunt, p terea excluduntur à regno: Meroueus sedem regni firma in Galliis, postquam Rhenum transiens Treuirim, Arg tinam, aliasque ciuitates inclytas cum integris prouinci cepisset cadente iam imperio Romano: Cum Attila R Hunnorum collecto quingentorum millium exercitu R manum imperium inuasisset, & Galliam ingressus ciui

tem Aurelianensem obsideret, Aëtius Romanorum Dux pacem cum Meroueo Rege constituit, & ambo coniunctis viribus contra Attillam procedentes ipsum in planicie Catalaunica debellarunt, occisis centum nonaginta millibus militum, vbi nostri Merouei eximia virtus enituit: Vnde communiter dilectus à Gallis, & cuncti penè deficientes à Romanis se eius regno subiiciebant; & ciuitates Parisiensis, Senonensis & Aurelianensis cum adiunctis prouinciis vltrò se ei tradiderunt: moritur Meroueus anno Christi 458. Childericum aut Chilpericum filium suum successorem relinquens; quamvis tres citati Clodionis filij Germanorum auxilio prouincias Hannoniæ, Cameraci, & Coloniæ subiugantes se reges ibi denominarent. Prædicto anno Childericus regnare cœpit: sed post tres annos ob insolentiam & lubricitatem pulsus recessit ad consanguineum & amicum Basin regem Thuringiæ, subrogato in eius locum Gillone Romanorum Duce, sed hoc propter auaritiam & extorsiones exoso reuocatur Childericus, qui rediens & jam populo propter modestiam charissimus, & adhuc ethnicus erga S. Genouefam affectus regnat fœliciter vinctis Saxonibus, capta regione Rhenana, & adiuncta regno Andegauensi prouincia & Colonia Agrippina: moritur anno 485. Cui eodem anno successit filius ipsius Clodouæus, quem alij Ludouicum I. nominant: hic optimis præditus moribus Clotildem Christianam neptem Gondebaldi regis Burgundiæ duxit vxorem, cuius consuetudine fidei Christianæ sanctoque Rhemigio Rhemensi Episcopo plurimùm afficitur: qua propter cum in generali conflictu à Germanis premeretur, vouit se fidem Christi suscepturum, si victor euaderet, quare obtenta miraculosè victoria, & cooperante sancta coniuge, instruitur de mysteriis fidei à S. Vedasto Atrebatensi Episcopo, & baptizatur à S. Remigio; Tunc successit illud insigne miraculum, quo Colomba ampullam Chrismate plenam ad vngendum fontem ac Regem detulit, quo deinceps ad hæc vsque tempora cuncti Reges Galliæ solemnissimo ritu consecrantur: Mira facilitate & fœlicitate reli-

quam Galliæ partem à fluuio Ligeri vſque ad Oceanum & & Montes Pyreneos acquirit, occiſo ſua manu Alarico Rege Gothorum ſibi reſiſtente: ſubacta penè tota Gallia ſedem regni Pariſiis ſtatuit, vbi eccleſiam ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo ædificauit, quæ nunc S. Genouefæ dedicata eſt, in qua ſepultus ipſe iacet: ſub finem vitæ Theodoricum regem Oſtrogothorum hoſtem habet, cuius exercitu deuictus Galloprouinciam, Occitaniam, & magnam Aquitaniæ partem amiſit, eiuſque regnum vſque ad annum 514. peruenit.

Apud Perſas mortuo Varane IV. anno 399. ſuccedens Iſdegerdes filius Chriſtianis plurimùm affectus, ab Arcadio Imperatore tutor Theodoſij filij conſtitutus, quintum cœpit ſæculum, & regnat viginti & vno annis, quo tempore fides Chriſtiana in Perſide viguit, & moritur anno Chriſti 421. relicto ſucceſſore filio ſuo Varane V. qui ſæpe bellum & pacem cum Imperatoribus iniens viginti regnat annis, & moritur anno Chriſti 441. Succeſſit Iſdegerdes filius, quem alij Varanem VI. nominant, & ſeptemdecim regnat annis, ac moritur anno Chriſti 458. Cui ſucceſſit Perozes Dux eximius, plus generoſus quàm prudens, qui regnat viginti annis, & in expeditione contra Hunnos exercitu deleto moritur anno Chriſti 478. Illi ſucceſſit Valens frater, qui quatuor annis pacificus regnat, & moritur anno Chriſti 482. Cui ſucceſſit Cabades ſeu Cauades eius nepos filius Perozis, qui propter tyrannidem à ſubditis deponitur, & ſubrogatur Zambaſes frater, deinde Saha & Adaana: ſed Cabades vi thronum conſcendens regnat quadraginta & vno annis vſque ad annum Chriſti 532.

Apud Æthiopes adhuc regnat Iggaan, cui ſucceſſerunt hoc ſæculo Alamida, Achinna, Abraham & Azba fratres ſimul, & tandem Asfa.

Apud Scothos poſt interregnum 44. annorum Ferguſius II. thronum conſcendit anno Chriſti 422. Cui poſt octo annos defuncto ſucceſſit anno 430. Eugenius II. Deinde ſequuntur anno 460. Dongaldus. Anno 465. Conſtantinus I. Anno 482. Congallus

Congallus, Cui sæculo sequenti successit Conranus, vt ibi dicetur.

Hoc sæculo celebres esse cœperunt Gothi reges Hispaniæ. Primus fuit Athanaricus seu Alaricus, cui successit Ataulphus, deinde Sigericus, Vuallia, Theoredus, Turismundus, Theodoricus, Erricus, & Alaricus, quem Clouis Rex Galliæ in conflictu sua manu occidit.

Vidimus supra, qualiter Odoacer Arianus in Occidente, sublato nomine Imperij, se regem Italiæ nominauit, quod regnum deinceps in successoribus perseuerauit. Primus successor fuit Theodoricus rex Gothorum item Arianus, qui veniens in Italiam occidit Odoacer, eiusque regnum inuasit anno Christi 493.

Floruerunt hoc sæculo multi celebres prophani Scriptores, vt Zozimus Comes scriptor Historiæ Romanæ, Proclus Diadochus Philosophus & Mathematicus, Seuerianus Damascenus Procli discipulus, Marinus Neapolitanus etiam Procli discipulus, Demetrius Alexandrinus Mathematicus, Philo Tyanæus, Pappus Alexandrinus, & Theon Alexandrinus vterque Mathematichus, Victorinus Aquitanus Astrologus, & alij plures.

Fuerunt quoque hoc sæculo plures hæresiarchæ & hæretici, vt Vigilantius, Pelagius, Cœlestius, Fortunatus Manichæus, Felix Manichæus, Maximinus Episcopus Arianus, Faustus Manichæus, Auitus Origenista, Petilianus Donatista, Theodorus Mopsuestanus, Diodorus Tharcensis, Nestorius, Acephalitæ, Semipelagiani, Eutyches, Dioscorus, Petrus Fullo caput Theopaschitarum, Xenaias siue Philoxenus author Iconoclastarum, Angelitæ, & alij plures.

Non defuerunt hoc sæculo quàm plures euentus memorabiles. Dum Arcadius Imperator pugnat contra Persas, cruces apparent Aëreæ in vestibus Christianorum militum, qui miraculosam reportant victoriam. Vticæ anno 410. terra mugiit, & sequentibus septem annis continuauit. Romæ anno 411. gygantea mulier apparuit ex parentibus mediocris staturæ nata. Anno 419. Theodosius II. Imperator misit

Vesontionem in Burgundia sanctam Christi Domini sindonem, vbi Principissa Galla eius germana tunc residebat. In insula Minorica conuertuntur Iudæi miraculis S. Stephani protomartyris : Plures vrbes & oppida terremotu subuertuntur in Palæstina. Anno 429. Gondericus rex Vuandalorum, dum capta Hispali diripit ecclesiam, occiditur à dæmone. Anno 433. dum Burgundi ab Hunnis pressi conuertuntur ad fidem, illis deletis victores exstunt. Anno 438. in Creta insula vel pseudopropheta quidam, vel diabolus fingens se Moysem, & promittens Iudæis se eos deducturum ad terram promissionis per medios maris vortices, plurimos eorum delusos submersit, alij conuertuntur ad fidem Christi. Anno 444. Constantinopoli terra tremuit quatuor mensibus continuis. Ciuitas Venetiarum in medio mari construitur à populis illuc recedentibus ob metum Attilæ regis Hunnorum anno 452. Tolosæ riuus sanguinis è media ciuitate desfluit integra die anno 461. Ciuitas Claramontana in Aruernia succenditur à Gothis. Anno 493. in monte Gargano fit illa celebris apparitio S. Michaëlis Archangeli. Anno 494. cœpit ordo S. Benedicti. Sub finem huius sæculi penè tota Gallia conuertitur ad fidem Christi : Et Alamandarus princeps Saracenorum cum suis subditis baptizatur.

SEXTVM CHRISTI SÆCVLVM.

PRæcedenti sæculo reliquimus in sede pontificali S. Symmachum Sardiensem, qui quindecim annis & ferè octo mensibus pontificatum tenuit cum multa pietate, & erga Christianos exules liberalitate : Factione Anastasij Imperatoris & diligentia Festi Patricij quintum Ecclesiæ schisma suscitatur, & Laurentius Romanus Antipapa creatur. Moritur Symmachus anno Christi 514. die 19. Iulij : Cui die 26. eiusdem mensis substituitur S. Hormisda ex campania Italiæ, in cuius electione schis-

ma

ma cessauit, post quam nouem annis & aliquot diebus sedisset, moritur anno Christi 523. die 6. Augusti. Successorem habuit post septem dies S. Ioannem I. Hetruscum, qui vexatus à Theodorico rege Italiæ Ariano recurrit Constantinopolim ad Iustinum imperatorem, vbi summis honoribus exceptus miraculis claruit: Inde rediens, & à Theodorico Rauennæ captus moritur in carcere die 27. Maij anno 526. detentus in odium Catholicæ fidei. Post eius mortem vacat sedes Apostolica quinquaginta octo diebus, quibus elapsis eligitur S. Felix IV. die 24. Iulij, fuerat antea nominatus à Theodorico rege, sed eius tyrannicæ vsurpationi restitit Clerus & Senatus Romanus, erat patria Samnites filius Castorij: sedit quatuor annis duobus mensibus & octodecim diebus. Huic successit Bonifacius II. Romanus filius Sigebuldi die 15. Octobris, anno 530. simulque eligitur in sexto ecclesiæ schismate Dioscorus Antipapa: sedit Bonifacius vno tantùm anno & duobus diebus, decessit enim die 17. Octobris anni 531. Sub finem eiusdem anni Bonifacio substituitur Ioannes II. Romanus cognomento Mercurius, filius Proiecti de monte Cœlio: moritur die 26. Iunij anno 535. Cui successit S. Agapitus I. Romanus post sex dies, fuit filius Gordiani: mittitur à Rege Theodato Constantinopolim ad Iustinianum Imperatorem, quò peruenit die 22. Aprilis, ibique Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum tanquam hæreticum deposuit: Cumque ibi pro Dei gloria & bono ecclesiæ constanter ageret, nondum expleto Pontificatus anno moritur, eiusque corpus Romam honorificè defertur. Audita eius morte, post duos menses sedis vacantis sub finem mensis Iunij anno 536. ei sufficitur S. Syluerius filius legitimus S. Hormisdæ pontificis, vel sola authoritate tyrannica Theodati regis, vt aliqui volunt, vel electione Cleri: Theodoræ Imperatricis hæreticæ insidiis capitur à Belisario Duce sub falso prætextu quòd vrbem Romanam vellet Gothis tradere, missus in exilium

excommunicauit Vigilium ſuum æmulum, ibique moritur fame & miſeriis die 20. Iunij anno 540. Tunc induſtria Belizarij eligitur Vigilius Romanus filius Ioannis Conſulis die 28. eiuſdem menſis Iunij: non fauit Anthimo cæteriſque hæreticis, vt Imperatrix ſibi perſuaſerat, quin potiùs illos excommunicauit, Inuitatus à Iuſtiniano Conſtantinopolim perrexit, vt ſua præſentia pacem Eccleſiæ redderet: ibi reſtitit Imperatrici, nolens exequi in fauorem hæreticorum quod impiè promiſerat; Cumque glorioſus rediret, moritur calculo Syracuſis in Sicilia anno 555. Cui ſufficitur Pelagius I. Romanus filius Ioannis Vicariani, qui multos in principio paſſus eſt æmulos: ſedit annos quatuor, menſes decem & octodecim dies, cœpit Romæ templum ſanctorum Apoſtolorum Philippi & Iacobi ædificare, quod eius ſucceſſor perfecit: moritur die ſecunda Martij anno 559. Ei ſucceſſit Ioannes III. Romanus filius Anaſtaſij viri clariſſimi die 17. eiuſdem Martij, vel vt alij volunt ſub finem Iunij ſequentis, ſeditque vſque ad 13. Iunij anni 572. Poſt ipſum eligitur Benedictus I. Romanus cognomento Bonoſus filius Bonifacij die 16. Maij anno 573. elapſis vndecim menſibus ſedis vacantis propter bellorum incommoda, tunc enim Longobardi penè totam inuaſerunt Italiam, & extremam famem cauſarunt ſuis incurſionibus: ſedit quatuor annis, duobus menſibus & quindecim diebus, vltima Iulij anno 577. moritur. Succeſſorem habuit poſt tres menſes & decem dies ſedis vacantis Pelagium II. filium Vuinigildi die 11. Nouembris in magnis calamitatibus illius temporis; nam & Longobardi vaſtabant omnia, & multæ eccleſiæ recedebant ab vnione ſedis Apoſtolicæ: miſit ad Tiberium Imperatorem Gregorium Magnum, qui poſtmodum ei in pontificatu ſucceſſit, & Conſtantinopoli reſidens Eutychium Patriarcham hæreticum circa veram carnis reſurrectionem conuicit & conuertit: moritur Palagius peſte die 8. Februarij anno 590. Communi igitur conſenſu in eius locum ſufficitur S. Gregorius

rius Magnus Romanus filius Gordiani & Siluiæ : fuit professione primò religiosus, deinde à Pelagio prædecessore suo creatus Cardinalis diaconus, qui mira sanctitate & prudentia viuens nomen magni meritò tam in Ecclesia Orientali quàm Occidentati obtinuit : creatus fuit die 3. Septembris anno 590. & moritur die 12. Martij anno 604.

Sub his Pontificibus multa sunt celebrata Concilia, tam generalia quàm prouincialia. Sub Symmacho Romanum anno 502. Agathense 506. in quo præsidebat S. Cæsarius Arelatensis. Aurelianense anno 507. ad instantiam Clodouæi regis & S. Remigij. Epaunense ad instantiam Regis Burgundiæ recenter conuersi. Sub Hormisda Tarraconense anno 516. Girundense anno 517. Sub Ioanne Ilerdense anno 524. Valentinum in Hispania anno 525. Sub Bonifacio Toletanum II. anno 531. Constantinopolitanum anno 536. Ierosolymitanum eodem anno. Sub Syluerio Aurelianense II. anno 536. Sub Vigilio Aurelianense III. anno 540. Claromontanum in Aruernia anno 541. Aurelianense IV. anno 545. Aurelianense V. anno 552. Quintum generale Constantinopolitanum II. contra Origenistas anno 553. Sub Ioanne III. Concilium Parisiense anno 559. Bracarense I. in Lusitania anno 563. Xanctonense anno 566. Turonense II. anno 570. Eodem anno Lugdunense I. Bracarense II. anno 572. Parisiense II. anno 576. & aliud anno 580. Cabilonense anno 582. sicut & Matisconense. Lugdunense II. anno 587. Matisconense II. anno 588. Valentinum II. in Gallia anno 589. Toletanum III. eodem anno & Narbonense. Sub S. Gregorio Magno Hispalense anno 590. Cæsaraugustanum II. anno 592. Pictauiense anno 593. Toletanum IV. anno 597. Hoscense in Hispania anno 598. & Barcinonense anno 599.

Inter Alexandrinos Patriarchas sæculi præteriti fuit vltimus Ioannes II. cognomento Mela hæreticus, qui moriens anno 6. huius sæculi successorem habuit Ioannem

nem III. etiam hæreticum. Huic ſucceſſit anno 517. Dioſcorus iunior etiam hæreticus. Deinde Timotheus anno 519. etiam hæreticus, Cui anno 535. Theodora Auguſta ſubrogauit Theodoſium hæreticũ; ſedhic anno 536. mittitur in exilium. Iam ab anno 521. Iuſtinus Imperator Aſterium Catholicum creauerat. Exuli Theodoſio anno 536. ſubſtituitur Paulus Catholicus & monacus. Cui per calumniam homicidij pulſo ſucceſſit anno 537. Zoilus Catholicus. Huic depoſito ab Imperatore ſubrogatur Apollinaris, qui poſtea anno 553. legitime ordinatur à Vigilio Pontifice. Huic mortuo anno 570. ſucceſſit Ioannes IV. Deinde anno 581. Eulogius, qui perſeuerauit vſque annum 608. Inter Patriarchas Anthiochenos Flauianus II. anno 512. mittitur in exilium, quia condemnationi Chalcedonenſis Concilij noluit conſentire. Huic eodem anno ſufficitur Seuerus Dux Acephalitarum, qui anno 519. fugiens timore Imperatoris locum reliquit Paulo II. Catholico quidem, ſed ita corrupto, quòd propter odium populi recedere coactus fuerit anno 521. Vbi ſubſtituitur ei Euphraſius eodem anno, qui ſedit vſque ad annum 525. quo tempore terræ motu in vniuerſali penè ciuitatis ſubuerſione cum aliis in numeris periit. Tum authoritate Imperatoris Comes Ephrem, qui illuc ad ſubueniendum populo deſolato accurrerat, eligitur Patriarcha anno 526. Quem anno 546. ſequitur Domnus III. Anno 561. S. Anaſtaſius Sinaita. Anno 572. Gregorius ſubſtituitur S. Anaſtaſio propter calumnias expulſo: ſed anno 594. mortuo Gregorio reſtituitur S. Anaſtaſius. Cui anno 599. mortuo ſufficitur S. Anaſtaſius II. qui ſedit vſque ad annum 609. quo crudeliter trucidatus à Iudæis martyr efficitur. Inter Patriarchas Ieroſolymitanos Eliæ ab Eutychianis in exilium pulſo ſubrogatur Ioannes III. tunc Eutychianus, poſtea eximius Catholicus. Cui mortuo anno 525. ſucceſſit Petrus. Deinde anno 546. Macorius II. qui ſuſpectus hæreſis Origenis poſt duos annos expellitur, ſubſtituto Euſtochio

ſed

ſed ab illa ſuſpicione purgatus reuocatur ad ſedem,in qua perſeuerauit aliquandiu; Cui poſtea ſuccedens iterum Euſtochius ſedit vſque ad annum 561. Tunc mortuo ſucceſſit Ioannes IV. vſque ad annum 595. quo eligitur Hamos, & ſedet vſque ad annum 601. Inter Patriarchas Conſtantinopolitanos ſæculum præteritum terminauit, & præſens incepit Macedonius II. Cui anno 511. in exilium miſſo ſubſtituitur Timotheus vir peſſimus & hæreticus. Qui anno 517. repentina morte ſublatus ſedem reliquit Ioanni II. Capadoci Catholico. Hic moriens anno 520. ſucceſſorem habuit Epiphanium Syncellum catholicum. Cui anno 535. defuncto ſubrogatur induſtria Theodoræ Auguſtæ Anthimus Eutychianus, quem depoſuit Agapitus pontifex, anno ſequenti, ſubſtituto in eius locum Menna. Cui ſucceſſit anno 553. Eutychius. Sed hic Imperatori Iuſtiniano reſiſtens mittitur in exilium, & intruditur anno 564. Ioannes III. qui moritur anno 576. Tunc ab Imperatore Tyberio reuocatur Eutychius: ſed imprudenter lapſus in hæreſim Origenis circa realem corporum reſurrectionem à S. Gregorio conuictus ad fidem reducitur & ſanctè deceſſit anno 586. Quo ſucceſſit Ioannes IV. qui præ nimia ſuperbia nomen œcumenici ſeu Vniuerſalis vſurpabat: moritur anno 596. & ſucceſſorem habuit Cyriacum, qui in prætenſione nominis prædicti continuans mœrore conſumitur anno 606.

Habuit hoc ſæculum plures viros ſanctitate & doctrina conſpicuos,qui fuerunt S. Fulgenſius Ruſpenſis Epiſcopus, Ruſticus Cardinalis Diaconus, Seuerinus Boëcius quem Theodoricus Rex occidit cum Symmacho eius ſocero: ille amputatum caput ſuum manibus geſtans detulit ad eccleſiam, vbi genibus flexis ſumpſit Euchariſtiam: iſtius verò caput apparuit terribile Theodorico cœnanti dum ei magni piſcis caput offertur, vnde Rex breui moritur. Dionyſius monachus cognomento paruus, Ioannes Maxentius monachus, S. Victor Epiſcopus Capuæ,

Marcellinus

Marcellinus Comes, Procopius, S. Ioannes Climacus, An-
dreas Cretensis, Aurelius Cassiodorus, Venantius Fortuna-
tus Pictauiensis Episcopus, S. Gregorius Turonensis,
Leander Hispalensis, Euagrius, S. Dorotheus Abbas, S. Gre-
gorius Magnus, & Petrus Diaconus, qui vitam S. Grego-
scripsit. Sanctitate verò fuerunt conspicui. S. Iacobus Ere-
mita Amidæ in Mesopotamia, S. Benedictus Abbas rep-
rator instituti monachalis in Occidente, S. Proba Virgo,
Galla vidua Romana, S. Quintianus Claromontanus Epis-
copus in Aruernia, S. Maxentius præsbiter Pictauiensis,
Melanius Rhedonensis Episcopus, S. Gregorius Lincon-
sis Episcopus, S. Ægydius Abbas Arelate, S. Germanus Epis-
copus Capuæ, S. Brigitta Virgo Scotha, S. Maria Ægyp-
ca, S. Sigismundus Rex Burgundiæ, S. Placidus discip-
S. Benedicti, S. Albinus Andegauensis Episcopus, S. H-
rius Mimatensis, S. Leonardus confessor Lemouicis, S. G-
manus Parisiensis, S. Leontius Burdegalensis, S. Medar-
Nouiomensis, S. Gildardus Rhotomagensis, S. Nice-
Lugdunensis, S. Nicetius Treuirensis, S. Gallus Claro-
tanus, S. Agricola Cabilonensis, S. Colombanus Hyber-
Abbas, S. Maurus Abbas, S. Sulpicius Bituricensis, S. -
uius Albigensis, S. Radegondis Regina Galliæ, & S. G-
trandus Rex Aurelianensis.

Quantum ad res prophanas attinet, vidimus in fine pr-
cedenti sæculi qualiter industria Ariadnæ Anastasius -
humili loco sublimatur ad Imperium: In principio -
emētita pietate decepit omnes Catholicos; sed postea mu-
tus omnia peruertit, hæreticis fauit, & apertè Catholicos p-
secutus est anno 494. contemnensque salutaria monita Su-
morum Pontificum Gelasij, Anastasij & Symmachi excom-
municationis fulmine percussus anno 502. materiali fulmi-
ne consumitur anno Christi 518. Imperij 27. Cui succes-
sit Iustinus ex Thracia oriundus, authoritate Senatus -
acclamatione exercitus, ab aratro sublimatus ad imperium.
Fuit vir optimus, Catholicæ fidei plurimùm affectus, hæ-
reticorum hostis acerrimus, erga Summum Pontificem ob-
sequentissim-

ſequentiſſimus; poſt multa præclarè geſta moritur anno Chriſti 527 Imperij 9. Cui Iuſtinianus ex ſorore nepos ſucceſſit, priùs ab illo Cæſar nominatus, Eius principia pietate catholica & virtutibus admiranda relucent; vnde tunc ſub ſpeciali protectione Dei conſtitutus multas referens victorias, maximè de Cabade Perſarum Rege, florens rexit Imperium: delectis decem Iuriſperitis, præcipuè Triboniano Ethnico, Codicem ex Gregoriano, Hermogeniano & Theodoſiano congeſtum, propter nouas conſtitutiones additas ab ipſo, Iuſtinianum appellauit; Eccleſiam S. Sophiæ magnificentiſſimam Conſtantinopoli ædificauit: ſed à tam fauſtis principiis recedens, ob hæreticorum familiaritatem, & nimiam in rebus fidei propria authoritate determinandis temeritatem, anno 563. labitur in hæreſim, Catholicos & ipſos ſummos pontifices perſequitur; in cuius impietatis vindictam morte repentina deceſſit anno Chriſti 565. Imperij 38. Succeſſorem habuit Iuſtinum II. dictum Iuuenem, ſuum ex ſorore Vigilantia nepotem, qui licet pietati fideique Catholicæ plurimùm affectus appareret, corruptis tamen erat moribus à magis faſcinatus; ſed applicato ſibi frœno, in quo erat Clauus Chriſti, miraculosè ſanatur: Anno Chriſti 578. Tyberium aſſumit in collegam Imperij, & moritur anno 581. Imperij 17. Tiberius igitur ſolus imperans multis bonis operibus, præſertim miſericordia in pauperes, & inſigni pietate celebratur, & moritur anno Chriſti 585. ſingularis Imperij 4. Cui ſucceſſit Mauricius gener: hic dum religiosè imperat, & fidem Catholicam defendit, cum ſuis filiis à Phoca trucidatur anno Chriſti 602. Imperij 16.

Mortuo Regi Clodouæo anno Chriſti 514. ſucceſſit Childebertus primogenitus eius quantùm ad maiorem regni partem: nam illud inter fratres diuiſit; ipſe namque Pariſiis in antiqua Curia reſidebat, Clotarius Sueſſione; Clodomirus Aurelianis, & Theodoricus illegitimus Metis: Dicitur ſua manu Galterium Dominum Iuetot occidiſſe, dum die Veneris ſancti veniam à ſe poſtularet, Vnde ab Agapito

excommunicatur, & occisi successores independentes à reg
declarantur : Dicitur etiam bellum contra Burgundos su
cepisse, vt grauamina patri facta vlcisceretur, captumque r
gem Sigismundum cum vxore,& filiis in puteum Aurelia
præcipitasse : Vocatus in Hispaniam contra Amalaricu
seu Theodium regem Gothorum, cum Clotario fratre ma
nisque copiis illuc profectus est (in bello namque Burg
dico Clodomirum alium fratrem amiserat) ; ibi partis p
ribus victoriis contra Gothos, gloriosus rediens tunicam
Vincentij martyris aliasque pretiosas reliquias accepit Ca
sar-augustæ, quas in Galliam attulit : & in reditu Occit
niam, Aquitaniam, ac alias prouincias patri ereptas reg
suo restituit : moritur tandem post 49. annos regni, & sep
litur in ecclesia S. Germani, quam in honorem S. Vinc
construxerat. Sic Clotarius mortuis iam fratribus regna
ab anno 562.vsque ad annum 565. quatuor habuit filio
filiam, scilicet Cherebertum Chilpericum, Sigibertum, G
trandum, Galrerium, & Closindam ; habuit quoque fil
ex concubina illegitimum nomine Granum satis turbul
à quo multas passus est molestias:Dum rebelles Thuri
& Saxones insequitur armis,nec veniam petentibus vul
dulgere, ab illis desperatè pugnantibus superatur : sum
ad ipsum necem Galterij d'Iuetot referunt.Post eius mort
regnum in quatuor filios eius diuiditur: Cherebertus prim
genitus potiorem habens partem vt Rex Franciç curiam P
risiis retinet,Chilpericus Suessione, Gontrandus rex Burg
diç Aurelianis,& Sigibertus rex Austrasiç Metis & simul q
decim annis regnarunt, & cum multis regni turbulent
Chereberto decedente Blauij propè Burdegalam anno 57
paulò post etiam Sigiberto, Chilpericus eorum portio
colligens fit rex Francorum,qui crudelissimus fuisse tradi
Rhotomagum relegauit Brunehault viduam Sigiberti fil
Anacagildi Regis Vuisigothorum mulierem turbulent
cuius amore captus Meroueus Chilperici filius eam dux
vxorem,quod audiens pater illuc se transferens Prætent
Archiepiscopum prædictæ mulieris nepotem deposuit,q

tali matrimonio consensisset,& filium Merouеum in monasterio inclusit, qui tamen Fredegundis concubinæ Chilperici industria breui euasit:Sed pater insequens illum apprehensum iussit occidi,matrem Audoueram repudiauit,& Clodoueum Merouei fratrem etiam occidit: his crudeliter peractis duxit in matrimonium Galsondem Attanagildi regis Hispaniæ filiam; sed Fredegunda eius concubina sic Chilpericum contra nouam coniugem animauit, quòd ipsam strangularit; & sic Fredegundam accepit publicè vxorem. Impositis pluribus tributis redditur odiosus populo, & breui insidiis perfidæ Fredegundæ trucidatur; Cum enim ipsa nobilem Gallum impudicè amaret,qui Landry de la Tour vulgò,seu Leandricus à Turre vocabatur, & talis amor innotuisset Regi, timens extremum ab ipso supplicium, voluit præuenire,ipsique regi de venatione cum solo puero Honorario redeunti parans insidias intulit mortem:hæc mors accidit anno 587. Tunc rex agnoscitur Clotarius II. Chilperici ex Fredegunda filius, qui sub tutela Gontrandi patrui regnauit: ipse tamen Gontrandus,vt regnum sub minoritate nepotis,qui vix quartum ætatis mensem impleuerat,pacificum conseruaret,multa debuit Fredegundæ reginæ matri concedere, propterea prædictum Leandricum constituit magistrum Equitum.Post mortem Gontrandi, cum Clotarius decimum ageret ætatis annum, Fredegunda regnum administrat, & Childebertum rebellem ac regni inuasorem debellauit, cuius duo filij suasu Brunehault matris bellum mouentes etiam supperantur: Cumque Burgundi prædictæ mulieris insolentiam ferre non possent, ad Clotarium venientes suum regnum, sicut & Austrasij suum vltrò tradunt, prædictamque mulierem insolentem Regiæ potestati committunt, quam Rex formato processu iussit caudæ indomiti equi alligari, & sic tracta per loca plurimùm aspera dilaceratur & periit: Post hæc rex pacificè regnauit & moritur anno Christi 631. regni 44.

Apud Persas Cosroas I. patri Cabadi successit anno 532. & ad eius exemplum Romanis infensus ditionem il-

lorum armis infestat : Sed à Iustiniano generali duce Tyberij Imperatoris victus, & à Perside pulsus, mœroreque confectus moritur anno Christi 580. post quadraginta octo annos regni. Successit illi filius Hormisda II. qui propter nimiam crudelitatem à suis ducibus è sede depositus & excæcatus carceri mancipatur, ac tandem iussu filij eius successoris trucidatur anno Christi 588. Chosroes II. Hormisdæ filius cum Mauricio Imperatore pacem iniit, sed eo interfecto, contra Phocam & Heraclium crudele bellum gessit; Syriam, Palæstinam, aliasque regiones Imperij Romani vsurpauit, captaque Ierosolyma crucem Christi in Persidem abstulit, ac dirè Christianos persecutus est : sed vlciscente Deo ter à Romanis sub Heraclio debellatus fugit, ac tandem à proprio filio Siroë natu maiore trucidatur: cum filio Medarse natu minore, quem regni successorem constituerat, post trigesimum octauum regni annum, anno scilicet Christi 626.

Apud Æthiopes vltimus Regum sæculi præteriti fuit Affa : cui successit Azba, deinde Albamedan, Abra, Sahel, Ghebez, Sekul, Azba, Abram & Adakana, ac tandem Zahan.

Apud Scothos Conranus regnare cœpit anno Christi 501. deinde Eugenius III. anno 535. Conuallus anno 5[..] Kinnatillus anno 578. cui succedens Aidan moritur anno Christi 606.

Apud Hispanos post mortem Alarici regis, ex eadem Gothorum progenie successerunt in regno Sisalitus, Theodoricus, II. Amalaricus, Theodosius, Theodisclus, Aquila, Attanagildus, Luiba, & Leouigildus qui professionis Arianæ primogenitum suum Hermenigildum Catholicum occidi iussit : sed veritatem Catholicæ fidei agnoscens, & metu suorum amplecti non audens, Recaredo filio successori suo iussit eam suscipere, & S. Leandrum præceptorem, cuius opera Recaredus Reneum ei dedrum Hispalensem Episcopum & consangui abiurato Arianismo fidem Catholicã amplexus est, & per legat[...]

Summ

Summo Pontifici S. Gregorio obedientiam pro se totoque regno cum pretiosis muneribus misit; ad quem S. Gregorius honorificam scripsit epistolam, misitque reliquias S. Crucis & Catenæ S. Petri. Mortuo Recaredo successit in regno iam Catholico Luiba II.

Sæculo præcedenti regnantem in Italia reliquimus Theodoricum, qui regnum ab anno Christi 493. incipiens, & vsque ad annum 526. illud continuans catholicos persecutus est, Arianis adhærens, Ioannem I. Pontificem miseriis in carcere consumpsit, Boëtium & Symmachum viros consulares decollauit, & similia commisit impietatis facinora. Mortuo Theodorico successit prædicto anno Athalaricus eius ex filia Amalasuenta nepos cum octo tantùm esset annorum, sed sub tutela matris. Athalarico morienti anno 534. sufficitur Theodatus. Cui à militibus Vitigis proclamati Imperatoris occiso anno 537. successit ipse Vitiges. Qui anno 540. simul cum Rauenna captus à Belisario successorem habuit Theodebaldum. Huic occiso anno 642. successit Totila, & isti pariter occiso anno 553. Theia sufficitur. Tunc Alboinus Rex Longobardorum Italiam ingressus anno 568. regnum inuadit. Cui occiso anno 571. successit Clephis, qui trucidatur à seruo anno 573. tunc vacat regnum vsque ad annum 585. quo Antharitus Rex creatur, & moritur anno 590. Cui sequenti anno successit Agilulphus seu Agen, qui relicto Arianismo fidem catholicam amplectitur cum subditis, & nomen Pauli in baptismo suscepit, ac viginti quinque annis regnauit, vsque ad annum Christi 616. quo moriens regnum primogenito suo Adaluualdo reliquit.

Fuerunt hoc sæculo plures prophani scriptores: Priscianus Cæsareensis Grammaticus sub Iustiniano, Tribonianus Iurisconsultus sub eodem, Ioannes Philoponus eximius Philosophus & Mathematicus Alexandrinus, Simplicius Philosophus ex Phrygia, Heliodorus Larisseus Opticus.

Non defuerunt hoc sæculo plures hæresiarchæ & hæretici noui: Seuerus Antiochiæ cum suis Theodosianis, Iu-

lianus Halicarnassi cum suis Phantasiastis, Petrus Apamea, Anthymus, Agnoitæ seu Themistij, Philoponus cum suis Tritheitis, Monothelitæ, Iacobus Zanzalus cum suis Iacobitis, Christalitæ & alij.

Multa quoque hoc sæculo memoratu digna successerunt; Corpus S. Augustini Hyppone transfertur in Sardiniam, Anno 505. Olypius seu Olympius Episcopus Arianus, dum Cartagine positus in balneis blasphemat contra Sanctissimam Trinitatem, ignito iaculo cœlesti confoditur. Eodem anno perfectum dicitur Talmud Babylonicum à Rabi Mayr filio Rabi Asè. Anno 506. Episcopus Catholicus disputans cum Ariano in testimonium Catholicæ fidei transit illæsus per ignem. Et Episcopus Arianus dum sub alia verborũ forma vult baptizare, in suam confusionem videt aquam paratam euanescere. Anno 509. Saracenus irridẽs S. Sabam, viuus absorbetur à terra. Anno 524. nouo terræmotu destruitur Antiochia. Anno 529. corpus S. Antonij magni Diuina reuelatione inuentum transfertur Alexandriam. Anno 530. quidam Episcopi Catholici ob fidem à Vuandalis lingua mutilati miraculosè loquuntur. Anno 539. extrema fames in Italia matres ad esum filiorum compulit. Anno 541. plura in Gallia videntur signa, die Paschatis ingens apparet Commeta, verus sanguis decidit ex nubibus, quæ fuerunt prognostica plurium morborum & miseriarum. Totila Rex Gothorum cognomento flagellum Dei, post captam Neapolim, item Romam, Florentiam & alias ciuitates, occiditur, sicut & eius filius Theia per Narsem Eunuchum, qui derisione irritatus Longobardos vocauit in Italiam, vbi destructo Gothorum regno, sub viginti tribus regibus inter Alpes & Apenninum ducentis quatuor annis regnarunt, quæ Italiæ pars hactenus Longobardia ab illis est denominata. Anno 562. in Gallia ad flumen Rhodanum quidam mons ad instar tauri pluribus diebus mugiens decidit, & oppidũ cum habitatoribus oppressit. Visi sunt in Italia exercitus aërij cum effusione sanguinis, & tunc inundauit late Tyberis. Anno 583. Turone ex scisso pane fluxit sanguis

Anno 586. ingens fuit diluuium, præſertim Venetiis cum formidoloſis tonitruis,& magna peſtis Romæ. Anno 590. de nouo graſſatur peſtis, in cuius remedium S. Gregorius Litanias in die S.Marci inſtituit : Cumque ſequenti anno creuiſſet, homines oſcitantes aut ſternutantes moriebantur; inde laudabilis mos inualuit oſcitantibus ſe cruce munire, & ſternutantibus inuocari diuinum auxilium pro ſalutatione. Anno 593.Ieroſolymis inuenitur, & publicè adoratur veſtis Chriſti. Anno 567. naſcitur in Arabia Mahomet impoſtor, de quo deinceps loquemur. Burdegalæ quidam magus nomine Deſiderius ſe iactabat æqualem Apoſtolis : Alius magis fatuus nomine Epiſteus Bituricenſis ſe Ieſum Chriſtum dicebat.Hoc tempore ſollicitudine S. Gregorij Magni tota Anglia conuertitur ad fidem Chriſti : vnde Anglorum Apoſtolus iure dicitur.

SEPTIMVM CHRISTI SÆCVLVM.

SAnctus Gregorius Magnus, qui præcedens ſæculum terminauit, hoc ſeptimum inchoauit, cuius anno 4. moritur. Cui prima die Septembris eiuſdem anni ſucceſſit Sabinianus Volaterris in Etruria natus, qui tantùm quinque menſibus & nouemdecim diebus ſedit : Diuinitùs morte plexus dicitur ob auariciam, quia tempore famis triticum Eccleſiæ non liberaliter pauperibus,ſed pretio diſtribuit. Hoc mortuo Sedes vacauit vndecim menſibus & viginti ſex diebus, quibus elapſis eligitur Bonifacius III. Romanus filius Ioannis, quem S.Gregorius Legatum miſerat Conſtantinopolim : ſed poſt octo menſes & viginti tres dies moritur. Cui anno 607. die 18. Septembris ſucceſſit S.Bonifacius IV. natus Valeriæ,filius Ioannis Medici, qui Pantheon Romanum permiſſu Phocæ Imperatoris in honorem Beatiſſimæ Virginis & Martyrum dedicauit; & poſt ſex annos, octo menſes,& tredecim dies Pontificatus deceſſit. Poſt quinque menſes &

duodecim dies sedis vacantis, substituitur die 13. Nouembris anno 614. S. Deus dedit Romanus filius Stephani, & sedit tres annos minus quinque diebus, moritur enim 8. Nouembris anno 617. Transacto mense & sexdecim diebus Bonifacius V Neapolitanus substituitur, qui rexit Ecclesiam ferè octo annis, & moritur die 25. Octobris anno 625. Elapsis sex mensibus & octodecim diebus creatur die 13. Maij anno 626. Honorius I. Campanus filius Petronij Consulis, qui mira pietate & prudentia sedit annos 12. quatuor menses & 27. dies. Cui anno 639. successit Seuerinus Romanus filius Albiani: sed parùm vixit afflictus à Ministris Imperialibus, quia Monothelitis & Imperatori restitit. Vnde die vltima Decembris eiusdem anni substituitur Ioannes IV. Dalmata filius Venantij, qui congregata Romæ Synodo Monothelitas condemnauit, & moritur anno 641. postquam sedisset vno anno, nouem mensibus & sex diebus. Cui 25. Nouembris eiusdem anni subrogatur Theodorus I. Ierosolymitanus, eius constantiam in impugnando Monothelitas imitatus, qui sedit annos septem & aliquot menses, ac moritur anno 649. Cui eodem anno die 1. Iulij successit S. Martinus I. qui congregato Romæ Concilio 105. Episcoporum præcipuos Monothelitas condemnauit, videlicet Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum; propterea missus ad Imperatorem Constantinopolim, & inde in exilium miseriis oppressus moritur die 12. Nouembris anno 654. Misso in Chersonesum S. Martino substituitur anno 651. S. Eugenius I. tanquam eius Vicarius, sed audita morte recipitur vt Pontifex; & tantùm peruenit vsque ad diem secundam Iunij anni 655. Elapsis tribus mensibus die vltima Augusti creatur S. Vitalianus Signiensis in Campania filius Anastasij, qui sedit quatuordecim annis & aliquot mensibus; Vnde moritur die 27. Ianuarij anno 669. Cui die 9. Aprilis eiusdem anni subrogatur Adeodatus II. Romanus filius Iouiniani, & monachus cunctis acceptus, qui sedit septem annis, septem mensibus & septemdecim

diebus.

diebus. Successorem habuit die 1. Nouembris anno 676. Donum siue Domnum Romanum filium Mauricij, qui pietate clarus moritur die vndecima Aprilis anno 678. Eique successit post duos menses & viginti quinque dies S. Agathon Siculus, cuius opera cõgregatis tam in Oriente quàm in Occidente Conciliis hæresim Monothelitarũ penitùs extinxit, & moritur die 2. Ianuarij anno 682. Cui post annum, septem menses & quinque dies Sedis vacantis sufficitur S. Leo II. item Siculus, die scilicet 15. Augusti anno 683. pietate & doctrina conspicuus, qui post decem menses & paucos dies Pontificatus moritur anno 684. die 28. Iunij. Cuius successor S. Benedictus II. Romanus filius Ioannis, sedit tantùm octo mensibus & septemdecim diebus; moritur enim die 7. Maij anno 685. Post duos menses & quindecim dies sedis vacantis eligitur Ioannes V. Antiochenus filius Cyriaci, qui legatus fuerat in sexta synodo, vir optimus & prudens: moritur die 2. Augusti anno 686 Cui die 20. Octobris eiusdem anni subrogatur Conon ex Thracia oriundus, sed in Sicilia nutritus (& sedatur sextum schisma inter Petrum Archipræs biterum & Theodorum Præsbiterum) qui duodecimo Pontificatus anno, scilicet die 13. Octobris anno 687. moritur. Post septem dies diuisus populus nouum Ecclesiæ schisma induxit, dum pars eligit Theodorum Archipresbiterum, & pars Pascalem Archidiaconum: Verùm conuenientibus cunctis eodem anno eligitur S. Sergius I. Antiochenus Panormi in Sicilia nutritus, qui impudicitiæ accusatus ex ore infantuli iustificatur: moritur die 7. Septẽbris anno 701.

Sub relatis Pontificibus multa celebrantur Concilia, tam generalia quàm particularia. Sub S. Gregorio anno 601. Concilium Romanum siue Lateranense, & aliud in Numidia. Sub Bonifacio III. anno 606. Aliud Romanum sub Bonifacio IV. anno 610. Toletanum III. Sub Bonifacio V. anno 617. Matisconense III. Anno 619. Hispalense II. Sub Honorio anno 633. Toletanum IV. Anno 636. Toletanum V. Anno 638. Toletanum VI. Sub

Ioanne IV. anno 640. Concilium Romanum. Anno 646. Conciliũ in Numidia contra Monothelitas, aliud in Mauritania, & aliud Cartagine eodem anno & contra eosdem hæreticos. Sub Theodoro Toletanum VII. anno 646. Anno 648. Concilium Romanum contra Paulum Constantinopolitanum. Sub Martino I. Concilium Lateranense siue Romanum anno 649. Aurelianense anno 650. & Toletanum VIII. anno 653. Sub Vitaliano Toletanum IX. anno 655. Toletanum X. anno 656. Concilium Cabilonense, Concilium Clypiacum propè Parisios. Concilium Emeritense anno 666. Romanum anno 667. Sub Adeodato Anglicanum anno 673. Toletanum XI. anno 675. Bracarense III. eodem anno. Sub Agathone Anglicanum anno 679. Mediolanense eodem anno. Romanum anno 680. Sextum generale Concilium Constantinopolitanum III. eodem anno sub eodem Pontifice contra Monothelitas. Toletanum XII. anno 681. Rhotomagense anno 682. Toletanum XIII. sub Leone II. anno 683. Toletanum XIV. sub Benedicto II. anno 684. Sub Sergio Toletanum XV. anno 688. Constantinopolitanum in Trullo anno 692. Toletanum XVI. anno 693. Toletanum XVII. contra Iudæos rebelles anno 694. Concilium Vltraiectense anno 697. Et Concilium Aquileiense anno 698.

Inter Patriarchas Alexandrinos post S. Eulogium anno 608. mortuum sedit Theodorus. Cui anno 610. mortuo successit S. Ioannes V. cognomento eleemosynarius, qui moritur anno 620. & successorem habuit Germanum suum seu nepotem Georgium. Cui successit Cyrus Monothelita anno 630. authoritate Heraclij Imperatoris. Huic autem anno 640. decedenti substituitur Petrus item Monothelita, qui dicitur quinquagesimus à S. Marco, & sedit vsque ad annum 650. nec vltra determinatos habemus vsque ad Cosmam, qui anno 742. cum suis Monothelismo renuntiauit: nec deinceps vllum inuenimus certum, propter hæreticos, qui varios intrudebant. Inter Patriarchas Antiochenos post S. Anastasium II. martyrio coronatum

coronatum anno 609. ſedit Gregorius II. Cui ſucceſſit anno 629. Anaſtaſius III. Iacobita, qui Heraclium Imperatorem peruertit ad ſuam hæreſim. Huic anno 649. ſubſtituitur Macedonius. Deinde circa annum 670. Macarius Monothelita hæreticus, qui depoſitus à ſexto generali Concilio anno 681. ſucceſſorem habuit Theophanem, quo mortuo anno 685. Eccleſia Antiochena ſub tyrannidem Saracenorum cadens caruit paſtore per annos quinquaginta ſeptem vſque ad annum 742. quo creatur Patriarcha Stephanus monachus, de quo dicetur ſequenti ſæculo Inter Patriarchas Ieroſolymitanos poſt Hamos inuenitur Heſychius anno 601. electus, qui moriens anno 609. ſucceſſorem habuit Zachariam, qui à victoribus Perſis ducitur in Perſidem, ſed ab Heraclio Imperatore poſtea liberatur. Cui ſucceſſit circa annum 630. S. Sophronius, qui anno 636. mœrore conficitur videns captam & deſtructam à Saracenis Ieruſalem: ex qua deſtructione & tyrannica poſſeſſione turbatur & interrumpitur ſucceſſio Patriarcharum Ieroſolymis, ſicut & Anthiochiæ & Alexandriæ; paucos inuenimus in quinque ſequentibus ſæculis. Inter Patriarchas Conſtantinopolitanos anno 606. Cyriaco ſucceſſit Thomas. Cui mortuo anno 608. ſubſtituitur Sergius, qui fuit Monothelita peſſimus, & moriens anno 639. æqualem, ſi non peiorem in hæreſi & malitia ſucceſſorem habuit Pyrrhum Monothelitam, qui ſuſpectus dati veneni Conſtantino Imperatori fugit in Africam. Vnde ſubſtituitur ei Paulus II. etiã Monothelita: ſed anno 652. redit Pyrrhus, qui poſt quatuor menſes & aliquot dies locum ceſſit Petro Monothelitæ. Qui moriens anno 656. ſucceſſorem habuit Thomam II. eadem infectum hæreſi. Huic anno 658. morienti ſufficitur Ioannes V. Et iſti anno 664. Conſtantinus. Deinde anno 666. Theodorus peſſimus hæreticus. Cui anno 678. depoſito ſubrogatur Georgius Catholicus. Et iſti anno 682. Theodorus ipſe ſe conuerſum & Catholicum fingens. Qui moriens anno 684. ſucceſſorem habuit Paulum III. Cui

anno

anno 691. succeſſit Callinicus amator nouitatum & inimicus Eccleſiæ Romanæ, qui capta per Iuſtinianum Conſtantinopoli anno 705. excæcatur, & mittitur in exilium.

Inueniuntur in hoc ſæculo viri doctrina & pietate celebres. Præcipui doctrina fuerunt S. Iſidorus Hiſpalenſis, Thalaſſius monachus in Africa, S. Maximus monachus Conſtantinopolitanus, S. Eugenius Toletanus, S. Ildephonſus etiam Toletanus, S. Anaſtaſius Niceæ Epiſcopus. Præcipui verò ſanctitate fuerunt: S. Auguſtinus primus Cantuariæ Epiſcopus, S. Deſiderius Viennenſis, S. Agræus Anicienſis Epiſcopus & Martyr, S. Romanus Rhotomagenſis Epiſcopus, noſter S. Anaſtaſius Perſa, cuius reliquiæ ſunt Romæ in Monaſterio ad Aquas Saluias, S. Paulus Virodunenſis, S. Arnulphus Metenſis, S. Braulius Cæſarauguſtanus, S. Eligius Nouiodunenſis, S. Amandus Vltraiectenſis, S. Aldegondis Virgo, S. Gertrudis Virgo in Brabantia, S. Ennemondus Romanus Lugduni Epiſcopus, S. Clarus Abbas Viennæ, S. Audomarus Epiſcopus Taruanæ, S. Claudius Veſontionenſis, & S. Lambertus Vltraiectenſis.

Quantum ad res prophanas attinet: Vidimus anno 602. Phocam proclamatum Imperatorem, qui multa præclarè geſſit, confeſſionem fidei Catholicæ miſit ad Romanum Pontificem, Epiſcopum Conſtantinopolitanum vniuerſalis nomen vſurpantem coërcuit, aſſerens hoc nomen ſoli Romano conuenire, Pantheon Bonifacio IV. in honorem Beatiſſimæ Virginis & Martyrum dedicandum conceſſit: ſed poſtea à recta declinans via, à Photino, cuius vxorem conſtuprarat, propter impudicitiam & tyrannidem veſte imperiali denudatur, & lugubribus indutus ad Heraclium ducitur, à quo manibus & pedibus, deinde humeris & pudendis, denique capite truncatur, fratribus & conſanguineis ſimul extinctis anno Chriſti 610. Imperij 8. Tunc Heraclius à Sergio Patriarcha ſimul cum vxore, mutato de Fabia in Eudociam nomine, Conſtantinopoli coronatur: ad bellum contra Perſas procedens, plus Deo

Deo quàm armis confidens, triplici victoria Coſroëm debellatum fugat, Crucem Chriſti delatam in Perſidem à Syroë filio Coſrois recuperat, ipſamque baiulans abiectis Imperialibus ornamentis facilè ad montem Caluariũ refert, cùm priùs illis ornatus progredi non poſſet: ſed in Edeſſa ciuitate ab Anaſtaſio Iacobita, Sergio Patriarcha Conſtantinopolitano Monothelita, & Cyro item Patriarcha Alexandrino peruerſus cadit in hæreſim, & poſtmodum afflictus animi mœrore & variis morbis conſumptus moritur anno Chriſti 642. Imperij 31. Conſtantinus III. Heraclio patri, tum in Imperio, tum in miſeriis ſuccedens, quarto poſt menſe à nouerca Martina Auguſta veneno necatur. Et ſic Heracleonas filius Martinæ Auguſtæ, matris induſtria & Pyrrhi Patriarchæ Conſtantinopolitani fauore ad thronum ſublimatur; ſed rebellante Senatu inde deiectus, præciſo ipſi naſo, & amputata matri lingua, ſexto Imperij menſe mittitur in exilium. Conſtans II. Conſtantini filius à Senatu proclamatur Imperator, Monothelitis fauens Romæ condemnatur: Cumque fratrẽ Theodoſium Diaconum occidiſſet, ipſe Siracuſis in Sicilia occiditur anno Chriſti 668. Imperij 4. Conſtantinus IV. Conſtantis filius occiſo Mezentio Armeno Imperij inuaſore, catholicè viuit, & Summis Pontificibus obſequentiſſimus moritur anno Chriſti 685. Imperij 17. Iuſtinianus II. filius Conſtantini in principio Catholicus, poſtea lapſus in hæreſim perſequitur Sergium Pontificem & Eccleſiam Romanam; in cuius ſceleris pœnam naſi præciſione & exilio mulctatur à Leontio anno Chriſti 694. Imperij 9. Leontius hæreticus anno primo pacificè imperat, ſed anno tertio mota ſeditione deturbatur, & præciſo naſo in Monaſterium includitur anno Chriſti 697 Tyberius III. qui priùs dicebatur Abſimarus, Eccleſiam Romanam & Pontificem Ioannem VI. perſequitur: ſed Deo vindice deiicitur ab Imperio, & occiditur à Iuſtiniano II. qui Trebellij Bulgarorum Regis auxilio potens Imperium recuperat anno Chriſti 703. in quo fœliciùs

vixit

vixit vſque ad annum 710. quia melior effectus erga Summum Pontificem fuit obſequentiſſimus.

Apud Gallos mortuo Regi Clotario anno Chriſti 631. ſucceſſit Dagobertus filius, qui fratri Ariberto Iuniori Aquitaniam & Occitaniam conceſſit in regale dominiũ: expulit è Gallia Iudæos, qui fidem Chriſti noluerunt amplecti: Fuit erga Eccleſiam magnificentiſſimus, & templũ S. Dionyſij in Regum Galliæ ſepulturam à fundamentis extruxit, ac tectum argento ſolido cooperuit: Moritur anno 645. relictis duobus filiis Sigiberto & Clodouæo, quibus regnum diuidẽs ſolam Auſtraſiam Sigiberto maiori, regnum verò Galliæ Clodouæo minori reliquit, ſub tutoribus ob ætatis defectum: Iacet in templo S. Dionyſij à ſe conſtructo. Recedente in Auſtraſiam Sigiberto, Clodouæus II. ſiue Ludouicus regnum Galliæ ſuſcipit, ſed tanta pace vel otio potiùs illud moderatur, quòd ipſe vix ſemel in anno prima die Maij populo appareret in curru floribus ornato & quatuor albis bobus tracto; omnia verò regni negotia fierent nutu Magiſtri Palatij, qui etiam externos legatos ſuſcipiebat (quòd ſub ſequentibus aliis Regibus accidit) ipſo in priuatis voluptatibus & deliciis viuente: Cum in principio Sigibertus nullum haberet filium, adoptauit Childebertum Grimaldi magiſtri Palatij ſui filium; ſed poſtea nato ſibi filio moriens regnum reliquit, quod ægrè ferens Grimaldus, paruulum Regis filium in Monaſterio nutriendum miſit in Scothiam, vt ſic filium ſuum regem conſtitueret; Verùm Ercembaldus magiſter palatij regis Galliæ tam nefariæ reſtitit intentioni, ipſumque Grimaldum eiuſque filium lata ſententia Pariſiis puniuit: Clodouæus Rex nobilem ex Saxonia Dominam nomine Baudour, piam & honeſtam duxit vxorem, ex qua tres filios ſuſcepit, ſibi inuicem in regno Galliæ ſuccedentes, videlicet Clotarium, Childericum, & Theodoricum: Iuſſit argentum ſepulchri S. Dionyſij penitùs auferri, quod aliqui tribuentes impietati dicunt ipſum perpetua phræneſi punitum, alij verò tribuunt pietati

pietati ad pauperes in extrema fame ſuſtentandos : Moritur anno 662. & iacet apud S.Dionyſium. Clotarius III. primogenitus patri ſuccedens , adminiſtrationem regni ſuæ matri & magiſtro Palatij Ercembaldo reliquit ipſe vacans otio : Mortuo Ercembaldo ſucceſſit in officium Ebroinus Germanus natione,vir crudelis & ſuperbus,qui iuuentuti Regis abutens ſubditos impoſitis vexabat tributis , ipſiuſque voluntati non ſemel reſiſtebat : Moritur Clotarius anno 668. cui ſucceſſit frater Childericus , qui iam regnum Auſtraſiæ poſſidebat : Reſtitit ei Ebroinus magiſter Palatij (quod officium nunc correſpondet Comiti ſtabuli vulgò *Connetable*) & Theodoricum natu minorem impulit vt ſe regem coronaret : Verùm adueniens cum potenti exercitu Childericus , eique fauentibus in odium Ebroini Gallis , regnum acquirit , captumque ac tonſum fratrem Theodoricum miſit in monaſterium S. Dionyſij , ipſumque Ebroinum in Monaſterium Luxouienſe in Burgundia : Cum Childericus eſſet admodum ſuperbus & crudelis , ſuos irritauit ſubditos , & maximè quendam nobilem Bodillam quem ignominiosè iuſſit flagellari : Ille tanta iniuria percitus & vltionis cupidus Regem de venatione redeuntem poſitis inſidiis trucidauit , & ſimiliter Blitildem reginam grauidam ; Cumque in his tumultibus Vſoaldus magiſter Palatij fugiſſet in Auſtraſiam , ſubſtituitur eius loco Landrageſitus Ercombaldi filius : Occiditur Childericus cum vxore anno 671. & iacet apud S Germanum ad prata. Sic reuocatur ad regnum Theodoricus ex monaſterio S.Dionyſij : tunc etiam Ebroinus è monaſterio Luxouienſi euadens collectis copiis rediit in Galliam,Regem captum penes ſe retinet honorificè tractatum,Landrageſilum Palatij magiſtrum proditoriè occidit, ſicut & Martinum magiſtrum Palatij Auſtraſiæ ac Leodegarium Auguſtodunenſem Epiſcopum: Verùm hic vir ſanguinum, dum ad ſupremam authoritatem ſe perueniſſe arbitratur, occiditur ab Ermenfrido nobili Gallo : Trucidato ſic Ebroino Rex conſtituit magi-

ſtrum

ſtrum Palatij quendam nomine Vvarantonem, ſed hic factus Gallis odioſus expellitur à Pepino, qui à Rege admiſſus tam prudenter & vrbanè ſe geſſit, quòd omnium rapuit animos, tantamque ipſi reuerentiam conciliauit, vt ad regnum ſuę domui viam parauerit: Moritur Theodoricus anno 688. Clodius III. Theodorici primogenitus adhuc iuuenis ſuccedit ſub Pepino Heriſtello Palatij magiſtro, qui ſua generoſitate & prudẽtia regno Galliæ antiquum ſplendorem reſtituerat, rebelles tam Occitanos quàm Saxones debellans, & ad obediendum compellens: Clodouæus poſt quatuor regni annos moriens coronam fratri Childeberto reliquit anno 692. Sub quo Pepinus bellum in Friſiam mouit, cuius Duci Ratbodo pacem obtulit, ſi fidem Chriſtianam amplecteretur: Dicitur ſub hoc tempore de Pepino, quòd etſi tot ornatus bonis moribus, honeſtam ſuam coniugem Plectrudam dimiſerit vt Alpaidæ concubinæ adhæreret, quem cum S. Lambertus Leodienſis Epiſcopus de ſcandaloſo monuiſſet adulterio, perdita mulier illa ſanctum Antiſtitem medio fratri ſuo Dodone trucidauit: adhuc in Friſia reſidens Pepinus audiens mortem Noberti ſui in officio magiſtri Palatij locotenentis, ſecundum filium Grimoaldum ſtatim ſubſtituit, & voluit vt Theudeſindam Ratbodi Ducis Friſiæ filiam duceret vxorem: Moritur Childebertus anno 7[illegible] duos relinquens filios, Dagobertum & Clotarium, & iacet in Eccleſia S. Germani Altitiodorenſis, quam cum vxore Vvltrogote ædificauit.

Apud Perſas Siroës filius Choſroæ ac Mariæ Mauritij Imperatoris filiæ regnum adeptus pacem init cum Romanis, Crucem Chriſti aliaque reſtituit, ad inſtantiam Heraclij baptizatur: Cumque octo annis pacificè ac iuſtè populum ſuum rexiſſet, moritur peſte anno Chriſti 634. Succeſſit illi filius Adeſir, qui primo regni anno occiditur à Sarbara, qui regnum vſurpat. Poſtea ſubintrat Siahriar, qui ſtatim occiditur. Deinde Choſras filius Kobad, qui etiam breui trucidatur. Exinde Succedit Baraina filia Choſroæ cum fil[illegible]

nomin[illegible]

nomine Bornaim. Post eos sequitur Hormisda III. quem sequitur alia Chosroæ filia nomine Axurmi cum fratre Ferochzad ; sed secundo regni anno hic gladio , illa veneno perimitur. Tandem regnat Iesdagird, qui à Calipha Arabum siue Saracenorum Omar victus occiditur anno Christi 632. Vnde regnum Persidis ad Saracenorum potestatem redactum est vsque ad annum Christi 1258. quo tempore liberatum à seruitute sub Regibus propriis refloruit.

Quia vidimus ortum Saracenorum seu Arabum regnum, quod nunc principaliter recta linea sub Turcis perseuerat ; æquum est vt eius initia describamus, & deinde sequentibus seculis eius progressus maximos prosequamur. Imperium igitur Turcarum à Mahometo Pseudopropheta ducit originem. Hic fuit Arabs natione ex vrbe Mecha oriundus; fuit astutus , quamuis ignarus : eius pater vocabatur Abdalla, mater autem Emina: natus est anno Christi 567. fuit seruus cuiusdã Abdemonaplis, cuius demortui vxorẽ in matrimonium duxit, à qua hæres institutus potensque effectus cœpit ad regnum suæ gentis, aspirare ; quod vt obtineret, se finxit Prophetam: Sergij Monachi consiliis multas hæreses, maximè contra Christi Diuinitatem seminat (medius inter Arium & Antichristum, primum & vltimum in hac materia hæreticum) licet ipsum Christum plurimùm laudet : Librum suæ legis , vulgò Alcoranum , ex Christianis ac Iudaicis dogmatibus, multisque plenum fabulis composuit. Tandem firmato regno Medinæ in Arabia propè mare rubrum moritur ætatis anno 65. Abbabucker consanguineus mortui Mahometis Calipha creatur anno Christi 632. aliquas regno subiicit prouincias: postquam duobus annis regnauit, moritur anno Christi 634. Omar filius Alchittab Calipha creatur, multa circumquaque bella excitat, Damascum capit, Palestinam occupat , plures religiosos Carmelitas in sacro monte Carmelo trucidat , Persidem inuadit, totam Syriam subiugat , Ægyptum tributariam facit ; Medina relicta Damascum venit , ibique nomen Imperatoris fidelium vsurpat: hæc moritur anno Christi 643. percussus ab Abulula

Persa. Ostman filius Affan succedit, qui postquam se duodecim annis regnauit, à suis occiditur anno Chri 655. Tunc Ali filius Abutalib & Fatimæ Calipha creatur & ferè quinque annis regnat: postea ab Abdurrahman per cussus interiit anno Christi 660. Deinde vsque ad finem septimi sæculi hoc ordine sequuntur, Hasen filius Ali, Moa xias filius Cephan, Moabias seu Mahomet filius Abuso phian, Ierid seu Hirid eius filius, Maula, Muthar, Maruan cum Abdalla, & Abdelmelech filius Maruan.

Apud Æthiopes post Regem Kahan sequuntur hoc ordi ne Amida, Sahan, Azba, Zahan, Gaber, Iacob & Dauid fratres, Arma & Zittahana.

Apud Scothos Ardan anno Christi 606. successit Kenne tus I. Cui post quatuor menses sufficitur Eugenius IV. D inde anno Christi 620. sequitur Ferquardus I. Donaldus I siue Donenaldus anno 632. Ferquardus II. anno 646. Mal duinus anno Christi 664. Eugenius V. anno 684. Eugenius VI anno 688 Ambirkelethus anno 697. Et Eugenius VII. anno 699. qui regnauit vsque ad annum Christi 716.

Apud Hispanos mortuo Luiba II. successerunt, hoc o dine Reges. Vitericus, Gundimarus, Sisebutus, Recared II. Suintilla, Tulga, Cindasuindus, Recisuindus, Bamb Eringius, & Egica,

Apud Longobardos in Italia iam ab anno 616. regnantem reliquimus Adaluualdum, qui deponitur è regno ann Christi 626. cui substituitur Arioualdus Arianus. Hu mortuo anno 638. successit Rotharis etiam Arianus. Po cuius mortem regnum obtinet anno 654. eius filius Rod aldus similiter Arianus. Deinde anno 659. Aripertus qu que Arianus. Succedens Grimoaldus anno 663. fit Cath licus, & moritur anno 673. relinquens regnum filio n uenni, quo post tres menses illum priuauit Bertarid fili Ariperti, qui nouem annis exulauerat in Gallia, vir Cath licus, pius, iustus & misericors in pauperes: Anno 681. filiu Cunibertum sibi sociauit in regno, & moritur postea ann 691. Ipse verò Cunibertus vixit ad annum 703.

Pauc

Paucos hoc ſæculo ſcriptores prophanos inuenimus:præcipui ſunt Martianus Mineus, Felix Capella Poëta & Mathematicus, Maximus Cæſarauguſtanus Epiſcopus, qui ſcripſit hiſtoriam Gothorum in Hiſpania, & Secundus, qui facta Longobardorum in Italia litteris commendauit, & propter vitæ ſanctitatem meruit vocari ſeruus Dei.

Non defuerunt hæretici & hæreſiarchæ : Peiores fuerunt Cyrus Alexandrinus, Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus Monothelitæ, Alius Sergius Monachus Magiſter Mahomet : Ipſe Mahomet Pſeudopropheta, de quo dictum eſt. Armeni, Eutichiani, & Pyrrhus Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Multi ſucceſſus mirabiles hoc ſæculo fuerunt. Orientales Angli cum Rege Sigiberto conuertuntur ad fidem opera Melliti Epiſcopi anno 604. Sedes Archiepiſcopalis eodem anno Londino Cantuarium transfertur à S. Auguſtino Archiepiſcopo. In conflictu Lotharij cum Theodorico, in quo pluſquam triginta millia ceciderunt, viſus eſt Angelus diſtrictum tenens gladium anno 605. Anno 606. Ferraria circumdatur muris ab Agilulpho Langobardorum rege. Anno 613. in Maurienna reliquiis S. Ioannis Baptiſtæ magna ſuccedunt miracula. Anno 618. Ealbaldus rex Angliæ dimittit idololatriam. Circa annum 622. S. Romanus Rhotomagenſis Archiepiſcopus infeſtiſſimum draconem ſtola ligatum ducit in ciuitatem, vbi comburitur : in cuius rei memoriam quotannis clerus illius ciuitatis in die Aſcenſionis reum à morte liberat, qui thecam reliquiarum eiuſdem ſancti teneatur eleuare, quod priuilegium à Dagoberto rege conceſſum fuit. Anno 632. fuit terræmotus triginta dierum, & ſignum in cœlo adinſtar gladij apparuit. Anno 633. Gandauenſes fidem recipiunt. Eodem anno Sigibertus filius Dagoberti regis puerulus quadraginta dierum, dum à S. Amando baptizatur, reſpondit *Amen* ad propoſitum tacentibꝰ aliis. Anno 639. in Hiſpania res Siſebutus Iudæos ad fidē conuertit. Anno 640. Earcumbertus in Anglia regnans deſtruit idola, & fidem Chriſti promouet. Anno 648. maior pars Flandriæ conuertitur

ad fidem. Anno 668. Saraceni occupant Africam, pulsis inde Vuandalis & Romanis. Rex Bamba ducentas septuaginta naues Arabum piratarum in Hispaniæ littore succendit. Anno 678. tanta cœpit siccitas, quòd tribus annis non pluit: hanc præcessit Cometa magnus per tres menses continuus, & secuta est pestis maxima. Anno 683. Cæsarea Regina Persidis cum rege & multis aliis veniens Constantinopolim baptizatur. In Hispania Rex Bamba dimisso regno fit religiosus: Rex autem Egica Iudæos rebelles ac proditores seruitute & bonorum iactura punit anno 694. Prædicatione Sanctorum Villebrordi & Suuiberti Germania proficit in fide Christi: Hollandia verò & Frisia tunc illam amplectuntur eorundem sanctorum diligentia.

OCTAVVM CHRISTI SÆCVLVM.

MOritur Sergius I. Pontifex maximus anno 1. huius sæculi die septima Septembris: Cui successit Ioannes VI. natione Græcus, post vnum mensem & viginti dies sedis vacantis, die 29. Octobris, qui sedit tres annos, duos menses & duodecim dies: Eius possessioni restitit Imperator Tyberius, misso Romam exarcho Theophilacto: Moritur die 10 Ianuarij anno 705. Quo die 1. Martij sequentis subrogatur Ioannes VII. etiam Græcus filius Platonis, rexitque Ecclesiam duos annos, septem menses & septemdecim dies, & moritur die 18. Octobris anno 707. Post tres menses sedis vacantis pontificatum adipiscitur Sisinnius natione Sirus die 18. Ianuarij: sed podagra plurimùm afflictus post viginti dies moritur septima Februarij. Substituitur ei Constantinus etiam Sirus die septima Martij, vir optimus, & erga pauperes affectus: sedit sex annos & quindecim dies, moriturque die 9. Aprilis anno 714. Huic successit post 42. dies sedis vacantis S. Gregorius II. Romanus filius Marcelli, qui S. Bonifacium misit in Germaniam prædicationis gratia, & Leonis Isaurici impietati restitit: Moritur die vndecima Februarij

bruarij anno 731. Quo die 16. eiusdem mensis subrogatur ei S. Gregorius III. natione Syrus filius Ioannis prudens & doctus, qui moritur anno 741. die 28. Nouembris plenus bonis operibus, postquam muros Romæ maiori ex parte refecit, & ecclesias ornauit. Illi successit S. Zacharias natione Græcus filius Polychronij die 5. Decembris eiusdem anni, qui sedit annos 10. menses 3. & dies 10. ac sanctitate conspicuus moritur die 15. Martij anno 752. Cui sufficitur Stephanus II. post duodecim dies, qui tribus aut quatuor tantùm diebus sedit. Et statim in ecclesia S. Mariæ ad præsepe eligitur Stephanus III. Romanus, qui post multos labores pro gloria Dei toleratos moritur die 26. Aprilis 757. Post triginta duos dies sedis vacantis promouetur Paulus I. Romanus filius Constantini die 28. Maij, qui post decem annos moritur apud S. Pauli ecclesiam die 29. Iunij anno 767. Ipso in extremis constituto violentia Totonis Ducis intruditur in Pontificatum in vndecimo Ecclesiæ schismate Constantinus prædicti Ducis frater, qui sic illegitimè aliquandiu sedit. Continuatur idem schisma in illegitima assumptione Philippi præsbiteri è monasterio S. Viti. Tandem legitimè eligitur die 5. Augusti anno 768. Stephanus IV. Siculus tituli S. Cæciliæ, qui deposito priùs Constantino consectatur; ipsique Constantino non multò post eruuntur oculi : Stephanus autem moriens die 1. Ianuarij sepelitur apud S. Patrum anno 772. Cui successit post octo dies Hadrianus I. nobilis Romanus filius Theodori, qui vexatus à Desiderio Longobardorum rege, missis in Galliam Legatis Carolum Magnum regem Christianissimum in auxilium accersiuit, qui statim cum exercitu venit, & obsessa ciuitate Papia Romam ad Pontificem profectus est: Hadrianus plenus bonis operibus moritur anno 795. die 26. Decembris, non sine lachrymis Caroli Magni. Eadem die crearur Pontifex Leo III. Romanus filius Asuppij, qui sedit viginti annis, quinque mensibus & septemdecim diebus: fuit vir sanctus, qui mira pro Dei gloria passus & operatus est; fertur, quòd fuit ei amputata lingua & eruti oculi, sed quòd miraculosè sanatus est: Coro-

nauit Carolum Magnum Regem Galliæ Christianissimum occidentis Imperatorem anno Christi octingentesimo ipsa die natiuitatis eiusdem Christi, propter eximia eius erga Ecclesiã merita, cum festiua populi acclamatione, diuino prorsus instinctu dicentis ; *Vita & victoria Caroli pijssimo Augusto, coronato à Deo, magno & pacifico Imperatori* : quæ dignitas suis hæreditaria fuit successoribus, & quam dissidia Galliæ amiserunt: moritur tandem Pontifex anno Christi 816. die 12. Iunij.

Sub adductis Pontificibus plura celabrata sunt Concilia. Toletanum 18. anno 701. Romanum sub Ioanne VII. anno 705. Vnum in Anglia eodem anno. Romanum anno 721. sub Gregorio II. Romanum aliud contra Iconoclastas anno 727. Romanum sub Gregorio III. anno 731. Item aliud anno sequenti pro defensione sanctarum imaginum. Vnum in Germania à S.Bonifacio anno 740. Concilium nationale in Gallia anno 742. Sub Zacharia vnũ in Germania anno 743. & aliud Romæ. Anno 745. sub eodem Pontifice duo celebrantur iterum Concilia, vnum in Germania & aliud Romæ. Anno 761. Concilium Romanum. Anno 766. Concilium Gentiliacum secùs Parisios pro sanctis imaginibus & sanctissima Trinitate, vbi determinatum fuit Sanctum Spiritum à Patre & Filio procedere : vnde in verbis Symboli Niceni hæc particula fuit addita, *Filioque* : sicut iam fuerat addita in Concilio Toletano 8. anno 653. & iterũ fuit postmodũ addita in Concilio Aquisgrani anno 809. & fuit ab Ecclesia generaliter recepta. Anno 769. sub Stephano IV. Concilium Romanum contra Constantinum Antipapam. Vvormaciense anno 770. Septimum Concilium generale Nicenum II. sub Hadriano I. contra Iconoclastas anno 787. Francofurdiense in Germania, in quo determinatur Christum non esse filium Dei adoptiuum. Item Concilium Friuli in Italia.

Inter Patriarchas Alexandrinos vnicum hoc sæculo inuenimus, scilicet Cosmam, qui anno 742. cum suis Monothelismo renuntiauit, vt sæculo præcedenti dictum est. Nullum similiter inuenimus inter Patriarchas Ierosolymitanos, propter

pter hæreſes & confuſionem illorum temporum, vbi Saracenorum bellis & crudelitatibus Ægyptus & Palæſtina omninò turbabantur. Inter Patriarchas Antiochenos, poſtquam ſedes vacauit 57. annis ob eandem tyrannidem Saracenorum, anno 742. creatur Patriarcha Stephanus IV. Syrus Monachus, vt diximus ſæculo præcedenti, qui moriens anno 744. ſucceſſorem habuit Theophilactum Edeſſa oriundum, virum ſanctum. Cui morienti anno 751. ſucceſſit Theodorus, qui Arabum inuidia mittitur in exilium anno 756. Poſtea reperitur Theodoretus Patriarcha anno 787. & nullus deinceps vſque ad bellum ſacrum ſub Godifredo Bullioneo. Inter Patriarchas Conſtantinopolitanos vltimus præteriti ſæculi fuit Callinicus, quem in principio huius ſæculi, anno videlicet 705. diximus excæcatum fuiſſe ac exulem. Vnde tunc ei ſubrogatur Cyrus monachus, qui poſtea depoſitus ab hæretico Imperatore Philippico mittitur in exilium anno 712. Eique ſubſtituitur Ioannes VI. Monothelita. Sed huic quoque depoſito ſufficitur S. Germanus anno 714. qui proditur ab Anaſtaſio ſuo diſcipulo. Perfidus hic Iconoclaſta ſuæ impietatis & perfidiæ pœnas luit intruſus Patriarcha: nam à Conſtantino Copronymo, cuius imperium turbauerat, miris affligitur ignominiis, nam vectum aſino capite ad caudam verſo per totam circumducitur ciuitatem: Et poſtea miſerè periit anno 753. excrementa ſua ex ore dimittens. Huic ſucceſſit Conſtantinus II. etiam Iconoclaſta anno eodem, qui à prædicto Imperatore capite plectitur anno 767. Hunc ſequitur Nicetas eadem infectus hæreſi, qui moritur anno 780. eique ſucceſſit Paulus IV. apparentur Iconoclaſta, ſed verè Catholicus: cuius fictionis poſtea vehementer ipſum pœnituit; Vnde Patriarchatum relinquens fit monachus, ac ſanctiſſimè vixit & moritur anno 784. Cui ſubſtituitur Taraſius Catholicus, qui ſuam noluit electionem acceptare, donec ei promiſſa fuerit conuocatio Generalis Concilij ad condemnandam Iconoclaſtarum hæreſim, & ad pacificandam Eccleſiam Conſtantinopolytanam: Cum magna ſanctitatis fama moritur anno 806.

Fuerunt hoc sæculo plures viri doctrina sacra celebres, & plurimi sanctitate inclyti. Præcipui doctores fuerunt: Samonas Archiepiscopus Gazæ, S. Germanus Patriarcha Constantinopolytanus; Venerabilis Beda Anglus monachus, qui natus anno 671. moritur anno 776. centenario maior, virtutibus & scriptis suis celeberrimus. S. Ioannes Damascenus monachus, qui contra Leonem Isauricum pro sanctis imaginibus strenuè decertauit, in quarum defensionem manus ei dextera amputatur, quam ei sanctissima Virgo Dei genitrix restituit, deinde in solitudine moritur anno 731. Vsuardus, qui iussu Caroli Magni Martyrologium illustrauit. Dacrianus Abbas ordinis S. Benedicti, qui speculum monachorum scripsit & documenta vitæ spiritualis. Paulus Diaconus, qui iussu Caroli Magni vitas sanctorum scripsit. Albinus Flaccus Anglus, siue Alcuinus, qui præceptor fuit eiusdem Caroli Magni. Et Paulinus Aquileiæ Episcopus. Sanctitate verò præter adductos, fuerunt celebres: S. Bonitus Episcopus Claromontanus anno 704. S. Syluinus Episcopus Tolosanus mortuus 715. S. Volfrandus Episcopus Senonensis anno 720. S. Villebrordus Episcopus Vltraiectensis. S. Macarius Constantinopolitanus, qui in defensionem sanctarum imaginum moritur in exilio anno 735. Sanctus Theophilus monachus pari motiuo in exilio mortuus anno 745. S. Richardus rex Angliæ anno 750. S. Hubertus Leodiensis Episcopus anno 754. S. Bernardus Lugdunensis nobilissimus Episcopus Viennensis: & alij quam plurimi.

Quantum attinet ad res prophanas: Iustiniano II. Imperatori mortuo successit anno Christi 710. Philippicus, dictus Bardanes, hæreticus, qui vsque ad annum Christi 713. imperat; tunc enim tertio anno Imperij excæcatus mulctatur exilio, subrogatus Anastasius II. Catholicus, cognomento Artemius, vno tantùm imperat anno, & ab exercitu deponitur anno Christi 714. Cuius successor Theodosius III. Catholicus ipsi permisit in statu monachali viuere, ipseque pacis amore se abdicat imperio anno Christi 716. Cui substituitur Leo Isauricus III. primò Catholicus, de-

inde anno 723. Iconoclastis adhærens in odium sanctarum imaginum Catholicos persequitur, & moritur anno Christi 741. Imperij 25. Eique successit Constantinus V. filius eius, dictus Copronymus, patrem impietate, luxuria & crudelitate, ac odio in Sanctissimam Virginem Dei matrem superans, qui miserrimè moritur anno Christi 775. Imperij 34. clamans se flammis æternis damnari propter Mariam, quam vt Deï Matrem venerandam tunc asserit. Sufficitur Leo IV. eius filius, patris exhortatione proficiens in principio, nam Beatissimam Virginem & monachos coluit: sed peruersus præteritis patris exemplis persequitur Ecclesiam, & imagines sanctas destruit: Tandem anno Christi 780. Imperij 5. miserè periit. Huic filius Constantinus VI. successit sub tutela matris Irenes Augustæ piissimæ, cuius suasu pacem Ecclesiæ reddit; sed anno 790. matrem abiiciens imperat solus, & anno 797. excæcatur & occiditur: Ipsaque Sanctissima Irene administrat imperium vsque ad annum Christi 802. tunc à Nicephoro in exilium acta recluditur in monasterio, vbi sequenti anno mœrore confecta moritur.

Apud Gallos mortuo Regi Childeberto anno Christi 709. successit primogenitus Dagobertus II. qui non minus ac alij prædecessores eius fuit desidiosus; Vnde præter nomen ipsorum per quadraginta annos vix aliud scitur: In hac Regum desidia Pepinus magister Palatij, sua pietate erga Ecclesiasticos, sua vrbanitate & prudentia erga omnes, ac tandem sua generositate aduersùs rebelles & hostes regni sic omnium Gallorum animos sibi conciliauit, vt venerationi apud omnes esset, ac velut Rex coleretur; quod domui ipsius ad regnum viam parauit, vt dictum est, & statim declarabitur. Cum Pepinus Plectrudem coniugem repudiasset, vt Alpaidem concubinam in matrimonium duceret: Et insuper Grimoaldum suum ex Plectrude filium adulteriis vxore despecta vacantem miserrimè trucidatum inter concubinas audisset, mœrore conficitur, & iam moriturus Carolum cognomento Martellum, suum ex Alpaide con-

cubina filium, in officio magistri Palatij successorem reliquit: Cui restitit in principio Plectrudis, & Coloniæ captum in carcere retinuit; sed inde liberatus sic Plectrudi cæterisque Gallis optima indole bonisque moribus complacuit, vt cum applausu generali ad dictum officium admitteretur. Carolus igitur factus magister Palatij, mortuo post quinque annos regni Dagoberto, ciuilibus occurrit alterationibus; & Danielem Gallici sanguinis Principem, qui assumptus è monasterio sub nomine Chilperici II. fuerat coronatus, deposuit è throno, eiusque magistro Palatij Rainfredo pacis amore regimen Andegauensis prouinciæ concessit: Tunc Chilpericum Dagoberti primogenitum Regem coronauit adhuc paruulum, & ad sedandos regni tumultus, Clotarium Principem sanguinis Regentem constituit (quem propterea Scriptores aliqui inter Reges numerant;) vt enim erat prudens, voluit ambiti à se regni suspicionem hoc facto remouere; ipse tamen absque nomine Regis regem agebat, cuncta ad nutum disponendo, quasi caput concilij ac primus minister status. Factus maior Chilpericus Rex solis voluptatibus & deliciis vacabat, vnde nihil memoria dignum de ipso legitur: sub eius regno desidioso Sueui, Saxones & Bauari rebellionem meditantur, sed prudentia & virtute Caroli Martelli continentur: Plectrudis iam dicta retinens æmulationem contra Carolum, cum sua ex Pepino filia Sanichilde recessit Vlmam, vt populos illos sibi concilians aduersùs eum rebellaret; sed accurrens Carolus, rebellionem præuenit, & captam Plectrudem ipsam carceri mancipauit, quo facto suam omninò firmauit authoritatem. Rex Chilpericus post quinque annos regni moritur: Cui successit Theodoricus II. eius frater, non minùs desidiosus: Sub cuius regno Carolus minister vigilantissimus Germanos maioris vinculo seruitutis subiecit Gallis, Burgundos rebelles subiugauit, mortuoque Eude Aquitaniæ & Occitaniæ Duce prouincias illas Galliæ regno restituit, expulsis Gayfre & Vvalde filiis Eudis, in pœnam paternæ rebellionis, qua Saraceni contra Gallos ex Hispania vocati

fuerant;

fuerant: Iam inito fœdere cum Luitprando Longobardorum Rege, processit contra Athin Saracenum, vt ipsum ex Narbonensi prouincia, totaque Septimania (nunc Languedoc) & ex Galloprouincia repelleret: quod fœliciter effecit, acquisitis regno huiusmodi prouinciis; & Comitem Mauricium comitatu Massiliensi priuauit, quia ciuitatem Auenionensem Saracenos tradiderat: Anno 730. memorabilis illa Turonensis victoria successerat, qua Carolus inundantes Saracenos per Galliam ad trecenta septuaginta quinque millia vno conflictu deleuit cum Abderamo eorum rege, vix mortuis ex parte Gallorum mille quingentis, quæ Carolum vbique reddidit inclytum. Theodoricus moritur post quindecim annos regni, anno Christi 740. successorem relinquens Childericum III. filium: Et anno sequenti moritur ipse Carolus cognomento Martellus propter fortitudinem, qui iam à prædicta Turonensi victoria nomen Ducis & Principis Gallorum possidebat: Quatuor habuit filios, scilicet Carolomanum primogenitum, Pepinum, Ægidium, & Griffonem; Carolomano prouinciam Austrasiæ concessit, Pepino Ducatum & Principatum Gallorum: Ægidio Rhotomagensem Archiepiscopatum: Griffoni verò fratrum beneuolentiam reliquit: Quinquaginta quinque erat annorum Carolus, quando mortuus est, spatio viginti quinque annorum regnum Galliæ sub prædictis Regibus desidiosis moderatus est, vel vt Magister Palatij, vel vt Dux & Princeps Francorum; Et reipsa fuit authoritate Rex, nam in Ecclesia S. Dionysij videtur eius statua cum corona & veste regia, & cum hac inscriptione, Carolus Martellus Rex. Regnabat igitur Childericus III. vltimus stirpis Merouingianæ, cuius regnum decennale sic populo fuit odiosum, & virtus Pepini Ducis ac Principis tam Chara, qui patrem Carolum Martellum & auum Pepinum Heristellum æquabat eximiis naturæ dotibus, si non superabat; quòd de Rege deponendo, ipsoque ad regnum assumendo cogitauerit: propterea in comitiis generalibus regni Suessione conuocatis, industria præsertim Episcopi Herbipolitani, & alterius

terius sacerdotis, communi consensu populi Rex depositus cum Gisala coniuge mittitur in Bauariam, vbi reclusus in monasterio vitam finiuit; Pepinus autem ad thronum regium sublimatur anno Christi 750. quo secunda stirps Regum Galliæ Carolouingiana cœpit: Huic regni mutationi consensit & dispensauit S. Zacharias summus Pontifex, quia generale totius Christianitatis bonum ipsiusque regni, cui præcedentium Regum desidia plurimum nocebat, & cui virtus Pepini iuncta suorum meritis præsertim in repellendis Saracenis admodum cooperabatur: Ex fratribus Pepini Carolomanus post aliquod belli exercitium mundo renuntians Viennæ fit monachus relicta Pepino Austrasia, vbi moritur: Griffon autem inquietus, & fratris liberalitate non contentus, contra ipsum Saxones, Bauaros & Occitanos commouit; Verùm dum inde repulsus ad similes commouendas seditiones in Italiam pergit, à quodam Nobili Burgundo perimitur. Pepinus igitur Rex electus & confirmatus anno 752. coronatur à Bonifacio Præsule Moguntino, tunc Saxones rebelles castigat, sicut & Cayfrem filium Eudis seu Eudonis Occitaniæ Ducem, qui collectis de nouo copiis Burgundiam inuaserat, quo nimis audaci facto sic Regem animauit, vt ipsum cum exercitu persecutus omnes Occitaniæ ciuitates vi ceperit, & miser ipse Cayfre fuerit à domestico quodam occisus, & in lacu propè Burdegalam sepultus. Sub hoc Rege piissimo summus Pontifex Stephanus III. venit in Galliam, propter nimias Astolphi Longobardorum Regis vexationes, ipsumque Regem Pepinum in Ecclesia S. Dionysij propè Parisios iterum sacrauit & coronauit, cuius auxilio coërcetur Longobardus, & Pontifici iurisdictionem S. Petri & Dominium Rauennæ dimisit: Post tam eximia pietatis ac bellicæ virtutis opera, plenus gloria & meritis moritur Parisiis Rex Pepinus 24. Septembris anno Christi 768. regni 18. & ætatis 54. duos ex sua coniuge Bertha relinquens filios, scilicet Carolum & Carolomanum, quibus Galliam testamento diuisit: Carolo dedit partem occidentalem cum Burgundia & Aquitania

nia, qui ſedem Curiæ Nouioduni conſtituit; Carolomano autem partem dedit orientalem cum prouinciis vltra Rhenum ſitis, & Süeſſione ſedem habuit. Cœperunt igitur hi duo Reges partem regni ſibi datam adminiſtrare: ſed eminebat Carolus tum prudẽtia & eruditione, quàm in multis ſciẽtiis ſub Paulo Piſano & Alcuino acquiſierat, tùm virtute bellica: Tunc accidit, quòd Carolomanus quadã inuidia in fratrem motus, quem omnibus Charum videbat, venit in Italiam, vbi Deſiderium Longobardorum Regem inuenit eadem paſſione animatum contra Carolum, à quo ſolo ſibi timebat, cum potentiſſimum & ſummo Pontifici benè affectum ſciret: Vnde dicti Deſiderij ſuaſu turbat Occitaniam, & vnitus Hunalto prædicti Eudonis Ducis filio rebelliones populorum ſuſcitans vult fratrem in componendis domeſticis negotiis occupare, ne tranſeat in Italiam: Verùm Carolus mira celeritate & prudentia ſedat Occitaniam, captum Hunaltum moderatè caſtigat, tùm ei ditionem paternam reſtituit: Carolomanus autem caſſum videns ſuum intentum rediit in Galliam, vbi moritur anno Chriſti 771. quo mortuo Carolus manſit ſolus Rex Gallorum, quem deinceps Carolum Magnum, & meritò maximum nominabimus: Vxorem ſuam Theodoram adulterij ſuſpicione repudiauit, deinde duxit Hildegradem filiam Ducis Süeuiæ, ex qua tres filios & tres filias ſuſcepit, videlicet Carolum, Pepinum & Ludouicum, Rotrudem, Bertham & Gillam ſeu Ægidiam: Tunc cognata eius Bertha Carolomani vidua, eandem quam priùs illius maritus exercuerat, aduersùs Carolum retinens æmulationem, cum duobus ex filiis impatiens ſuæ conditionis ad Deſiderium Longobardorum Regem confugit, vt dictos filios reges in paterna hereditate poſſet coronare; Cuius prætenſioni reſtitit Summus Pontifex Hadrianus I. propterea Deſiderius armata manu ditionem Eccleſiæ ingreditur, & Rauennam ciuitatem obſidet; nec minis Apoſtolicæ excommunicationis terretur, nec Carolum Regem timet, quem in Occitania diutiùs occupandum credebat: Verùm Carolus in auxilium Pontificis ac-

currens Longobardum coërcet, ipſum obſidet Papiæ, captas eccleſiaſticæ ditionis vrbes, præſertim in Vmbria, Flaminia & Piceno reſtituit Pontifici, cui integrum Rauennæ exharcatum tradidit: Tunc captam cum filiis Bertham corripit, & in Galliam pacificè remiſit. Inde Romam veniens ad Pontificem, mira erga ipſum obſequia reuerentiæ, & pietatis in Deum exhibuit, à quo perhumaniter exceptus multis priuilegiis & prærogatiuis honoratur, præſertim in conferendis beneficiis eccleſiaſticis, velut eximius eccleſiæ benefactor & protector. Vix finito hoc Longobardorum bello, nouum ſuſcipit contra rebelles Saxones, quos non tantùm ad officium, ſed etiam ad fidem Catholicam reduxit. Anno 776. vocatus in Hiſpaniam Saracenos debellauit, ſed Gani proditione pars exercitus ad Roncauallem deletur: Eximios ad hoc bellum Martis Heroës ſecum duxerat, ſcilicet Milonem Andegaui Comitem, Rolandum eiuſdem Milonis ac Berthæ ſororis ſuæ filium, ac proinde ſuum nepotem, Reginaldum de monte Albano, quatuor Emondi filios, Augerium Danenſem, Oliuerium Gebennæ Comitem, & alios quorum hiſtoria ac mirabilis virtus multis inficitur fabellis: Tunc Carolus duodecim pares Franciæ dicitur inſtituiſſe. Tanta facilitate ac fœlicitate cuncta gerebat, quòd bonis venerationi, & malis eſſet formidini. Mortuo Hadriano ſucceſſerat Leo III. qui vexatus à Syluestro aliiſque potentioribus Romanæ Curiæ Carolum Magnum in auxilium vocat, Accelerat Rex pius, & ſedatis omnibus in præmium ſuæ pietatis anno 800. die Natiuitatis Christi ab ipſo Leone in Eccleſia S. Petri coronatur Imperator Occidentis, vt dictum eſt, Imperante in Oriente S. Irene piiſſima Imperatrice: Ad ipſum ſequenti ſæculo redibimus.

Subiugatum vidimus ſæculo præcedenti regnum Perſarú, & à Saracenis vſurpatum, quorum principes ſeu Caliphas cœpimus numerare: Poſt Abdelmelech ſic ordinatè ſucceſſerunt hoc ſæculo; Vlid filius Abdelmelech, Sulriman item filius Abdelmelech & frater Vlid, Omar filius Abdulazis filij Maruan, Iezid ſeu Hirid conſobrinus Omar, Huiam ſeu

Iſcan

Iſcan frater Iezid, Vvalid ſeu Vlid filius Iezid, Abraham ſeu Ebraim filius Vvalid, Maruan, & Mahomet.

Apud Æthiopes, mortuis Arma & Zittahana ſucceſſerunt hoc ordine Iacob, Conſtātinus, Beth-Eſraël, Gabra-Maſchal, Nalek, Brazen, Senſaghed, Bahar-Saghed, Ghermaaſer, Saliuba, Callula-Sion, Sargue, Zarai, Bagaharnai, Gianſcheda, Zeonechiz & Malgeres.

Apud Scothos poſt Eugenium VII. anno Chriſti 716. mortuum regnauit Mordacus. Cui mortuo anno 731. ſucceſſit Ethſinus. Deinde anno 762. Eugenius VIII. Anno 765. Ferguſius III. Anno 768. Soluathius. Anno 788. Achaius: Cum quo Carolus Magnus anno 809. fœdus perpetuum inter Gallos & Scothos iniit.

Apud Hiſpanos mortuo Egica Rege regnauit Vitiſa: Deinde Rodericus trigeſimus quartus & vltimus Regum Gothorum in Hiſpania. Cuius cauſa fuit huius Regis incontinentia, vt communiter refertur, qui cum honorariā Reginæ puellam Comitis Iuliani filiam nomine Cauam violaſſet, pater puellæ, eiuſque patruus Oppas Archiepiſcopus Hiſpalenſis tanto ſunt furore talis iniuriæ perciti, quòd vindictæ contra Regem ſumendæ cauſa, Mauritanos ex Africa vocauerūt, & cum innumeris penè copiis appellentes Hiſpali ſuſceperunt; proprio ſuo damno, nam ipſe Oppas iuſto Dei iudicio ab ipſis trucidatur; & inſuper vniuerſali malo totius regni, nam infideles illi Hiſpaniam inundantes breui ſubiugarunt, occiſis vt plurimum, vel ad montes inacceſſos repulſis Chriſtianis: Rex ipſe Rodericus diſparuit, repertis ad Guadaletam fluuium eius inſignibus: Adulazis filius Moyſis Maurorum Dux Egilonam Reginam Roderici viduam duxit vxorem, & ſe Regem Hiſpali conſtituit, factus rebellis Vlid Regi ſuo à quo miſſus fuerat: propterea à Mauris occiditur, & ſucceſſorem habuit Ayub, à quo reſtaurata Bilbilis ad Salonem fluuium denominatur deinceps Calat-Ayub.

Poſt aliquot annos animū reſumentes Chriſtiani Regem conſtituunt S. Pelagium, qui plures à Mauris recuperat vrbes. Cui ſucceſſit Fauilla, deinde Alphonſus I. gener S. Pelagij,

Froila,

Froila, Aurelius,Silus, & Alphonſus II.cognomento Caſtus.

Apud Longobardos in Italia poſt Cunibertum anno 70 mortuum regnauit Luithbertus eius filius adhuc paruulus ſub tutela Aſprandi,quo poſt octo menſes ſuperato Regnum inuadit Regemgert Dux Pedemontij : ſed hoc breui occiſo cœpit regnare anno 704. Aripertus, qui moriens anno 71 ſucceſſorem habuit Aſprandum: Cui poſt tres menſes defuncto Luithprandus filius ſucceſſit, qui corpus S.Auguſtini ex inſula Sardinia Ticinum ſiue Papiam tranſtulit, & regnauit triginta & vno annis cum aliquot menſibus. Huic ſucceſſit nepos Hildebrandus anno Chriſti 744.ſed poſt ſeptem menſes ob nimiam ſeueritatem repulſo ſubſtituitur Rachis, qui anno 750. renuntians ſæculo fit monachus S. Benedicti, & coniux eius fit monialis,& ſanctè in propoſito vſque ad mortem perſeuerarunt. Tunc regnum ſuſcepit Aiſtulphus frater Rachis,impugnator iuris Eccleſiaſtici,qui miſerè periit anno 756. Cui ſufficitur auxilio Stephani III. Summi Pontificis Deſiderius,qui multa in fauorem Eccleſiæ promiſit in principio, ſed perfidus poſtea Hadrianum Summum Pontificem perſequitur:ſed accurrente in auxilium Eccleſiæ Carolo Magno debellatur, & captus ducitur in Galliam carceri mancipandus anno Chriſti 774. quo terminatur regnum Longobardorum in Italia.

Paucos admodum inuenimus hoc ſæculo Scriptores prophanos : Indicantur tantùm Arabes Philoſophi , & Hebræi Talmudiſtæ,cum Ægydio quodam Athenienſi Medico, qui floruit in Gallia,& doctiſſimè ſcripſit de pulſu & venis.

Pauci quoque citantur hoc ſæculo noui hæretici:Præcipui ſunt Iconoclaſtæ,Aldebertus, Clemens Scothus,& Albanus.

Fuerunt hoc ſæculo multi ſucceſſus memorabiles. Anno 708. Roma fame vexatur,quæ duobus annis ſequẽtibus perdurauit.Anno 709. S.Michaël Archangelus apparuit in quodam monte maritimo Normandiæ , vbi celebris ei Eccleſia condita fuit Auberti Epiſcopi ſollicitudine, & à peregrinis magna deuotione frequẽtatur, ipſeque mons ſancti Michaëlis nominatur. Paulus Amazat creatur primus Dux Venetorum

rum

rum, quam ſequitur Marcellus Tancaſia. Anno 714. Arabes Hiſpaniam inuadentes omnia confundunt,& vrbium,ac fluminum nomina mutant, quæ mutatio hactenus perſeuerat. Anno 717. Tyberis inundans campos deſtruit, & plures domos in vicinis vrbibus & pagis ſubuertit. Anno 725. tranſfertur corpus S. Auguſtini ex Sardinia Ticinum. Anno 729. menſe Ianuario per quindecim dies apparent duo Cometæ, vnus ortum Solis præcedens, alius occaſum eius ſubſequens. Anno 733.die 15.Auguſti accidit Eclypſis ſolis horrida, corpus enim eius integrum ferè tegebatur. Anno 736. Alphonſus Rex Gallæciæ repullulantem Arianiſmum extinguẽs, ſibi ſuiſque ſucceſſoribus Catholici nomen obtinuit. Anno 737. Celonulphus Rex Angliæ ſæculo renuntians fit monachus. Anno 740. Conſtantinopoli multæ domus, templa, aliaque monumenta publica terræ-motu ſubuertuntur, in quorum ruinis multi homines oppreſſi ſepeliuntur. Anno ſequenti in eadem vrbe trecenta hominum millia peſte necantur. Anno 782. fuit inuenta Conſtantinopoli lamina aurea in cuiuſdam iacentis ſepulchro,in qua ſcriptum erat; *Chriſtus naſcetur de Virgine Maria, & in ipſum credo, ſub imperio Conſtantini & Irenes iterum ſol me videbis.* Anno 786. ſignum crucis in veſtibus hominum miraculosè apparuit. Anno 787. ſanguis copioſus è cœlo & terra decurrit. Anno 792. Pariſienſis Vniuerſitas inſtituitur à Carolo Magno, ibique quatuor celeberrimi profeſſores Venerabilis Bedæ diſcipuli creãtur, videlicet Alcuinus, Ioannes Schotus, Rabanus,& Claudius. Eodem anno 792. cum Carolus Magnus, purgata Saracenis Galloprouincia veniſſet in ciuitatem Aptenſem, & iuſſu eius Turpinus Rhemenſis Archiepiſcopus cathedralem Eccleſiam iterum conſecraret: accidit quòd Nobiliſſimus Baro de Caſa noua cum filio Ioanne cæco, ſurdo & muto ſacræ aſſiſteret cæremoniæ, cumque perueniſſent ad locum vbi erat capella ſubterranea, ſuis geſtibus puer ille ſignificauit eruendam inde terram: Cumque iuſſu Regis fuiſſet eruta, prius ingreditur puer, & lampadem ſpatio ſex ſæculorum ardentem inuenit, & miraculosè loquens ait;

In hac fenestra est corpus S. Annæ Matris Virginis Mariæ: Aperta igitur fenestra sacræ reliquiæ inueniuntur, quibus superposita erat hæc inscriptio; *Hic est corpus S. Annæ Matris Virginis Mariæ*, quod Auspicius Aptensis Episcopus anno 162. ibi conditum absconderat ob persecutionem Aurelij Imperatoris; & quod delatum creditur ex Iudæa à primis Christi Discipulis in Galloprouinciam venientibus. Vniuersitas Papiensis paulò pòst Parisiensem est instituta à Carolo Magno; & Bononiensis ab ipso renouata, quæ fuerat à Theodosio Imperatore fundata. Circa annum 800. Ciuitas Aquisgranum à Carolo Magno fundatur. Tunc etiam in pluribus Ecclesiis festum Sanctissimæ Trinitatis cœpit celebrari, cuius officium composuit Alcuinus, quod postmodum vniuersaliter in Ecclesia Romana sub Alexandro III. celebratum est.

NONVM CHRISTI SÆCVLVM.

MOrtuo Leone III. anno Christi 826. Creatur Pontifex Stephanus V. die 22. Iunij post decem dies sedis vacantis: erat Romanus Marini filius, qui volens Ludouicum Pium Caroli Magni filium videre, venit in Galliam. Eius aduentum Rex addiscens, Bernardo Italiæ Regi suo nepoti, aliisque principibus præcepit vt ipsi occurrerent, & honorificè comitarentur vsque ad ciuitatem Rhemensem, quò vbi peruenit, præmissis pluribus Prælatis, ipse Rex simul & Imperator obuiam processit ad maiorem vsque ciuitatis plateam, vbi videns Pontificem descendit ex equo, & ante pedes Pontificis simul ex equo depositi ter prostratus ait; *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis*: Cui respondit Pontifex; *Benedictus Dominus Deus, qui oculis nostris concessit videre secundum Regem Dauid*: Inde surgentes post mutuos amplexus & charitatis signa veniunt ad maiorem Ecclesiam, vbi Te Deum laudamus festiuè cantatur

tur, & recedentes domum ſimul humaniter conuerſantur: Dominica ſequenti redeundo in Eccleſiam Pontifex Ludouicum Imperatorem conſecrat, impoſita capiti pretioſiſſima ex auro & gemmis corona; ſimiliter Irmengardem Imperatricem coronat vocans Auguſtam. Deinde Pontifex, poſt habitas cum Imperatore multas conſultationes circa pacem Eccleſiæ, & poſt accepta multa ac pretioſa munera Romam rediit, vbi vix expletis ſeptem Pontificatus menſibus & tribus diebus moritur die 25. Ianuarij anno 818. Cui poſt duos dies, magno Cleri & populi conſenſu ſubſtituitur Paſchalis I. Romanus monachus, qui ſeptem annis, tribus menſibus & ſeptemdecim diebus ſedit, quique mira pietatis opera fecit, tum in ornandis Eccleſiis, tum in profligandis Iconoclaſtarum erroribus, tum in protegendis exulibus & afflictis in cauſa fidei: moritur Romæ die 12. Martij anno 824. Huic ſufficitur Eugenius II. filius Boëmundi, qui Pontificatum tenuit tribus annis, duobus menſibns & viginti tribus diebus; fuit vir illuſtris & venerabilis: eius electio non fuit pacifica, quidam enim XII. ſchiſma ſuſcitantes Zinzinum ad Pontificatum concurrere fecerunt, qui tamen breui repellitur: Eugenij tempore Ludouicus Imperator filium ſuum Lotharium Romam miſit, ad ſedandos multos Curiæ tumultus; Ipſe verò Eugenius moritur die vndecima Auguſti anno 827. Cui poſt vnum diem ſucceſſit Valentinus Romanus vir ſanctus vniuerſali voce populi illum depoſcentis: ſed vix expletis quadraginta diebus moritur die 21. Septembris. Poſt tres dies eligitur Gregorius IV. Romanus filius Ioannis, doctrina & pietate inſignis, qui latens in baſilica ſanctorum Coſmæ & Damiani, vix adduci potuit vt Pontificatum acceptaret, quem circiter ſexdecim annis tenuit: Eius tempore Saraceni capta Sicilia vaſtabant Italiæ littora, contra eorum incurſus mœnia ciuitatis Oſtienſis reparauit, & ſuburbium Romanum S. Petri muris cinxit: Cumque Lotharius cum fratribus Ludouicum patrem perſequeretur, & ab Imperio deponere vellet, & vtrinque colligerentur militares copiæ, ſanctus

Pontifex ad exercitus venit inter Baſileam & Argentinam; ſed non potuit ſua diligentia pacem afferre ; nam Imperator à ſuis derelictus , & à filiis captus includitur in monaſterio S.Medardi, remota ab ipſo ſecunda coniuge Iuditha; Moritur Pontifex anno 843.Quem die 10.Februarij ſequentis anni ſequitur Sergius II. Romanus, qui tribus annis ſedit : Ad ipſum Lotharius Imperator filium Ludouicum miſit, quem Pontifex Regem coronauit : Eius tempore Saraceni piratæ Romam appellentes, Baſilicas ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli diripuerunt ; ſed in pœnam ſacrilegij, cum versùs Gaietam nauigarent,orta ſubitò tempeſtate naues eorum ad rupes & ſcopulos alliſæ pereunt:poſt multa pietatis in renouandis & ornandis Eccleſiis opera moritur Pontifex anno 847. Quo ei & eadem die ſufficitur Leo IV. Romanus, qui videns qualiter Saraceni Baſilicam S. Petri diripuiſſent , cœptum opus Gregorij IV. in conſtruendis mœnibus Romani ſuburbij perfecit, quod poſtea ab eius nomine denominatum eſt ciuitas Leonina : moritur anno 855. Huic ſucceſſit Benedictus III. Romanus filius Petri, pius & doctus, cuius poſſeſſio non fuit quieta, nam ſuſcitato XIII. ſchiſmate, intruditur Anaſtaſius,quem tamen breui populus repulit velut Antipapam : Cuius tempore Tyberis inundans vaſtitatem, & poſtea peſtem cauſauit : Et Legati tam Michaëlis Imperatoris, quàm Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani Romam venerunt:moritur ſecundùm aliquos die 16. Februarij, vel ſecundùm alios die 8. Aprilis anno 858. Quem ſequitur Nicolaus I. Romanus filius Theodori, & conſecratur in Baſilica S. Petri coram Ludouico Imperatore die 24. Aprilis : Fuit vir eximius, & S. Gregorio Magno comparandus, ſchiſma Conſtantinopolitanum contra Ignatium Patriarcham miſſis legatis procurauit ſedare, Ioannem Archiepiſcopum Rauennatem admodum inſolentem ſuis cenſuris compeſcuit, & multa alia fecit pietatis & Apoſtolicæ authoritatis opera, quæ ipſum venerabilem reddiderunt : tandem moritur die 13. Nouembris anno 867. Cui ſucceſſit Hadrianus II. Romanus filius

Talari,

Talari, & consanguineus Stephani IV. & Sergij II. summorum Pontificum, qui iam bis suæ restiterat electioni, quando Benedictus & Nicolaus fuerunt electi, sed nunc Diuinis reuelationibus consentire cogitur: post optimum quinque annorum Pontificatum, moritur die 1 Nouembris anno 872. Vacat sedes Pontificia vsque ad diem 14. Decembris immediatè sequentis, qua creatur Ioannes VIII. Romanus filius Gundi, qui decem annis integris sedit: Eius tempore Saraceni regnum Neapolis percurrentes deuastant, vsi commoditate belli ciuilis inter Carolum & Ludouicum filios Ludouici Imperatoris defuncti, de successione disputantes; aduersùs quos processit Pontifex, & Imperatoris Caroli turmas auxiliares exposcit: multum laborauit in componendis dissidentibus de Imperio occidentali, & Basilij Imperatoris Orientalis legatos humaniter excepit, & ad eius instantiam Phocium Patriarcham in communione fidelium admisit, necessitate compulsus: qui Principum Italiæ & Saracenorum vexationibus oppressus auxilium à Carolo Imperatore petiit, & consumptus afflictionibus moritur die 15. Decembris anno 882. Cui post tredecim dies sufficitur Marinus I. quem aliqui vocant Martinum, sed immeritò: erat Hetruscus è Gallesio filius Palumbi, qui per annum & quinque menses tantùm sedit; vbi fuit electus, Phocium iterum condemnauit, & cuncta priùs in eius fauorem à prædecessore facta penitùs irritauit, quod sic Basilium Imperatorem animauit, vt de legitima eius ordinatione disceptauerit: Et è contra degradatos ac excommunicatos ab eodem suo prædecessore absoluit, quod duas in curia Romana factiones suscitauit, quarum vnius Comites Toscanellæ se declararunt protectores, qui postmodum Romanam turbarunt Ecclesiam, & indignos Pontifices suæ consanguinitatis intruserunt: moritur Marinus die 18. Ianuarij anno 884. Cui post duos dies successit Hadrianus III. Romanus filius Benedicti, qui rexit Ecclesiam vno anno, tribus mensibus & nouemdecim diebus, & persistens in eadem Marini prædecessoris sui contra Phocium determina-

tione moritur in principio Maij anno 885. Cui subroga
Stephanus 6. Romanus filius Hadriani, & sedit sex ann
Marinum de cunctis accusationibus apud Basilium Imp
torem iustificauit, & cum Leone eius filio ac successore
cietatem conseruauit, eo quod Phocium in monasterio
clusit: plenus bonis operibus moritur in principio anni 8
Tunc XIV. fuit schisma in Ecclesia inter Formosum & S
gium Cardinalem Diaconum, sed præualuit Formosus,
septem annis integris sedit; sed in multis afflictionibus,
enim in Imperatorum occidentis concurrentia fauisset
nulpho, indignationem populi Romani incurrit, à quo m
vexatur modis, & moritur die 7. Decembris anno 896. H
mortuo voluerunt quidam substituere Bonifacium virū
uersum, & à dignitate Diaconi & Presbiteri bis degradat
sed non præualuerunt, vnde legitima & immediata suffic
electione Stephanus VII. Romanus filius Ioannis die 8.
nuarij anno 897. Quidam huic Pontifici attribuunt, q
Formoso prædecessori suo iam mortuo & de sepulchro
pontificali habitu eruto iusserit caput amputari, & corpu
flumen proiici; quod sacrilegium viris piis displicuit, & D
infamatum voluit iustificare Formosum, dum eius cor
ad sepulturam relato cuiusdam ecclesiæ imagines inclina
Hic Stephanus in pœnam prædicti sacrilegij dicitur f
carceri mācipatus, ibique strangulatus. Cui statim anno
sufficitur Romanus ex Galesio filius Constantini fratris
rini papæ, qui cuncta sui prædecessoris decreta annull
& post quatuor menses & viginti tres dies moritur.

Sub prædictis Pontificibus multa sunt celebrata Conc
Anno 809. celebrantur Aquisgrani, Moguntinum, Rhem
se, Turonense & Cabilonense: Anno 813. Arelatense. A
817. aliud Aquisgrani. Anno 826. sub Eugenio II. Concil
Romanum. Anno 828. celebrantur quatuor Concilia ab I
peratore Ludouico procurata, scilicet Moguntinum, Lug
nense, Tholosanum, & Parisiense. Anno 833. Conciliū C
pendij celebratum. Anno 836. Cōcilium Aquisgrani, & al
Lugduni. Anno 841. Concilium in Gallia post bellum ci
celebratu

celebratum. Anno 842. Concilium Constantinopolitanum pro sanctis imaginibus. Anno 845. Concilium Bellouacense, & Concilium Meldense. Anno 847. Concilium Moguntinū, & aliud ibidem anno sequenti: Item aliud ibidem anno 852. Anno 853. Concilium Suessionense, cui interfuit Rex Carolus, & aliud Romæ sub Leone IV. Anno 854. Concilium Constantinopolitanum à S. Ignacio Patriarcha celebratum. Anno 855. Concilium Valentinum in Gallia: & aliud Papiæ. Anno 856. Concilium in Belgico oppido Cressy. Anno 857. Concilium Moguntinum. Anno 859. Concilium Tullense. Anno 861. Concilium Lateranense sub Nicolao Pontifice. Anno 862. Concilium Romanum sub eodem Nicolao, vbi tribus sequentibus annis singula celebrantur Concilia. Anno 863. Concilium Suessionense. Anno 867. Concilium Trecēse. Anno 868. Concilium Vvormaciense. Anno 869. Octauum Generale Concilium Constantinopolitanum, quartum sub Hadriano II. aduersùs Iconoclastas, in quo S. Ignatius restituitur sedi Patriarchali, & Phocius deponitur. Anno 870. Concilium Coloniense. Anno 873. Concilium Romanū sub Ioanne VIII. Pontifice. Anno 875. Concilium Ponticum in Gallia. Anno 876. Concilium Papiense. Anno 877. Conciliū Compendiense. Anno 878. Concilium Trecense. Anno 888. Concilium Moguntinum. Ac tandem Concilium in oppido Tribus propè Moguntiam anno 895.

Non alios hoc sæculo Patriarchas habemus quàm Constantinopolitanos: Post Tarasium virum eximium anno 806. mortuum sequitur Nicephorus Imperatoris secretarius eodem anno creatus, vir nobilis & sanctus, qui moritur anno 828. postquam in exilio vixit annis 14. cui expulso substituitur Theodotus Melisseanus Iconoclasta, & moritur anno 835. Cui eodem anno successit Ioannes VII. Iconoclasta. Sed huic deposito anno 842. subrogatur S. Methodius, qui magno Ecclesiæ damno moritur anno 847. Ipsi successit S. Ignatius filius Michaëlis Imperatoris eodem anno electus; sed propter fidem Catholicam carceri mancipatus, deinde in exiliū missus anno 858. in cuius locum intruditur Phocius Laicus eu-

nuchus & hæreticus,quem Nicolaus Pontifex condemnaui & S. Ignacium restituit anno 863. Quo mortuo anno Chri sti 878. Phocius iterum sedem Constantinopolitanam inua dit;sed anno 886.à Leone VI. Imperatore depositus reclu tur in monasterio Armeniæ : Hic pessimus maximam cont Latinos auersionem in animis Græcorum suscitauit, ac præ sertim in eo quod asserentes Spiritum Sanctum tam à Pat quàm à Filio procedere,addidissent Symbolo hanc particu *Filioque*.Deposito Phocio substituit Imperator fratrem suu Stephanum,Imperatoris Basilij filium, qui cum magna san ctitatis opinione decessit anno 888. Eique successit S. Anto nius cognomento Cauleus,qui postquam multum pro Eccle sia laborauit, moritur anno 890. miraculis clarus. Sufficitu illi Nicolaus cognomento Mysticus, qui anno 901.depositu ab eodem imperatore recluditur in monasterio.

Fuerunt hoc sæculo plures viri tam sanctitate quàm do ctrina clarissimi:Præcipui sunt Angelomus monachus S.Be nedicti, Rabanus Abbas Fuldensis, Doctus Idiota, Hincma rus monachus S.Dionysij & Rhemensis Archiepiscopus, S. Eulogius martyr,Simeon Metaphrastes, Nicephorus Philo sophus,Anastasius Bibliothecarius. Sanctitate specialiter flo ruerunt S. Aurea Virgo & Martyr, S. Anscarius Bremensis Archiepiscopus, S. Ebba cum suis monialibus in Dacia pro seruanda castitate martyrio coronata, S. Eadmondus Rex Angliæ martyr : Innumeri penè fuerunt martyrio coronati Cordubæ & in aliis Hispaniæ ciuitatibus à Saracenis.

Quantùm ad res prophanas attinet. Nicephorus Imperij orientalis inuasor se Catholicum fingens Manichæis & Ico noclastis fauet,ac Ecclesiæ Catholicæ contrariatur:occiditur anno Christi 811. Imperij 9.Stauratius eius filius simul cum ipso grauiter læsus, tantùm duobus mensibus illi superstes imperat. Cui succedens eius cognatus Michaël dictus Curo palata professionem fidei ad Leonem III.Pontificem, & Le gatos ad Carolum Magnum occidentis Imperatorem mittit: Et anno Christi 813. Imperij 2.sponte se sceptro abdicat.Leo V.dictus Armenus ad imperium sublimatus Iconoclastas se quitur,

quitur & Catholicos persequitur : sed ipse anno Christi 820. Imperij 7. occiditur. Successor eius Michaël cognomento Balbus eadem infectus hæresi, inter alia scelera sacrilegium hoc commisit, quòd Euphrosynam monialem Constantini filiam in matrimonium duxit: moritur anno Christi 829. Imperij 9. Theophilus Michaëlis filius patri in imperio & hæresi successor hoc bonum opus operatus est, quod Euphrosynam suam nouercam monasterio restituit: precibus tandem Imperatricis piissimæ coniugis suæ pœnitentia Deo & Ecclesiæ reconciliatus obiit anno Christi 842. Imperij 13. Cui succedens filius Michaël III. simul cum matre Theodora imperat: hæc coacto Constantinopoli Concilio procurat Iconoclastas damnari: filius autem vitiis mancipatus, vt liberiùs viuat, matrem piissimam monasterio recludit anno Christi 855. vbi paulò pòst moritur; ipse autem ebrius occiditur anno Christi 867. Imperij 25. Eius interfector fuit Basilius Macedo, priùs ab ipso Michaële adoptatus, qui creatur Imperator, & moritur anno Christi 886. Imperij 9. Leo VI. filius Basilij secundò genitus, dictus Philosophus, qui iam ab anno 870. fuerat coronatus, verè Catholicus & pius fluxu ventris moritur anno Christi 911.

Vidimus sæculo præterito, qualiter Carolus Magnus Rex Gallorum fuerit Imperator Occidentis coronatus anno 800. ipsa die Natiuitatis Christi; & ita successores eius simul fuerunt Reges & Imperatores vsque ad annum Christi 888. Carolus Magnus Imperator creatus facta præterita maioribus illustrauit; dicitur in Terram Sanctam contra Saracenos cum potenti exercitu transiisse, ibique triumphasse; Contra Venetos bellum gessit: sed cum iam præ senectute defecisset, voluit filiorum auxilio subleuari; Vnde diuidens hæreditatem, Pepino concessit Italiam, Carolo Germaniam, Ludouico autem quasi primogenito Galliam cum Imperio dedit; sed hic fratribus breui morientibus totam collegit hæreditatem. Verùm adhuc viuente Carolo Saraceni in Hispania, Normanni & Dalmatæ in Septentrione bellum mo-

uent, quos ipſe quamuis decrepitus ſuperauit: moritur a-
no Chriſti 814. Ætatis 71.& Regni 47. numeratis quin-
cim annis Imperij. Succeſſit igitur illi filius Ludouicus c-
gnomento Pius, tam in regno Galliæ quàm in Occide-
Imperio, qui 26. annis imperauit coronatus à Stephano
ſummo Pontifice, vt dictum eſt: Duas habuit vxores,
licet Irmengardem filiam Ducis Andegauenſis, ex qua
ſuſcepit filios, Lotharium, Pepinum & Ludouicum;
Iuditham filiam Ducis Suëuiæ mulierem imperioſam &
rogantem, ex qua ſuſcepit Carolum cognomento Calu-
Cum potius pietate, quam animi vigore præſtaret, mul-
patitur perſecutiones, tam domeſticas quàm extraneas; S-
xones, Normanni, Dani & Britanni ab eius obedientia
ceſſerunt; nepos eius Bernardus ex Pepino fratre regnu-
inuadit,ſed captus carceri mancipatur,excæcatur, ac tand-
capite plectitur: Tunc Lotharium primogenitum creat It-
liæ Regem, & ſuum in Imperio Collegam; Pepino co-
ceſſit Aquitaniam, & Ludouico Bauariam: Verùm cu-
Iudithæ ſecundæ vxoris ſic poſtea beneplacito regeretu-
quòd nihil aliud vellet, quàm quod hæc mulier ei inſpi-
bat, volens ipſa filium ſuum Carolum priuignis antefer-
tantam Ludouicus trium filiorum indignationem, ac re-
totius odium incurrit, quòd prædicti filij contra ipſu-
conſpirant, & conuocato Lugduni Concilio Ludouicus i-
comparens deponitur authoritate Prælatorum, & ad Mo-
naſterium S. Medardi Suëſſionem relegatur, Iuditha ver-
cum filio Carolo amandatur aliò, & hæc pœna principal-
ter imponitur ob violentam mortem Epiſcopis Mediol-
nenſi & Aurelianenſi in cauſa Bernardi Regis quaſi fauto-
ribus illatam; ſic ſumma imperij penes tres Ludouici fili-
manſit; Poſt aliquod tempus pio Gallorum auxilio Ludo-
uicus à filiorum vexatione & captiuitate liberatur; ſed ite-
rum à Lothario captus in eodem monaſterio recluditur, à
quo tamen ſubditorum virtute ereptus throno reſtituitur;
Vnde rebelles filij ad patris miſericordiam recurrere cogun-
tur, quibus bonus pater ſuum diuiſit imperium; Lothario
quidem

quidem primogenito regnum Austrasiæ à Mosa fluuio vsq; in Hungariam sub titulo Imperatoris concessit, Pepino dedit Occitaniam, Ludouico Bauariam, & Carolo Galliam: Sed Lotharius hac diuisione non contentus, exercitu coacto contra patrem procedebat, cui cum obuiam armatus senex pergeret, moritur anno Christi 840. Ætatis 64. & Imperij 27. quem tradunt in infirmitate spatio quadraginta dierum nihil aliud quàm corpus Christi comedisse: Lotharius mortuo patre, dum contra fratres armata manu cum magna procedit arrogantia, ab ipsis simul vnitis debellatur; & quia vexatio dat intellectum, suam considerans impietatem aduersùs patrem, & malitiam aduersùs fratres, mundo renuntians fit monachus in Abbatia vulgò de Pluuiers, vbi moritur anno Christi 855. Huius Lotharij, à quo denominatur Lotharingia, imperium quindecim annorum spatio durauit. Cui successit Ludouicus II. eius frater vsque ad annum Christi 875. quo moritur vnicam relinquens filiam Hermingradem: Et sic Carolus II. iam rex Galliæ fratri in Imperio successit, cuius filiæ nepti suæ Bosoni Ardennarum Comiti nuptæ cum paternam hæreditatem in Italia volens eripere, Mantuam venisset, ibi ab Hebræo Medico perimitur veneno anno Christi 877. Cui tam in Galliæ regno quàm in Imperio successit filius Ludouicus III. cognomento Balbus ob impedimentum linguæ: sed tam Italiæ quàm Germaniæ Principes se à Gallica iurisdictione meditabantur subtrahere, quod inquietum Ludouici tenebat animum: Ioannes III. Pontifex maximus venit in Galliam, vt simul cum Rege de pacificanda Italia consuleret, quò thesauros Ecclesiæ detulit, & in ciuitate Trecensi corona imperiali ipsum coronauit: moriturus Ludouicus duos relinquit filios illegitimos, scilicet alium Ludouicum & Carolomanum, & vxorem grauidam; Vnde vsque ad eius partum Odonem Roberti filium regni regentem nominauit; sed mortuo rege Comitia Generalia prædictos Regis filios regẽtes declarant, saluo iure nasciturі posthumi hæredis: Moritur Ludouicus Compendij anno Christi 879. Prædictis

duobus regni Galliæ regentibus substituuntur alij duo principes sanguinis, Ludouicus scilicet cognomento desidiosus Carolomani filius aut consanguineus, & Carolus cognomento Crassus filius Ludouici Germanici & nepos Ludouici Pij, qui Rex Bauariæ & Imperator fuit Romæ Coronatus, & ab aliquibus Rex Galliæ nominatur: Saracenos ex Italia expulit, sed Normannos Galliam inuadentes retinere cogitur in Neustria Regni prouincia, nunc ab ipsis dicta Normannia: Quamuis Caroli regimen fuerit in principio faustum, in fine tamen sic fuit illis odiosum ac fatuum ob Zelotypiam erga coniugem Richardam Regis Scothiæ filiam, quam de adulterio suspicabatur, quòd & ab Imperio & à regimine Galliæ fuerit degradatus; Imperium confertur Gallis & Germanis consentientibus Arnulpho Carolomani filio illegitimo ac nepoti Ludouici Pij, & sic Imperium Occidentis fuit à Regno Galliæ diuisum anno 888. Regimen autem regni Galliæ committitur Odoni seu Othoni filio Roberti siue Ruperti Comitis Parisiensis; sed Carolus Rex cognomento simplex anno ætatis duodecimo coronatur & regnat, hic erat filius posthumus Ludouici III. cognomento Balbi Regis & Imperatoris; maiorem cum Normannis confœderationem iniit, tradita Radulpho eorum Duci in matrimonium Gilleta sorore sua, hac conditione quòd Paganismo relicto Christianus fieret: Cum Carolus ob simplicitatem regno foret ineptus, plurium Gallorum factione regimen absolutum regni traditur Roberto Andegauensium Duci prædicti Othonis fratri, qui tamen breui occiditur in conflictu à regio exercitu, filium reliquit Hugonem Magnum patrem Hugonis Capeti. Carolus ipse nimia simplicitate captus ab Heberto Veromanduorum Comite in carcere detinetur, & Suëssione degradatus mœrore confectus moritur post quinque annos captiuitatis, relicto filio Ludouico, quem mater Ogina filia Edoardi Regis Angliæ maturè recedens, ad fratrem Aldestan in Anglia tunc regnantem duxit, qui postea ad regnum assumptus Ludouicus vltra marinus nominatur.

Hoc

Hoc ſæculo fuerunt apud Saracenos & Arabes Caliphæ hoc ordine ſibi ſuccedentes poſt Mahomet, ſcilicet Abdalla, Abdalla II. Aaron, Mahomet, Abdalla III. & Mahomet: Tunc multæ erant inter Saracenos factiones, & omnia confuſione plena; Vnde vſque ad annum Chriſti milleſimum quadrageſimum ordinati non reperiuntur Saracenorum principes.

Apud Æthiopes poſt Malgeres hoc ordine ſibi Reges ſuccedunt, Sepharad, Agdai, Abraham, Asbaha, Asfa, Afra, Amſi, Aham, Arcada, Aladana, Alamada, Tabena, Caleb, Gabra-Maſchel, Conſtantinus, Bezæ-Agher, Asfa, Arma, Gianasfa, Gianaſcheda, Freſennai, Adafahaz, Aizar, Delnahadan, Madai & Sahata Regina.

Apud Scothos poſt Achaium regno ſuccedit Conua lus anno 819. Deinde Dongallus anno 824. Alpin anno 830. Kennetus II. anno 834. Donaldus V. anno 855. Conſtantinus II. anno 860. Ethus anno 870. Gregorius anno 872. Donaldus VI. anno 893. qui moritur anno 904.

Apud Hiſpanos poſt Alphonſum II. ſequuntur Ramirus, Ordonius, Alphonſus III. cognomento magnus, Ordonius II. Froila II. & Alphonſus IV.

Terminatum reliquimus ſæculo præcedenti regnum Longobardorum in Italia. Nouum hoc ſæculo regnum Anglorum inuenimus, ab aliis diuiſum: Cuius rex primus iuxta Genebrardum fuit Egbertus, deinde Eteluuolfus aut Adilulphus, Edelbaldus, Eldabertus, & Edelredus qui ab hoſtibus prouocatus noluit ad pugnam procedere donec ſacerdos cœptam abſolueret miſſam, in cuius pietatis præmium ipſos hoſtes etſi potentiores poſtea ſuperauit: Tandem fuit Alfredus, qui ſic horas diei diuidebat; vt octo ſcribendo legendo & orando, octo alias negotiis regni, & reliquas octo ſui corporis neceſſitatibus deſtinaret.

Hoc ſæculo vix vllum inuenimus ſcriptorem prophanum alicuius nominis: nec noui fuerunt hæretici, Photius tamen Patriarcha Conſtantinopolitanus, odij iam penè innati & ſchiſmatis Græcorum ab Eccleſia Romana author fuit.

Fuerunt

Fuerunt hoc sæculo plures euentus memorabiles : Anno 800. magni terræmotus in Italia montes & vrbes subuerterunt. Florentia ciuitas à Carolo Magno reparatur & ampliatur. Anno 808. accidit vna ecclypsis Solis & tres Lunæ. Anno 812. Locustæ ex Africa multitudine innumera venientes Italiam deuastant. Anno 823. in Saxonia per spatium vnius leucæ terra eleuatur in colliculos. Tulli Puella duodecim annorum sumpta Eucharistia per decem menses abstinuit pane, postea per tres annos ab omni cibo & potú abstinuit, quibus elapsis ad communem victum rediit. Anno 824. in Gallia grando cecidit miræ magnitudinis, quæ homines & animalia occidit, & inter grandinem pars glaciei decidit quindecim pedum longitudinis, sex latitudinis, & duorum crassitudinis. Anno 826. corpus S. Sebastiani Romæ transfertur in Galliam, & Suëssione collocatur : Eodem anno Harioldus Rex Daniæ conuertitur ad fidem cum coniuge & filiis multisque subditis : Et vsus Organorum incipit in Gallia. Anno 829. Saraceni ex Africa venientes in Italiam diripiunt Romam. Anno 834. ducenti monachi à Saracenis Martyrio afficiuntur in Hispania, quorum sanguine sudat pauimentum sepulturæ in die Martyrij. Anno 838. Ennicus Arista coronatur Rex primus Nauarræ. Anno 851. in Germania desæuiit fames maxima. Anno 857. Angli Galliam inuadentes omnia vastant & diripiunt. Anno 862. fuit terræmotus maximus fragore nimio è terra marique erumpente horridus. Ecclesia S. Sophiæ incenditur Constantinopoli, quod imminentis Græcorum schismatis ab Ecclesia Romana prognosticum fuit. Anno 865. Trebellius Rex Bulgarorum cum suo populo conuertitur ad fidem. Anno 869. per tres dies Brixiæ in Italia pluuia sanguinea decidit. Anno 874. visa fuit in Gallia maxima prægrandium locustarum copia, quæ campos vastauit, ventis ad oceanum delata & inde ad littus vndis reiecta suo fœtore aërem inficit; ex quo, sicut ex consequenti fame tertia pars hominum periit; sex habebant alarum ordines, sex quoque pedes, & duos dentes lapidibus duriores. Anno 882. nongenti monachi decollantur

collantur à Saracenis. Anno 896. Hundeus rex Normannorum baptizatur. Occasione Imperij Occidentis hoc sæculo à Gallis ad Germanos translati necessarium duxi aliquid de Principibus Germaniæ dicere. Germania regio vastissima in plures diuiditur ditiones, tum Ecclesiasticas, tum sæculares Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, Lanigrauiorum, ac Ciuitatum Imperialium. De omnibus sigillatim agere breuitati prætensæ compendij huius repugnaret: Vnde in solis Electoribus S. R. Imperij sæcularibus adducendis immorabimur.

Domus Comitum Palatinorum Rheni eadem est ac domus Ducum Bauariæ: Primus in hac domo Elector fuit Rodulfus filius Ludouici II. frater Ludouici IV. Imperatoris, patria pulsus moritur in Anglia anno Christi 1319. Successerunt ei in Comitatu & Electoratu Rupertus I. filius cognomento Rufus. Adolphus Ruperti frater dictus simplex, qui cessit Electoratum fratri Rodulfo & moritur 1327. Rupertus II. Adolphi filius Elector cognomento Rudis moritur 1398. Rupertus III. eius filius Elector fit Imperator & moritur 1410. Ludouicus cæcus filius Elector moritur 1436. Ludouicus filius cognomento Dulcis Elector moritur 1449. Philippus filius Elector moritur 1508. Rupertus filius & Ducis Bauariæ gener, cui successit in Electoratu Ludouicus frater & moritur 1544. Sequitur in Electoratu Federicus frater, qui moritur 1556. cum factus protector & discipulus Martini Lutheri subditos peruertisset. Otho Henricus Elector filius Ruperti moritur 1559. Federicus consanguineus fit Elector, & moritur 1576. Ludouicus filius Elector moritur 1584. Successit in Electoratu Federicus filius qui moritur 1610. Eius filius Federicus Elector ex rebellione factus Rex Bohemiæ pellitur à Ferdinando II. Imperatore, sed ipso exule mortuo tandem filius eius in Comitatum & Electoratum restituitur.

Domus Ducum Bauariæ nunc S. R. Imperij Electorum processit ab Othone Comite de Vvittelspach, quem anno Christi 1180. Federicus Imperator ad dominium Bauariæ

&

& Palatinatus euexit, moriens anno 1183. ſucceſſorem habuit Ludouicum filium, qui trucidatur 1231. Succedit Otho II. filius & moritur 1269. Ludouicus II. cognomento Seuerus filius ſuccedit, qui ſimul Elector Palatinus moritur 1294. Cui ſucceſſit alter Ludouicus filius frater Rodulphi Electoris Palatini, hic factus Imperator moritur 1347. Cui ſucceſſerunt Stephanus filius qui moritur 1390. Stephanus II. filius mortuus 1413. Ludouicus filius qui moritur 14[illegible] Henricus filius Federici, conſanguineus inuaſor Ducatus qui moritur 1450. Succeſſit Albertus conſanguineus filius Erneſti filij Ioannis & pronepos Stephani II. qui moritur 1460. Cui quatuor filij ſucceſſerunt, Ioannes mortuus 147[illegible] Sigiſmundus mortuus 1501. Albertus mortuus 1508. & Guillelmus mortuus 1550. Huic ſucceſſit Albertus filius qui moritur 1579. relinquens Guillelmum filium ſucceſſorem. Hic Maximiliano filio regimen relinquit & quietè viuit. Ad Maximilianum Electoratus Palatinati tranſlatus fuit, eiuſque filius nunc dominatur.

Domus Ducum & Electorum Saxoniæ, quæ nunc viget & ſucceſſit Anhaltinæ ac Luneburgenſi, ſuum agnoſcit fundatorem Federicum Lanſgrauium Turingiæ & Marchionem Miſniæ: Cui ſucceſſit Federicus filius 1428. qui moritur 1464. Succeſſorem reliquit Erneſtum filium. Huic ſucceſſit 1486. Federicus III. filius protector & fautor Martini Lutheri, qui moriens 1525. Ioannem fratrem habuit ſucceſſorem. Cui morienti 1532. ſucceſſit Ioannes Federicus filius. Cui propter rebellionem ſufficitur Mauricius conſanguineus à Carolo V. Imperatore tam in Ducatu quàm in Electoratu. Cui ſucceſſit Auguſtus frater 1553. Huic autem ſucceſſit filius Chriſtianus 1586. qui moriens 1592. ſucceſſorem habuit Chriſtianum II. Huic verò ſucceſſit 1611. frater Ioannes Georgius.

Domus Marchionum & Electorum Brandeburgi dicitur deſcendiſſe à Federico Comite de Zolleren ac nepote Rodulphi Imperatoris, qui moritur anno 1290. Filium habuit Federicum II. qui moritur 1330. Nurembergi Dominus.

Huius

Huius successor & filius Ioannes moritur 1357. relinquens Federicum III. filium, qui moritur 1394. Huic successit Federicus IV. qui anno 1417. in Concilio Constantiensi Elector & Marchio Brandeburgi instituitur à Sigismundo Imperatore, & moritur 1440. Moriens filium Federicum V. in hoc Marchionatu & Electoratu reliquit successorem; qui à Federico III. Imperatore creatur Dux Pomeraniæ, Stetin, Cassubiorum & Vvandalorum, ac Princeps Rugiæ, & moritur 1469. Frater eius Albertus dictus Achilles Germanicus succedit, & moritur 1486. Sequitur Ioannes III. filius. Cui anno 1499. morienti succedit Ioachim filius, & moritur 1535. Huic succedit Ioachim II. item filius, qui factus Lutheranus moritur 1571. Sequitur Ioannes-Georgius eius filius qui moritur 1598. successorem relinquens Ioachimum Federicum filium. Huic morienti anno 1608. succedit filius Ioannes-Sigismundus, & moritur 1619. quem sequitur Georgius Guillelmus filius.

DECIMVM CHRISTI SÆCVLVM.

SVmmo Pontifici Romano successit Theodorus II. patria Romanus filius Photij anno 901. die 10. Septembris, & die 30. eiusdem mensis post viginti dies Pontificatus moritur, cum priùs restituisset acta Formosi, & fautores eius plurimum dilexisset. Cui sufficitur Ioannes IX. monachus, patria Tiburtinus filius Rampoaldi, qui in XIV. schismate competitorem habuit Sergium filium Benedicti ex Comitibus Toscanellæ, qui tamen mittitur in exilium: Ioannes conuocata Rauennæ Synodo 74. Episcoporum, Formosum absoluit, scriptum processum combussit, & eius persecutores damnauit: moritur post tres annos & quindecim dies Pontificatus. Cui anno 905. post vnicum diem sedis vacantis successit Benedictus IV. Romanus filius Mommoli, vir omninò bonus, qui duobus annis sedit. Eligitur anno 907. Leo V. Ardeatinus: sed post 40. dies in XV. schismate Christo-

phorus præsbyter Cardinalis Pontificatum inuadens ipsum in carcere recludit, vbi mœrore confectus decessit; sed post septem menses prædictus Sergius auxilio Comitum Tosca-nellæ ipsum in monasterio recludit : Post hæc Sergius in-trusus ab anno 908. Pontificatum pacificè tenet, & vitam non solum impiam sed etiam lasciuam duxit; nam filium genuisse dicitur ex Marrozia Marchionis Guidonis vidua qui postea fuit Pontifex sub nomine Ioannis X. moritur anno 910. post tres annos Pontificatus. Deinde creatur Anastasus III. Romanus filius Luciani, qui multa Papiensi Ecclesiæ ad instantiam Berēgarij Imperatoris priuilegia con-cessit, eiusque tempore Cluniacensis Abbatia in territorio Matisconensi fundatur à Guillelmo Comite Aruerniæ & Duce Aquitaniæ : moritur post duos annos & duos menses Pontificatus. Cui successit anno 912. Landus patria Sabi-nus filius Trani, qui tantùm sedit duobus mensibus ac vi-ginti diebus, & moritur die 28. Decembris, & viginti sex diebus sedes vacauit. Tunc die 24. Ianuarij, anno 913. Ioan-nes Archiepiscopus Rauennæ filius Sergij III. & Marroziæ fretus auxilio Comitis Toscanellæ Pontificatum vsurpat, quem quindecim annis administrat, plus bello quàm pie-ti intentus : Inuaserunt Italiam Saraceni ex Africa venien-tes, quos Ioannes debellans ex Italia repulit : postea anno 928. captus ab ipso Guidone Hugonis Imperatoris fratre suffocatur in carcere. Cui subrogatur Leo VI. filius Christo-phori, qui licet bonus & pacificus, post sex menses & quin-decim dies carceri mancipatur, & ibi moritur. Ei sufficitur anno 929. Stephanus VIII. Romanus, qui sedit duobus an-nis, vno mense & quindecim diebus, moritur anno 93 Cui successit Ioannes IX. & sedit quinque annis, vnde mo-ritur anno 936. Quo successorem habuit Leonem VI Romanum virum optimum, qui moritur anno 939. Et e-gitur Stephanus IX. natione Germanus authoritate Otho-nis postea Imperatoris, qui moritur anno 943. Eique sub-stituitur Marinus II. siue Martinus Romanus, vir etiam optimus, & in Ecclesiis instaurandis ac ornandis pius: m

ritur anno 946. Hunc ſequitur Agapitus II. Romanus, qui ſedit nouem annis, ſeptem menſibus & decem diebus, & ita moritur anno 955. opinione ſanctitatis clarus. Poſt ipſum eligitur Ioannes XII. qui vocabatur priùs Octauianus princeps iuuenis, dicitur fuiſſe admodum diſſolutus ad omnia vitia; propter quod deponitur ab Imperatore, ſed reuocatus à populo, & in vitiis perſeuerans dicitur quadam nocte cum muliere peccans ſic à dæmone tortus, quod poſt octo dies deceſſerit. Depoſito Ioanni in Synodo Romana authoritate Imperatoris ſubſtituitur Leo VIII. vnde cœpit ſchiſma XVI. quod perſeuerauit ſub Benedicto V. quem poſt mortem Ioannis elegerunt Romani anno 963. Leonem Antipapam defendit Imperator: Vnde Benedictum relegauit exulem in Saxoniam, vbi mœrore conficitur; nec multò poſt moritur etiam Leo Antipapa anno 965. Quo iuxta Imperatoris beneplacitum eligitur Ioannes XIII. Romanus filius Ioannis, ſex annis, vndecim menſibus & aliquot diebus ſedit in variis Romanorum contradictionibus, quibus preſſus fugit Capuam, ſed ſuccurrentis Othonis Imperatoris auxilio reſtituitur, & moritur anno 972. Quem ſequitur Domnus aut Donus II. Romanus, qui tantùm ſedit tribus menſibus, & mortuus die 19. Decembris ſepelitur in Eccleſia S. Petri. Cui ſucceſſit Benedictus VI. Romanus filius Hildebrandi, qui tantùm ſedit vno anno cum tribus menſibus & aliquot diebus: Vnde anno 974. Bonifacius Franconius filius Ferrutij Diaconus Cardinalis, peſſimus & crudelis ipſum violenter captum in carcere recluſit & ſtrangulauit. Tunc cœpit ſchiſma XVII. inter ipſum Bonifacium qui Pontificatum inuaſit, & Benedictum VII. legitimè electum patria Romanum: hic nouem annis ſedit: Vnde creatus anno 975. moritur anno 984. Quo ei ſucceſſit Ioannes XIV. Epiſcopus Papienſis & Cancellarius Imperatoris: omnes, etiam Imperator, ad electionem Maioli Cluniacenſis conſpirabant, ſed ipſe conſentire noluit: Audiens Bonifacius Ioannis electionem ac Othonis mortem rediit Conſtantinopoli, quò fugerat, & armata manu Romam ingreſ-

ſus captum Ioannem in caſtro S. Angeli recludit, poſtea fame perimit, cuius corpus palam omnibus expoſuit, & ipſe rurſus Pontificatum inuadit anno Chriſti 985. die 20. Auguſti; ſed iuſto Dei iudicio condignam duplicis ſacrilegij pœnam luit, nam vix elapſis quatuor menſibus, ſuis etiam factus odioſus, morte ſubita perit, cuius corpus lanceis perforatum, & per vicos tractum relinquitur inſepultum in platea ad equum æneum Maric Aurelij Antonini Imperatoris, verùm die ſequenti ſepelitur à Clero. His ita geſtis eodem anno eligitur Pontifex Ioannes X V. Romanus filius Leonis, qui ſedit annis decem & aliquot menſibus in pace & pietate: Cum enim prædeceſſorum exemplo doctus ſimiles timeret ſeditiones recurrit ad Othonem Imperatorem, cuius authoritate ſubiectus manſit populus Romanus: moritur anno 996. & apud S. Petrum ſepelitur. Eique ſufficitur Ioannes X V I. qui vix elapſis quatuor menſibus moritur; propterea inter pontifices ab aliquibus non numeratur, fuit vir doctiſſimus: Alij hunc vocant Antipapam in XIX. ſchiſmate, cuius hiſtoriam ſic indicant dicentes, quòd Otho Imperator tempore Ioannis X V. veniens Romam ad comprimendam Creſcentij petulantiam, ipſum in caſtro S. Angeli obſidet; quem tamen capere non potuit: Tunc mortuo pontifice receſſurus Imperator procurauit eligi Brunonem ſuum nepotem, filium Othonis Ducis Saxoniæ & Iudithæ ex regio Gallorum ſanguine, qui Gregorij V. nomen aſſumpſit; Sed recedente Imperatore Creſcentius in eius odium expulit Gregorium, & prædictum Ioannem ſubſtituit: At rediens Imperator caſtrum S. Angeli vi cepit, Creſcentium ex eius muris præcipitat, & intruſum Ioannem perſequens ipſi manus & aures amputat, ac eruit oculos; ipſumque populus Romanus irridens ſuper aſinum ſedere fecerunt verſo ad caudam eius capite per vrbem cum miris opprobriis duxerunt, & inter alia dicentes; *Tale ſupplicium patitur, qui Romanum Papam de ſua ſede pellere nititur*: mortuo ſic Ioanne ſiue Papa, ſiue Antipapa, Gregorius Pacificè ſedet, & inter alia Germanis conceſſit ius eligendi Imperatorem,

torem, cuius nunc ſunt electores tres Eccleſiaſtici, & quatuor ſæculares; Eccleſiaſtici ſunt Archiepiſcopi, Moguntinus Archicancellarius ſacri Imperij per Germaniam, Colonienſis Archicancellarius per Italiam, & Treuirenſis Archicancellarius per Galliam & regnum Arelatenſe; ſæculares ſunt Principes, Rex Bohemiæ Pincerna ſacri Imperij, Comes Palatinus Rheni Dapifer, Dux Saxoniæ Comes-ſtabuli, & Marchio Brandeburgenſis Camerarius: Propter rebellionem Comitis Palatini, electoratus fuit ab eius domo ad Ducem Bauariæ tranſlatus; ſed in vltima pace Germaniæ reſtituitur ei electoratus cum toto Comitatu: moritur Gregorius in principio Februarij anno 999. Cui ſucceſſit Silueſter II. Gallus ex Occitania dictus ante Gerebertus, qui moritur anno 1003. ad ipſum ſæculo ſequenti redibimus

Plura ſunt hoc ſæculo celebrata Concilia. Romanum anno 904. ad decidendam Imperij controuerſiam inter Berengarium & Lambertum. Aliud Rauennæ eodem anno. Suëſſionenſe anno 909. Confluentię in Germaniæ anno 912. Tria Suëſſione, anno 921. 924. & 927. Rhemenſe anno 935. Vnum ad Fontē opertum propè Narbonam anno 940. Suëſſione anno 941. Viroduni anno 947. Treuirenſe anno 948. Meldēſe anno 962. Conſtantinopolitanum anno 963. Rauēnæ anno 967. Anglicanum anno 970. contra Clericorum incontinentiam. Aliud Vvintoniæ in eadem materia comprobatum miraculo loquentis imaginis anno 975. Sicut & aliud Calnæ ſimili approbatum miraculo anno 979. Romanum anno 983. ſub Benedicto VII. Et aliud ſub Ioanne XV. anno 989. Siluanectenſe anno 990. Romanum anno 993. Rhemenſe anno 995. Romanum ſub Gregorio V. pro inſtituenda formula eligendi Imperatores.

Vidimus Nicolaum cognomento Myſticum Patriarcham Conſtantinopolitanum anno 901. depoſitum, & in monaſterio recluſum. Illi ab eodem Imperatore Leone ſufficitur Euthymius monachus, qui poſtmodum ab Alexandro Imperatore pellitur anno 911. & in exilio moritur, cuius corpus Conſtantinopolim delatum honorificè recipitur anno 920. Pulſo

Euthymio

Euthymio reuocatur Nicolaus Mysticus, qui vsque ad annum 930. sedit. Hunc sequitur Stephanus II. & moritur anno 933. Cui mortuo substituitur Theophylactus Imperatoris filius anno ætatis 16. & Tryphon adhibetur administrator. Moritur Theophilactus anno 956. & successorem habet Polyeuctum monachum. Quem mortuũ sequitur Basilius Monachus anno 970. qui deponitur anno 975. & substituitur Antonius Studita qui sponte cessit Prælaturæ anno 981. Et sufficitur Nicolaus cognomento Chrysobergus. Cui mortuo anno 995. successit Sisinnius: Et hoc mortuo anno 999. subintrat Sergius de genere & factione Photij.

Multi fuerunt hoc sæculo tam doctrina quàm sanctitate conspicui, sed pauci scriptores, vt Luitprandus Papiensis historicus. Sanctitate specialiter floruerunt: S. Gerardus Comes Auriliacensis in Aruennia, S. Venceslaus Princeps Bohemiæ occisus à fratre Boleslao, S. Gerardus Abbas Namurcensis, S. Odo Cantuariensis Archiepiscopus, S. Bruno Coloniensis Archiepiscopus frater Othonis Imperatoris, S. Eduardus Angliæ rex occisus dolo nouercæ, S. Romualdus Camaldulensium fundator, S. Maiolus Abbas Cluniacensis qui summum Pontificatum vltro oblatum recipere noluit, & plures alij.

Quantùm attinet ad res prophanas: In Imperio Orientis mortuo Leone VI. succedunt Alexander II. eiusdem Leonis frater & Constantinus VII. ipsiusmet Leonis filius adhuc paruulus: ex quibus Alexander moritur anno Christi 912. Constantinus autem assumpto priùs in Collegam, reiecto postea Romano Patricio, vel morbo vel veneno moritur anno Christi 960. Imperij 49. Romanus verò iam coronato Basilio filio moritur anno Christi 963. Imperij 3. Tunc Nicephorus Phocas ab exercitu proclamatus Imperator regit Imperium vsque ad annum Christi 969. quo occiditur anno Imperij 6. Huic successit Ioannes Zemiscas electus Imperator, qui veneno perimitur anno Christi 974. Imperij 5. Tandem Basilius & Constantinus VIII. filij Romani simul imperarunt vsque ad annum Christi 1025. quo morte

morte repentina moritur Basilius: Constantinus autem moritur anno Christi 1028.

Sæculo præterito reliquimus in Occidentis imperio Arnulphum, qui Vuidonem seu Guidonem habuit Collegam aut Competitorem: quibus è vita sublatis anno Christi 899. post longam altercationem sufficitur Ludouicus IV. Berengario prælatus: sed hic anno 904. ab eodem Berengario tyranno priuatur oculis & Imperio. Ludouico IV. sufficitur Lambertus Guidonis Imperatoris filius, tyrannicè Berengario Imperante: Lambertus à Formoso Pontifice coronatus moritur anno Christi 910. Berengarius autem à Ioanne X. Coronatus suum protraxit Imperium vsque ad annum Christi 924. quo trucidatur à suis. Prædictis quidam authores substituunt in Imperio Conradum I. & Henricum I. & meritò hos sequitur Genebrardus, nam difficile videtur quòd à prædictorum morte Otho I. vsque ad vnum Christi 973. suum protraxerit Imperium. Igitur Otho I. cognomento Magnus Henrici prædicti ex Mathilda coniuge filius à Leone VII. declaratus Imperator & Augustus fuit erga Ecclesiam piissimus, & erga Pontificem obsequentissimus: Boleslaum Bohemiæ Regem debellauit, Hungaros Germaniam vastantes deleuit, & alia mira fecit, quibus nomen magni meruit: Cum iam senex esset, filium Othonem ex Alunda coniuge susceptum Imperij consortem fecit, & in Saxonia moritur anno 973. Tunc Otho II. qui simul cum patre sex annis imperauerat, Imperium suscipit solus: fuit patri tam pietate quàm animo similis; Nicephorum Græcorum Imperatorem Imperio pulsum restituit; cum quo fœdus iniit accepta coniuge Theophania eius sorore; In Germania Henricum Bauariæ Ducem Imperio rebellem subiugauit, Galliam quoque sub desidiosis Regibus diuisam ingressus plurimum vastauit: Deinde venit in Italiam, & moritur Romæ anno 983. relicto Othone III. filio successore, qui priùs Rex coronatur ab Archiepiscopis Moguntino & Rauennate dicto anno: deinde Imperator anno 996. à Gregorio V. Summo Pontifice, qui patrem & auum imitatus in pietate

& animi virtute moritur anno Christi 1002. tunc Occidentis Imperium duodecim annis vacauit vsque ad annum Christi 1014. quo sanctus Henricus eligitur, de quo sequenti sæculo dicemus.

Apud Gallos Carolo simplici mortuo,& recedente in Angliam Ludouico filio, Rodulphus in regnum intrusus Suessione coronatur anno 923. Fuit vir generosus, nam & Normannos & Aquitanos rebellantes coërcuit, Berengarium tyrannice imperantem ex Italia repulit, ac Bertham Ducis Sueuiæ filiam duxit vxorem: moritur anno Christi 936. Tunc ex Anglia vocatur à Principibus Gallis Ludouicus cognomento vltramarinus Caroli simplicis filius, & reuerenter ab omnibus excipitur,præsertim ab Hugone Magno Roberti Andegauensium Ducis filio Palatij Magistro: Ludouicus regnum adeptus Herbergam Othonis I. Imperatoris filiam primogenitam duxit vxorem, Hugo Magnus eius sororem secundo genitam eiusdem Othonis nomine Auoyam accepit coniugem,factus Regi cognatus: Ludouicus ex hoc matrimonio duos suscepit filios, Lotharium & Carolum, quorum primus in regno patri successit,secundus autem fuit Dux Lotharingiæ: Hugo autem tres habuit filios,Hugonem scilicet Capetum, quem breui Regem Galliæ videbimus; ac Othonem & Henricum, qui successiuè fuerunt Duces Burgundiæ: Ludouicus voluit Richardum Normanniæ Ducem, captiuum retinere,vt illam prouinciam regno restitueret, sed non potuit: Hebertum Veromanduorum Comitem suspendio necauit propè Laudunum, eo quod ipse Carolum simplicem suum patrem in miseriis & ignominioso carcere mori fecisset: Rex autem Ludouicus moritur anno Christi 954. Regni 19. successorem relinquens Lotharium filium adhuc iuuenem, qui eodem anno ab Artaldo Rhemensi Archiepiscopo consecratur: bellum contra Richardum Normanniæ Ducem, sed infœliciter renouauit; deinde bellum contra Othonem II. Imperatorem mouit, vt Austrasiam recuperaret,associans sibi Reinerium & Lambertum filios Comitis Hannoniæ; & cum fratrem suum Carolum despiceret, hic

fugiens

fugiens ad Imperatorem Lotharingiam obtinet, sed hac via Galliæ, regnum amisit, vt infra dicetur, ipsamque Lotharingiam Othone mortuo Lothario inuadenti fugiens reliquit: moritur Lotharius cunctis inuisus anno 986. Successit ei Ludouicus V. filius, qui vix vno regnauit anno: Rhemis consecratur, Blancham Ducis Aquitaniæ filiam & Hugonis Capeti neptem duxit vxorem, quæ breui ipsum quasi desidiosum contempsit, ac sine liberis susceptis relinquens in patriam rediit: Vnde moritur Ludouicus absque directo successore. Secundùm legem Salicam regnum Galliæ Carolo Duci Lotharingiæ tanquā proximiori Principi sanguinis debebatur, ipse namque frater erat Lotharij & patruus Ludouici; sed tamen quia maximum Gollorum odium incurrerat, quia ad Othonem II. Imperatorem Galliæ hostem recurrerat, eique obtenta Lotharingia iuramentum fidelitatis præstiterat, Nouioduni in Comitiis generalibus vt hostis Galliæ declaratur, ac proinde priuatus iure regnandi: Tunc vnanimi consensu Rex eligitur Hugo Capetus Magni Hugonis filius, Magister Palatij, Comes Parisiensis, Dux Gallorum, & eximiis dotibus patri simillimus, & omnibus amabilis, à quo tertia Regum Galliæ linea cœpit adhuc fœliciter perseuerans, qui Rhemis consecratur anno 987. mense Iulio, & post sex menses filium suum Robertum voluit coronari, vt successionem hæreditariam in eo firmaret: Carolus repulsam & iniuriam passus, ingentem ex Lotharingis, Burgundis, & Germanis comparat exercitū, & Galliam inuadens statim Rhemensem capit ciuitatem, partem Picardiæ, præsertim Suessionem & Laudunum occupat; & ad portas Parisiorum cum exercitu peruenit fauore Arnulphi Rhemensis Archiepiscopi filij illegitimi Regis Lotharij, ac proinde nepotis ipsius Caroli: Rex Hugo parat exercitum vt resistat, sed debellatur, & vix ipse fugiens Parisios euadit: Hac victoria tumēs Carolus quasi Rex pacificus Laudunum venit, vbi deliciis fruens inexpectatum videt Hugonem cum exercitu multò potentiore aduentantem; cuius minis territa ciuitate consilio Anselini Episcopi traditus cum vxore & filiis, in Hugonis potestatem deuenit, & in ciuitatē

Aurelianenſem tranſlatus carcere perpetuo punitur, vbi tandem moritur: Vnde iam ſecurus Hugo generalia Regni comitia conuocat, vbi conuenientibus cunctis proceribus optimum regimen inſtituit, rebellem Flandriæ Comitem ad obediendum coëgit: Coniugem habuit Adelaidem Edoardi Regis Angliæ filiam, tamque ſuauiter ac prudenter omnia diſpoſuit; quòd Gallicæ monarchiæ reſtaurator dicatur: poſt quatuor Regni annos Robertum filium Collegam aſſumpſit, tam bonum & obſequentem, vt communiter diceretur filius ſine mœrore, ſocius ſine æmulatione, & Rex ſine ambitione: Tandem Hugo moritur anno 998. & in Eccleſia S. Dionyſij ſepelitur. Tunc ſolus regnat Robertus, qui Conſtantiam Comitis Arelatenſis filiam duxit vxorem, ex qua tres ſuſcepit filios, Hugonem, Robertum & Henricum: Vt magis in ſua progenie ſucceſſionem Monarchiæ firmaret, in Comitiis regni generalibus Compendij celebratis anno 1028. Hugonem primogenitum Coronat; ſed illo breui mortuo, natu minimum Henricum Roberto ſecundò-genito præferens ob eximias dotes, coronatum declarat ſucceſſorem, Roberto ipſi Burgundiam relinquens, quam ex Henrici patrui hæreditate tunc morientis collegit: Fuit Robertus Rex eximius, pius & in Theologia doctiſſimus, multoſque compoſuit hymnos, vt illum qui incipit, ô Conſtantia Martyrum mirabilis: Et moritur anno Chriſti 1033. Meloduni, & ſepultus cum vxore iacet apud S. Dionyſium.

Ob dictam ſæculo præcedenti Saracenorum confuſionem, non inuenimus in illis hoc ſæculo determinatos Caliphas: ſæculo ſequenti redibimus ad illos.

Apud Æthiopes hoc ordine ſe Reges conſequuntur, Ambaſandin, Ghemoasfaræ, Girgas, Degna-Michaël, Bedegaz, Arma-Cullandin, Sbinahanni, Tredda-Gabez Regina, & filius ipſius.

Apud Scothos Donaldo V I. ſucceſſit Conſtantinus III. anno Chriſti 904. Deinde ſuccedunt Malcolnius anno 943. Indulphus anno 959. Duffus anno 968. Culenus anno 972.

Kennetus

Kennetus III. anno 978. & Constantinus IV. anno millesimo, qui post duos annos occiditur.

Apud Hispanos post Alphonsum IV. sequuntur Reges, Ramirus II. Ordonius III. Ordonius IV. Sanctius cognomento Crassus, Ramirus III. Verecundus I. & Alphonsus V.

Apud Anglos post Alfredum hoc sæculo sequentes numerantur Reges, Adolstam (quem alij vocant Aldestan filium Edoardi Regis, fortè Alfredus etiam Edoardus vocabatur.) Deinde sequuntur Edmondus, Edoardus I. Elfredus, Eduinus, Edgarus, S. Edoardus II. & Ethelbredus.

Iam à multo tempore Principes erant apud Polonos, sed valde confusa sunt eorum gesta: Reperimus mortuum anno Christi 964. Zemouilum, cui successit Mieslaus filius, & anno sequenti cum tota natione fidem Christi suscepit. Huic mortuo successit Boleslaus cognomento Crobius Imperij Romani amicus, qui primus Rex Poloniæ nominatur, & anno 1001. tam à Pontifice Siluestro II. quàm ab Othone III. Imperatore liberatur ab omni Iurisdictione Imperiali.

Pauci citantur hoc sæculo scriptores prophani: præcipui sunt Arabes Alphalabius Philosophus & Astrologus, Albumasar Astrologus, Alfragan item Astrologus, Baldadin Mathematicus, Ben-musa etiam Mathematicus.

Nullus hoc sæculo fuit hæresiarcha: reperiuntur tamen in Italia noui quidam Anthropomorphitæ, & Philipopoli quidam Manichæi.

Multa successerunt hoc sæculo mirabilia: Anno 903. Pannoni vulgò Hungari suis è finibus effusi Germaniam, Galliam & Italiam inundant: qui anno 906. & 907. Græcos & Bulgaros inuadentes sibi faciunt tributarios; contra quos anno 910. Galli cum exercitu procedunt, & Henricus Rex Germaniæ anno 922. postea debellauit. Anno 935. Genuæ fluxit abundans fons sanguinis, qui Saracenorum ex Africa prænuntiabat aduentum; hi capta & direpta ciuitate ciues omnes trucidarunt, exceptis mulieribus & paruulis. Anno 937. Sereno cœlo Sol obscuratur, & sanguineos vibrat radios.

dios. Eodem anno vir mancus amputatam manum finistram post annum miraculosè recuperat dormiens, relicta quasi sanguinis linea in loco coniunctionis ad perpetuam miraculi memoriam. Simile miraculum ab hinc viginti annis Cæsaraugustæ in Hispania contigit beneficio Nostræ Dominæ de Columna, in homine cui tibia fuerat à curru contrita & postmodum abcissa, quam post quindecim annos miraculosè recepit, vt ibidem didici. Anno 940. per aliquot dies Sol apparuit sanguineus, & inde confestim consequuti sunt plures morbi & mortes: Et anno 945. Parisiis igniti vlceribus consumuntur multi, & aliqui emissis votis liberantur. Anno 946. in Gallia fames maxima viguit. Anno 951. Amalaphus tyrannus dum in Anglia concremat Ecclesias, morte repentina punitur. Anno 954. corpus S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ ab ipso reuelatum transfertur Salernum. Eodem anno in Italia tempore tempestatis horribilis cecidit lapis miræ magnitudinis è cœlo. Anno 967. ordo Camaldulensium à S. Romualdo fundatur & post sex annos ab Alexandro II. confirmatur. Anno 967. duo soles in Italia spatio duorum dierum apparuerunt, & aqua maris inter Neapolim & Cumam dulcis fuit. Anno 971. Ciuitas Leodiensis cingitur muris. Anno 975. imago Crucifixi coram patribus Concilij. Vvintoniensis in Anglia loquitur. Anno 998. commemoratio solemnis Defunctorū instituitur à sancto Odilone Abbate Cluniacensi pro suis monachis post festum omnium sanctorum, quæ postmodum ab vniuersali Ecclesia fuit recepta. Anno 1000. fuit magnus terræmotus & alia successere prodigia. Hoc sæculo fundatus traditur Montisferrati Marchionatus. Cuius primus Marchio fuit Alaramas Ducis Saxoniæ filius Othonis II. Imperatoris gener, qui Alesiam eius filiam volentem ac impellentem rapuerat & duxerat vxorem; sed impetrata venia portionem illam Italiæ inter Padum & Tanarum fluuios ac Alpes obtinuit: Cui successit Guillelmus filius, qui Helenam Ducis Glocesti fratris Richardi Regis Anglorum filiam duxit vxorem; ex qua genuit Bonifacium, qui Mariam Philippi

Francorum

Francorum Regis filiam accepit coniugem ; ex quibus natus est Guillelmus, qui Iuliæ Sorori Imperatoris Conradi nupsit, & cum ipso Conrado socero & Philippo auo ad recuperationem terræ sanctæ processit: Hic tres genuit filios, Guillelmum cognomento longaspata, Reynerium, & Bonifacium cum Iordana filia Constantinopolitano Imperatori nupta: Guillelmus primogenitus nupsit Sybillæ Emerici seu Almerici Regis Ierosolymitani filiæ ac Balduini IV. sorori ac totius regni hæredi, propterea regnum aliquamdiu rexit, ex qua susceperat filium nominé Balduinum, qui puer adhuc moritur non multò post patrem, & Sybilla Guidoni de Lusignano Comiti Ioppensi nupsit, quæ prædictum Balduinum ex Guillelmo filium octauo regni mense creditur peremisse, vt ipsa cum nouo marito regnum capesceret. Pereunte in hoc rege Balduino familia Guillelmi Marchionis Montisferrati, successit Reynerius secundò-genitus, fratri quidem in administratione regni Ierosolymitani superstite adhuc Balduino paruulo, ipsique Balduino in Marchionatu, cui Constantinopolitanus Imperator Emanuël filiam nomine Curamariam dedit vxorem, & Thessaliç regnum dotis nomine concessit: sed sine liberis non multò post strenuè pugnans contra Saracenos moritur ; & Marchionatus ad Bonifacium fratrem tertio-genitum deuenit, qui statim vt nepoti Balduino Regi opem ferret, cum ingenti classe venit Ierosolymam, vbi mortuum ipsum inuenit, & adhærens Guidoni bellum sacrum prosequitur, sed captus Damascum perducitur: Conradus eius filius patris captiuitatem audiens comparata Classe in Syriam tendit, sed vi tempestatis actus Constantinopolim appellit, vbi obsessum Imperatorem liberat, deinde suam prosequutus nauigationem versùs terram sanctam, quàm à Saracenis penitus occupatam inuenit, præter Doram vrbem quam ipse Soldanus terra marique obsidebat : Tunc Conradus mira virtute hostilem aggreditur exercitum, quem delet, ac sic Bonifacium patrem cum Guidone redimit, & in præmium tam generosi animi meruit habere coniugem Elisabetham

Sybillæ

Sybillæ Reginæ ſuæ cognatæ ſororem, ex qua vnicam ſuſcepit filiam, & poſt mira in bello geſta moritur in Terra Sancta. Bonifacius pater filio ſuperſtes bellum mouet aduerſùs Imperatorem Conſtantinopolitanum, qui regnum Theſſaliæ fratri Reynerio conceſſum retinebat, quod ei ademit vbi Rex conſtitutus Margaritam Regis Hungariæ filiam duxit vxorem, ex qua tamen nullam prolem ſuſcepit. Huic ſucceſſit nepos eiuſdem nominis Bonifacius II. ex Guillelmo filio ſuo ac fratre Conradi, qui Conſtantiam Comitis tunc, nunc Ducis Sabaudiæ filiam in matrimonium duxit, ex qua procreauit filium, ac nominauit Bonifacium, qui ſuæ ditioni Vercellas & Eporediam vrbes multaque Pedemontij oppida ſubiecit, & Beatricem Regis Hiſpaniæ filiam promeruit coniugem, ex qua ſuſcepit filium nomine Ioannem, & tres filias, quarum prima Conſtantinopolitano Imperatori Andronico, ſecunda Alphonſo Caſtellæ Regis filio, & tertia illuſtri Domino Vrſo Vrſino Principi Romano nupſit: Ioannes earum frater ducta Sabaudienſi Margarita nullam habuit progeniem, & ita deficiente Maſculina linea Marchionatus deuenit ad Theodorum Imperatoris Andronici primogenitum iure hæreditatis maternæ, qui veniens in Italiam Aſtenſem ciuitatem adiecit ſuæ ditioni, & vxorem ducens Ioannem filium & Violantem filiam genuit: Ioannes Eliſabetham nobilem Maioricæ prouinciæ fœminam ducens vxorem duos genuit filios, Guillelmum ſcilicet & Theodorum; Guillelmus in bello Neapolitano viuente patre occiditur, cui propterea ſucceſſit Theodorus adhuc puer: Hic duas habuit vxores; prima fuit filia Beati Galliarum Duci ex qua ſuſcepit Ioannem-Iacobum filium, ac Sophiam filiam Imperatori Conſtantinopolitano ex eadem Paleologorum familia poſtmodum nuptam; ſecunda fuit filia Principis Pedemontani, quæ ſterilis manens poſt mortem mariti in ædificato à ſe Albæ monaſterio fit monialis, vbi ſanctiſſimè viuit & moritur. Ioannes-Iacobus vir eximius patri ſuccedens à Sigiſmundo Imperatore ſacri Imperii Vicarius Generalis in Italia creatur, Ioannis Amedæi primi Sabaudiæ Du-

cis

cis ſororem duxit in vxorem, ex qua quatuor filios & duas filias genuit; Videlicet Ioannem, Guillelmum, Bonifacium ac Theodorum; Primam filiarum Regi Cypri, ſecundam verò Saluciarum Marchioni dedit vxorem. Ioannes primogenitus patri ſuccedens Margaritam Aloyſij Sabaudiæ Ducis filiam duxit vxorem, & moriens ſine prole Guillelmum fratrem ſucceſſorem reliquit; qui Caſale S. Euaſi in curiam eligens in Epiſcopalem erexit ciuitatem ſub Sixto IV. Duas duxit vxores, ex quibus nullam prolem maſculinam ſuſcipiens, anno Domini 1483. moritur, ſucceſſorem relinquens Bonifacium tertium fratrem iam ſenem, qui filiam Georgij Albani cognomento Scanderbeq ſeu Alexandri Magni duxit vxorem, ex qua duos genuit filios, quorum primogenitus Guillelmus patri ſucceſſit adhuc iuuenis ſub tutela matris anno 1492. Deinde hic Marchionatus ad poteſtatem Ducum Mantuæ illuſtris familiæ Gonſagæ deuenit; cuius tamen pars Duci Sabaudiæ nuper conceſſa fuit ad componendas prætenſiones.

VNDECIMVM CHRISTI SÆCVLVM.

Sedentem in Apoſtolica ſede Silueſtrum II. reliquimus, dictum priùs Gerebertum ex Aquitania ſeu Occitania oriundum, qui fuit ante monachus S. Geraldi Auriliacenſis, & ob eximiam doctrinam electus Archiepiſcopus Rhemenſis, deinde Rauennas, denique Romanus Pontifex: Quidam ad primam Bennonis Impoſtoris relationem aſſerunt ipſum magicis artibus ad pontificatum perueniſſe; ſed immeritò, nam authores illius temporis ipſum vt virum inclytum nominant, & ea quæ à dictis ſubiunguntur, aniles ſtatim apparent fabulæ: moritur die 12. Maij anno 1003. Cui ſucceſſit Ioannes XVII. cognomento Siccus, qui poſt quinque menſes & aliquot dies moritur, vltima ſcilicet Octobris. Sequitur Ioannes XVIII. cognomento Faſanus Romanus, qui dicitur Græcos ſchiſmaticos ad Eccleſiæ vnitatem reduxiſſe,

moritur

moritur anno Christi 1009. Huic mortuo subrogatur Pe-
trus Episcopus Albanus sub nomine Sergij III. die vltim
Augusti; fuit Romanus filius Martini, optimis moribu
præditus, vrbanus, prudentissimus, & misericors in paupe-
res: sedit annos duos, menses octo, & dies tredecim, mo-
tur anno Christi 1012. Cui sufficitur Benedictus VII
in XIX. schismate, quo æmulum habuit Gregorium An-
papam: Fuit Romanus frater Alberici Comitis Toscanell
& duodecim annis & ampliùs sedit: statim post electionem
à prædicto Gregorio Roma pulsus confugit ad Henricum
Germaniæ Regem, postmodum Imperatorem, à quo pe-
humaniter exceptus sedi restituitur: in cuius beneficij re-
munerationem Henrico Romam venienti solemniter occu-
rit, & anno 1014. mense Februario in Basilicâ S. Petri co-
ronam Imperialem concessit cum globo aureo lapillis orna-
to mundum repræsentante: Cui solemnitati S. Chunegun-
dis Augusta eius vxor interfuit: Eius tempore Saraceni Ita-
liam appellentes Lunam vrbem captam diripuerunt, & vici-
nam regionem occuparunt; sed sollicitudine Pontificis a-
mati Christiani Saracenos debellāt & expellunt anno 101
capta & capite plexa eorum Regina: Similiter Græci an-
no 1018. in Italiam venientes Appuliam capiunt fauentibus
nonnullis Italis; sed à Pontifice ac Henrico Imperatore de-
bellantur: moritur Benedictus 26. Februarij anno 1024.
Successorem habuit Ioannem XIX. suum fratrem ac fi-
lium Gregorij Comitis Toscanellæ, qui viis illicitis ad Pon-
tificatum de statu laïco statim ascendisse dicitur; missis à
Imperatore Græcorum magnis muneribus concessit Patria-
chæ Constantinopolitano nomen Episcopi Vniuersalis in
Oriente, & moritur anno 1033. in principio mensis Nouem-
bris. Successit illi Benedictus IX. dictus Theophilactus, eius
nepos filius Alberici Comitis Toscanellæ in XX. schismate
cum Siluestro III. dicitur electus suorum potentia & diui-
tiis, cum decem aut duodecim ad summum esset annorum
sedit vsque ad annũ 1044. quo propter aliquas eius insolen-
tias à Romanis expellitur, eique substituitur Siluester III

in cuius odium Benedictus Romanis inuiſus Ioanni Archipresbytero Pontificatum vendidit, & in paternam domum receſſit victurus in aſſuetis voluptatibus cum maiori libertate; ſed non multò poſt Romam rediens iterum Pontificatum adminiſtrat in palatio Lateranenſi; aliorum autem vnus apud S. Petrum, alter apud S. Mariam Majorem reſidebat, in quo ſchiſmate multa ſucceſſerunt ſcandala. Prædicto igitur anno 1044. quidam præsbyter piiſſimus nomine Gratianus, vt Eccleſiæ ſchiſma ſedaret, ſingulos prædictorum adit, & oblatis pecuniæ ſummis ſuadet vt Pontificatui renuntient, quo fœliciter ſuccedente communi applauſu ipſe Pontifex nominatur ſub nomine Gregorij VI. velut Eccleſiæ liberator: hac occaſione eius æmuli, ſed immeritò, Simoniacum illum appellarunt: Fuit vir iuſtus, qui primùm amore tentauit ſuccurrere malis Eccleſiæ cauſatis tempore ſchiſmatis; ſed vbi amor non proficiebat, rigorem adhibuit, quod ei plurimorum odium conciliauit: Contra ipſum venit in Italiam Henricus III. Rex Germaniæ, & congregata Sutri Synodo voluit Pontificem deponere, qui timens inde paci Eccleſiæ, ſeipſum ſponte abdicauit pontificatu anno Chriſti 1046. quo eligitur Suidgerus Bambergenſis Epiſcopus ſub nomine Clementis II. qui ſtatim Concilium congregauit Romæ, vt Simoniam tunc vigentem aboleret: Cumque Benedictus IX. ſuorum potentia fretus pontificatum de nouo inuaderet, Germanus Pontifex fugiens rumores in patriam receſſit, vbi moritur die 8. Octobris anno 1047. retinente Benedicto per octo ferè menſes pontificatum. Anno 1048. Imperatoris Henrici authoritate Popo Brixienſis Epiſcopus natione Bauarus eligitur Pontifex ſub nomine Damaſi II. qui poſt viginti dies Pontificatus Preneſte moritur non ſine ſuſpicione veneni à Benedicto parati. Tunc eligitur Bruno Tullenſis Epiſcopus Imperatoris conſanguineus, ſub nomine Leonis IX. qui diu ſuæ reſtitit electioni: Romam penè coactus venit, vbi ſedatis tumultibus, & omnibus ritè diſpoſitis tam perfectam duxit vitam, quòd ſancti nomen & honores meruerit, & Chriſtum Do-

minum sub specie pauperis leprosi receperit: moritur die 19. Aprilis anno Christi 1054. postquam rexit Ecclesiam annis quinque, duobus mensibus & nouem diebus. Tunc sedes vacat vndecim mensibus & viginti quatuor diebus ob nouam Benedicti toties expulsi inuasionem, quibus elapsis eligitur ab Hildebrando ad hoc deputato Gebehardus, qui Victor II. dictus est, ipsius Imperatoris consanguineus, vir eximius: moritur interim Benedictus, & vt refertur post mortem in horribili figura apparens se damnatum dixit ob crimina & sacrilegia in Pontificatu commissa: Et Victor ipse post eximiam in officio vigilantiam moritur Florentiæ die 28. Iulij anno 1057. Cui successit Stephanus X. ex Lotharingia oriundus ante dictus Federicus ipsius Ducis Gozelon filius: moritur Florentiæ die 28. Aprilis anno 1058. Post eius mortem cœpit XXI. schisma Ecclesiæ, nam Gregorius Comes Galeriæ manu armata Ioannem Episcopum Velitrensem intrudit, & Benedictum nominat: sed breui tanquam intrusus deponitur, & eligitur Gerardus Episcopus Florentinus, & vocatur Nicolaus II. qui fuit natione Burgundus: Fuit vir eximius, & moritur Florentiæ sub finem mensis Iunij anno 1061. Vacat sedes ferè tribus mensibus, & oritur in Ecclesia XXII. schisma: nam electo in Pontificem Anselmo Lucensi Episcopo sub nomine Alexandri II. authoritate Imperatricis ac Regis eius filij intruditur Cadalus Parmensis Episcopus sub nomine Honorij II. in quo schismate non solum seditiones, sed etiam multæ neces successerunt: sed tandem potentia Godifredi Tusciæ Ducis expellitur Cadalus, & Alexander sedet pacificus, & sub opinione sanctitatis moritur Romæ die 19. Maij anno 1073. Mortuo Alexandro, non sine Diuina motione communi voce populi Hildebrandus declaratur Pontifex, Cui electioni dum ipse resistit, Hugonis Candidi Cardinalis authoritate compellitur assentire, & vocatur Gregorius VII. qui fuit patria Senensis aut Soanensis, & tantæ perfectionis quòd moritur Salerni clarus miraculis & opinione sanctitatis inclytus anno 1085. die 24. Maij: Eius tempore fuit in

in Ecclesia XXIII. schisma, Cum enim Gregorius Cincium Vrbis Gubernatorem de commissis antea sceleribus in fouendo schismate & in similibus insolentiis amore paterno priùs monuisset, & postea non resipiscentem excommunicationis sententia punisset, ipse factus insolentior Pontificem in nocte Natiuitatis Domini celebrantem ignominiosè extrahit ab Ecclesia, & in sua domo captum recludit, sed die sequenti liberatur Pontifex à populo: Et cum aliàs Henrici Regis prætensionibus opponeretur, multorum odium & inuidiam incurrit; Vnde intruditur æmulus Antipapa Guibertus Rauennas Archiepiscopus sub nomine Clementis III. qui mortuo Gregorio perseuerauit, quamuis electus fuisset Pontifex legitimus Desiderius Abbas montis Cassini factus Cardinalis, dictus Victor III. Et sic in Vrbe duo regnabant Pontifices: Inde discedens Victor in montem Cassinum moritur die 15. Septembris anno Christi 1087. Cui in continuatione schismatis, & ad eius instantiam successit Otho seu Odo Cardinalis Ostiensis electus Tarracinæ, & vocatur Vrbanus II. natione Gallus ex Diœcesi Rhemensi, monachus Cluniacensis, qui multa passus venit in Galliam, vbi Concilium Claramontanum conuocauit, ibique bellum sacrum pro Terra Sancta conclusit, ad instantiam nostri Petri Eremitæ, quod tam fœliciter successit, vt debellatis Saracenis fides & libertas Christiana ibi reuixerit: moritur Pontifex 28. Iulij anno 1099. Et successorem habuit Paschalem II. dictum antea Raynerium Hetruscum, filium Crescentij & Alsatiæ, qui fuerat monachus Cluniacensis & Abbas monasterij S. Laurentij extra muros: eius electio contigit die 12. Augusti eiusdem anni, & perseuerauit schisma, nam licèt breui mortuus fuerit Guibertus, Imperator tamen Henricus alios tres Antipapas substituit, scilicet Albertum, Theodorum, & Maginulfum sub nomine Siluestri III. Tempore Paschalis bellum sacrum continuatur in Palæstina, cumque sedisset 19. annis moritur anno Christi 1118.

Sub prædictis Pontificibus multa sunt celebrata Concilia. Anno 1012. Legione in Hispania. Anno 1017. Aurelianis

contra nouos Manichæos. Anno 1022. Salegunstadij propè Moguntiam. Aliud Moguntiæ anno sequenti. Anno 1029. Lemouicis. Anno 1032. Pompeiopoli. Anno 1034. plura celebrantur in Gallia pro pace stabilienda. Anno 1035. Triburi propè Moguntiam. Anno 1040. Venetiis. Anno 1044. Constantiæ. Anno 1046. Sutri. Anno 1047. Romæ contra Simoniacos. Aliud Romæ contra eosdem. Anno. 1049. celebrantur alia tria, nempe Papiæ, Rhemis & Moguntiæ. Anno 1050. Romæ contra Berengarium caput Sacramentariorum, Cui Leo IX. præfuit. Item Vercellis. Anno 1051. Romæ. Aliud Romæ anno 1053. Anno 1054. Moguntiæ. Anno 1055. Florentiæ, Lugduni, Augustoduni, & Turone vbi Berengarius hæresim abiurauit. Anno 1056. Coloniæ, Tholosæ & Compostellæ. Anno 1059. Sutri in Thuscia, & Lateranense sub Nicolao II. vbi Berengarius iterum abiurauit. Item Melphi & Parisiis. Anno 1063. Lateranense sub Alexandro II. Anno 1064. Mantuæ contra Cadalum Antipapam, Item Barcinone. Anno 1065. Romæ contra Incestuosos. Anno 1070. Duo in Anglia, & aliud ibidem anno 1072. Sicut & Lateranense sub Alexandro II. contra Simoniacos. Anno 1074. Romæ sub Gregorio VII. Ibidem aliud anno sequenti, & Londini. Anno 1076. Romæ ad decidendum Imperij dissidium inter Henricum III. & Rodulphum. Anno 1078. duo Romæ. Anno 1079. Romæ, vbi Berengarius iam Octuagenarius iterum abiurauit. Anno 1080. aliud Romæ, item Lugduni, Auenione, & Meldis. Anno 1081. Romæ, vbi celebratur aliud anno 1083. Anno 1085. Quintilineburgi. Anno 1087. Capuæ, & Beneuenti. Anno 1089. Romæ. Anno 1090. Tholosæ, & Melphi. Anno 1091. Beneuenti. Anno 1094. vnum Constantiæ, & aliud in Gallia. Anno 1095. Placentiæ contra Henricum III. Imperatorem & Guibertum Antipapam. Item aliud in Anglia. Anno 1096. Claromonti in Gallia, vbi præfuit Vrbanus II. qui Henricum III. cum eodem Antipapa excommunicauit, & bellum sacrum conclusit pro recuperanda Terra Sancta, vt dictum est. Item aliud Turone. Anno 1097. Bari in Apulia ad reunionem

Græcorum.

Græcorum. Anno 1098. Romæ, cui S. Anſelmus interfuit. Item aliud anno ſequenti: ſicut & Ieroſolymis, in quo nouus creatur Patriarcha illius ciuitatis. Anno 1100. Concilium Pictauienſe ſub Paſchali II.

Sæculo præterito intruſum reliquimus Sergium in ſede Patriarchali Conſtantinopolitana ſectatorē Photij. Cui mortuo ſucceſſit anno 1019. Euſtathius. Deinde anno 1025. Alexius. Anno 1043. Michaël cognomento Cerularius Latinorū inimiciſſimus: ſed huic in exilium miſſo ibique mortuo anno 1058. ſubſtituitur Conſtantinus Licadex. Poſtea ſucceſſit anno 1066. Ioannes cognomento Xiphilinus. Anno 1080. Coſmas Ieroſolymitanus. Anno 1086. Euſtathius cognomento Garides. Anno 1089. ſucceſſit Nicolaus cognomento Grammaticus, qui moritur anno 1117. Anno 1090. inuenimus Patriarcham Antiochenum quendam Ioannem, qui ſedit vſque ad annum 1097. quo capta fuit à Latinis Antiochia; Cuius ſucceſſores ſequenti ſæculo aſſignabimus: ſicut & nouos Patriarchas Ieroſolymitanos.

Fuerunt hoc ſæculo plures viri doctrina & pietate conſpicui præter aſſignatos in ſerie ſummorum Pontificum, vt S. Colomannus ex ſtirpe Regum Scothiæ Venerabilis Burchardus Archiepiſcopus & primus Comes Viennenſis, S. Odilo Abbas Cluniacenſis: S. Henricus I. Imperator cum S. Coniuge Chunegunda, de quibus dicetur poſtea, S. Dominicus Loricatus, S. Robertus Abbas, S. Petrus Damianus Cardinalis Oſtienſis, S. Bruno Carthuſianorum fundator, S. Ioannes Gualbertus Fundator Ordinis Vallis vmbroſæ, S. Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, & plures alij præſertim ex ordine S. Benedicti tūc doctrina & pietate celeberrimi.

Quantum attinet ad res prophanas: In Imperio Orientali Baſilio & Conſtantino ſucceſſit anno 1028. Romanus Argyrophilus, qui dolo Zoë coniugis adulteræ moritur laqueo ſuffocatus anno Chriſti 1034. Imperij 6. Cui ſucceſſit eius interfector Michaël IV. ex Paphlagonia ex aurifabro factus Imperator, qui in pœnam homicidij & adulterij poſſidetur à dæmone, & ſic vexatus moritur anno Chriſti 1041. Imperij 7.

Cui sufficitur Michaël V. dictus Calaphates, à Zoë Impera-trice adoptatus, & coronatus Imperator maximum ingrati animi signum edidit; nam Zoëm suam benefactricem in exi-lium actam monasterio recludit, quod factum sic populo displicuit, vt ipsum lapidibus appetierit & excæcarit, reuo-cando Zoëm ad Imperium, & sororem eius Theodoram mo-nialem. Tunc Constantinus IX. dictus Monomachus, ductâ in matrimonium Zoë coronatur Imperator, & moritur anno Christi 1054. Imperij 12. cui superstes Theodora Zoë soror imperat vsque ad annum Christi 1056. in quo moritur, ei-que successit Michaël VI. dictus Stratonicus, qui sequenti anno renuntiat imperio. Cuius successor Isaac Comnenus duobus post annis monachalem habitum purpuræ præferens relinquit Imperium anno Christi 1059. Quo Cōstantinus X. cognomento Ducas electus Imperator sufficitur, & moritur anno Christi 1067. Imperij 8. relictis tribus filiis sub tutela matris Eudoxiæ. Sed Romanus Diogenes ducens in matri-monium Eudoxiam declaratur Imperator, qui captus fuit à Turcis anno Christi 1071. Imperij 3. Eique substituitur Mi-chaël VII. vocatus Ducas, filius Constantini, qui post septem annos priuatur Imperio anno Christi 1078. cuius successor Nicephorus III. dictus Botoniates, etiam Imperio priuatur anno Christi 1080. & in monasterio recluditur. Cui subro-gatur Alexius I. Comnenus, & moritur anno Christi 1118.

In Imperio Occidentis reliquimus S. Henricum huius no-minis 1. successorem Othonis III. qui ab Electoribus prædictis assumptus ex Duce Bauariæ fuit anno Christi 1014. Veniens Romam coronatur à Benedicto VIII. Summo Pontifice, eiusque suasionibus procedit in Campaniam à Saracenis oc-cupatam, quos inde repulit, sicut & Bubagnanum Græcorum Ducem Saracenorum fautorem: perpetuam cum S. Chune-gonde coniuge seruat virginitatem: data in matrimonium sorore Gilla Stephano Hungariæ Regi, ipsum cum regno ad fidem Christi conuertit: Bambergensem fundat Episcopatum & moritur anno Christi 1024. sepultusque in ecclesia Ca-thedrali Bambergæ miraculis claruit. Post biennium inter-

regni ob multam concurrentiũ contentionem eligitur Conradus I. anno Christi 1027. natione Sueuus, qui Romã profectus à Ioanne XIX. summo Pontifice coronatur, rebellantes Longobardos compescuit,& alios Imperij hostes domuit, & morte repentina moritur anno Christi 1039. Tunc Imperium vacat vsque ad annum Christi 1046. quo Henricus II. Conradi filius patri tandem sufficitur, qui statim bellum aduersùs Oldericum Bohemiæ Regem mouet,ipsumque debellat faciens tributarium: mouens in Hungaros pulsum à Ladislao Salonem restituit throno: Romam venit, vt schisma Ecclesiæ componeret, regressusque in Germaniam moritur anno Christi 1056. Post eius mortem vacat Imperium 27. annis,& tandem anno Christi 1084. substituitur patri Henricus III. adhuc iuuenis,in bono leuis, in malo pertinax, qui Deum spernens & Ecclesiam persequens summos Pontifices vexat: Vnde licet Nicolao II. viuente, à quo fuerat coronatus cum Agnete coniuge, nihil tentauerit; ipsó tamen mortuo schismata penè continua suscitauit;propterea Gregorius VII. ipsum lata excommunicationis sententia tandem Imperio priuauit:sed postea pœnitens magnis precibus & humillima subiectione veniam & absolutionem obtinuit: Sed leuis in bono contra eundem Sanctum Pontificem coniurat, propterea ipsimet Germani illum repellentes Rodulphum Saxoniæ Ducem creant Imperatorem: quo factus amens Henricus suisque fauentibus Gregorium authoritate sua deponit, & Gebertum Antipapam creat: Contra ipsum exercitu cõparato mouet Rodulphus,& debellat,ipseque Henricus morte repentina moritur anno Christi 1106. & in eius morte præsens sæculum terminamus.

Vidimus qualiter Robertus Galliæ Rex Henricum filium iam coronatum regni successorem declarauit: Vnde mortuo Rege Roberto cœpit regnare anno Christi 1033. Henricus I. qui duxit vxorem Annam Galterij Dalmatæ Ruthenorum Regis filiam,ex qua duos suscepit filios,Philippum & Hugonem,& filiam postea Roberto Normannorum Duci nuptam: in principio fratrem Robertum patitur æmulum, qui matris

Constantiæ negotiatione, & auxilio Balduini Comitis Flandriæ, & Odonis Comitis Campaniæ ad regnum sibi tanquam maiori natu debitum aspirabat; sed Henricus subsidio cognati sui Roberti Normannorum Ducis fratrem compescuit, & ad Burgundiæ patrimonium compulit: Philippum suum primogenitum adhuc septemnem coronauit, & moriens anno Christi 1061. suum declarauit successorem sub tutela Balduini Comitis Flandriæ. Mortuo patri succedens Philippus I. cum decimum quintum ætatis annum attigisset, administrationem regni suscepit, sequenti anno Bertham prædicti Balduini Tutoris sui filiam duxit vxorem, ex qua duos suscepit filios; ipsam ad tempus deseruit, vt coniugi Fulconis Comitis Andegauensis adhæreret: rebellantes compescuit Occitanos: bellum sacrum contra Saracenos sub Vrbano II. valdè promouit, missis pluribus Galliæ principibus, & inter alios Hugone Magno fratre suo: aduersarium patitur Guillelmum Angliæ Regem, Xanctoniam & Pictauiam amisit: Filium suum Ludouicum Aurelianis coronauit, & moritur Meloduni anno Christi 1106. Sepelitur apud S. Benedictum ad Ligerim.

Anno Christi 1040. Saraceni siue Turkemani vel Turci Regem sibi constituunt, quem Sadoc seu Iustum nominant, qui Persidem & Syriam suo regno adiecit. Successorem reliquit Dogriz, qui Mesopotamiam & Ciliciam ab Imperatore Constantinopolitano recuperat. Huic successit filius Asplam, qui Solimanum nepotem misit in Capadociam, & totam penè Asiam minorem armis deuicit: Deinde propè Niceam Bithiniæ Godifredum Bullioneum exercitus Christiani Ducem anno Christi 1097. aggreditur, & tandem ciuitatem Ierusalem defendens ab eodem Godifredo superatur.

Apud Æthiopes hoc sæculo sequentes inueniuntur Reges, filius Tredda Gabez, qui ad multos peruenit annos, & eiusdem Reginæ nepos, cuius nomen ignoratur.

Apud Scothos Constantino IV. successit anno Christi 1002. Grimus. Anno 1010. Malcolmus II. Anno 1040. Duncanus. Anno 1046. Machabæus. Anno 1061. Malcolmus III. qui

qui ſanctam Margaritam duxit vxorem & ſolemniter coronauit Reginam. Donaldus VII. anno 1097. quem Duncanus expulit anno 1099.ſed hoc trucidato reſtitutus breui recluditur carcere, & moritur anno 1103.

Apud Hiſpanos AlphonſoV.ſucceſſit Verecundus II.Deinde Ferdinandus Magnus, Sanctius II.& Alphonſus VI.

Apud Anglos Ethelbredo ſucceſſit Edmondus : Deinde Canutus Rex etiam Daciæ, S.Edoardus III. Haraldus, Guillelmus cognomento Nothus,& Guillelmus cognomento Rufus.

Apud Polonos Boleſlao primo Regi ſucceſſit Miecillaus: Deinde Caſimirus monachus, Boleſlaus II. & Vvaladiſlaus I.

Poſſemus hoc ſæculo primum Hieroſolymorum Regem numerare : ſed aptiùs ſequenti ſæculo totam illorum ſeriem & ſucceſſus videbimus.

Rari ſunt ſcriptores prophani huius ſæculi : nominantur tamen aliqui Arabes & Hebræi.

Surrexit hoc ſæculo Berengarius Andegaui caput Sacramentariorum, quem poſtea ſequentibus ſæculis plures hæretici ſunt imitati ; ſuum tamen errorem bis abiurauit. Surrexerunt in Gallia quidam noui Manichæi ; fuerunt etiam Simoniaci, noui Nicolaitæ, & Roſcelinus Sabellianus.

Plures fuerunt hoc ſæculo memorabiles ſucceſſus.Et quidem in ipſo principio pulſi ſunt ex regno Siciliæ Saraceni per Guillelmum Ferrabach Principem Gallum, cuius progenitores fuerunt Duces Normandiæ, & ſucceſſores fuere Reges vtriuſque Siciliæ : Anno Chriſti 890. Rhotifredus creatur Dux Normandiæ : Cui ſucceſſit Robertus : huic Guillelmus filius : Deinde Richardus I. Guillelmi filius : Et Richardus II. ſimiliter Richardi I. filius : Cui ſufficitur Robertus Guiſcardus frater. Ex his procedens Tancredus, & veniens in Italiam cum filiis ſibi ſedem quæſiuit : Cuius filius prædictus Guillelmus Ferrabach pulſis Saracenis Apuliam ſibi ſuiſque retinuit : Cui ſucceſſit in Principatu Dragus filius, & huic Godifredus frater anno 1050. Iſti verò

Bagelardus filius. Cui ſubſtituitur patruus eius Robertus Guiſcardus anno 1059. qui primus nomen Regis aſſumpſit Illi ſucceſſere Boëmundus & Rogerius filij : Boëmundo Terram Sanctam profecto , & Antiochiæ creato Principe ſuccedit Guillelmus Rogerij filius anno 1126. qui magni nomen habet : Poſtea Rogerius Guillelmi conſobrinus e materna linea regnum inuadit : Sed Guillelmus II. Guillelmi Magni filius anno 1167. regnum recuperat, qui Conſtantiam filiam Monialem , & Tancredum ſpurium poſt ſe reliquit , qui regnum tyrannicè vſurpat anno 1189. ad cuius excluſionem Celeſtinus III. ſummus Pontifex Conſtantiam à voto caſtitatis religioſæ diſpenſauit , quæ Henrico Federici I. Imperatoris filio nupſit ; hic Tancredum iuſſit interfici cuius filium Guillelmum idem Henricus iam Imperator ſicut & Federicus II. eius ex dicta Conſtantia filius , item Imperator, debellauit. Anno 1005. apparuit versùs meridiem horribilis cometa. Anno 1007. fuit fames extrema in toto penè terrarum orbe & maxima hominum mortalitas. Anno 1011. in Lotharingia cuiuſdam fontis aqua conuertitur in ſanguinem. Anno 1016. alius Cometa adinſtar trabis formatus apparuit ſpatio quatuor menſium. Anno 1093. reperitur Edeſſæ Epiſtola Chriſti Domini ad Abagarum Regem ſcripta. Anno 1043. Gallia & Germania fame laborant. Anno 1062. maxima fames & peſtis per totum penè orbem ſæuit. Anno 1067. repertum eſt Romæ corpus gyganteum Pallantis filij Euandri à Turno occiſi , quod ſua proceritate muros Vrbis æquabat. Anno 1077. Dominica Romorum ſummo die & ſereno cœlo ſtella apparuit. Anno 1082. fuit magnus terræmotus prognoſticus diſſidij inter Henricum III. Imperatorem & Gregorium VII. ſummum Pontificem. Anno 1086. fuerunt maximæ pluuiæ & aquarum innundationes , præſertim in Italia , vbi montium ruinæ ſubiectas planities oppreſſerunt : Tunc etiam aues domeſticæ, vt Gallinæ Columbæ & pauones relictis domibus ad ſiluas fugerunt. Anno 1086. Ducatus Bohemiæ erigitur in regnum. Anno 1087. Reliquiæ S. Nicolai Myra transferuntur Barium in

Apulia. Anno 1094. Magna fuit hominum mortalitas in Gallia & Germania. Succeſſit etiam ignis ille ſacer quem vocant S. Antonij, qui multos conſumpſit, ad quorum ſubſidium inſtitutus eſt ordo S. Antonij. Anno 1096. cœpit bellum ſacrum contra Saracenos in Palæſtina, de quo iam ſupra dixi, & in hiſtoria noſtri ordinis amplius diſſerui. Anno 1098. fundatur ordo Ciſtercienſium à S. Roberto. Hoc ſæculo anno 1022. ſub Conrado I. Imperatore poſt extinctionem Regum Longobardiæ cœperunt Duces Mediolani. Primus ex Senatus populíque conſenſu eligitur Helyprandus Angleriæ Comes (Angleria autem eſt caſtrum in ripis Vrbani laci 40. milliaribus diſtans Mediolano) cuius pater Facius fuit filius Deſiderij Regis. Huic ſucceſſit filius nomine Othus anno 1055. Otho ſeu Othoni ſucceſſit Andreas eius filius anno 1110. Deinde Gualuagnus Andreæ filius anno 1155. qui omnes nomine Vicecomitum dicebantur. Quibus pulſis Ioannes Turrianus tyrannicè intruditur anno 1234. Cui frater Martinus Turrianus ſuccedit anno 1260. & Huic filius Philippus Turrianus anno 1262. Poſtea pulſis Turrianis ſubintrat Otho Vicecomes anno 1276. quem ſequuntur nepotes eius ex patre Theobaldo Matthæus & Ioannes anno 1289. Deinde Galeatius Matthæi filius anno 1308. Accius Galeatij filius anno 1328. Luchinus Accij patruus Matthæi filius anno 1341. Ioannes Luchini frater anno 1344. Bernabos & Galeatius Vicecomites anno 1356. Tandem Ioannes Galeatius Galeatij Mariæ filius primus Dux abſolutus anno 1382. Succedit eius filius Ioannes Maria anno 1400. qui trucidatur in Eccleſia à coniuratis. Sequitur frater Philippus Maria Angelus anno 1413. qui moriens ſucceſſorem reliquit Franciſcum Sfortiam generum ſuum ex vnica naturali filia Blancha Maria, in præiudicium Valentinæ Ioannis Galeatij primi Ducis filiæ ac filij eius Caroli Valeſij, anno 1447. Franciſco Sfortiæ ſuccedit Galeatius Maria eius ex Blancha filius anno 1466. Deinde Ioannes Maria Galeatij Mariæ filius anno 1477. quem tyrannicè ſequitur eius patruus Ludouicus Sforcia prædicti Franciſci Sfortiæ filius: Quem

Ludouicus

Ludouicus XII. Rex Galliæ Caroli Valesij filius perpetuo carceri mancipauit in Gallia. Ludouico Sfortiæ substituuntur filij, primò Maximilianus Sfortia, deinde Franciscus Sfortia, contra ius hæreditarium eiusdem Ludouici XII. Regis Galliæ ex auia Valentina Vicecomite, quæ nupserat Ludouico Valesio Duci Aurelianensi Caroli V. Regis Galliæ filio, ex quo concepit Carolum Valesium Ducem Aurelianensem Ludouici XII. patrem. Mortuis Maximiliano & Francisco Sfortiis Carolus V. Ducatum Mediolanensem obtinuit, quem eius successores Hispaniæ Reges possident, reclamantibus Galliæ Regibus.

DVODECIMVM CHRISTI SÆCVLVM.

MOrtuo Paschali summo Pontifici anno 1118. successit Gelasius II. in XXIV. schismate, qui fuit patria Caietanus Montis Cassini monachus filius Crescentij: sedit vno tantùm anno, & in magnis angustiis; nam Centius Frangipani fautor Henrici Imperatoris ipsa die electionis armatus Ecclesiam inuadens electum Pontificem pugnis calcibus & calcaribus cruentat, & in suam rapiens domum in carcere recludit; Verùm succurrente populo Romano ipsum restituit, & prostratus ad eius pedes veniam petiit: Post hæc adueniens Imperator, ipsum cogit per Tyberim Roma fugere Caietam, eique substituit Mauricium Burdinum Lemouicensem, Archiepiscopum Braccharensem sub nomine Gregorij VIII. Cumque Gelasius se tutum in Italia non crederet, suis dixit vt in Galliam fugerent quasi ad securum nauis S. Petri tempestatibus actæ portum, & certissimum Romanorum Pontificum asilum: Vnde prima die Septembris nauigans venit Pisas, deinde ad portum Magalonensem, vbi Regis Ludouici legatos inuenit: Cumque ad monasterium Cluniacense post aliquod tempus peruenisset, ibi pleuritide moritur. Anno 1119. statim in eodem Cluniacensi monasterio eligitur in Pontificem Guido Viennensis Archiepiscopus

chiepiſcopus frater Stephani Comitis Burgundiæ, patruus Adelaidis Reginæ Galliæ, & Germanus Henrici Imperatoris, qui ſub nomine Calliſti II. ſedit quinque annis, decem menſibus & tredecim diebus perſeuerante eodem ſchiſmate: Poſt aliquod tempus Concilium Rhemenſe celebrauit, in quod pluſquam quadringenti Prælati conuenerunt: Deinde proficiſcitur in Italiam, venit Valentiam, inde montem Peſſulunum, S. Ægydium, Galloprouinciam; & ſuperatis Alpibus deſcendit in Hetruriam, viſitans Lucam, Piſas, aliaſque ciuitates in quibus honorificentiſſimè recipitur: Hæc audiens Antipapa fugit Roma Sutrum, vbi cum hoſtiliter contra Pontificem & peregrinos ageret, Pontifex iam à Romanis aliiſque populis communiter exceptus manu armata ipſum aggreditur: quo territi Sutrenſes ligatum Antipapam militibus tradunt, qui maledictis ipſum onerant, & impoſitum Camelo capite ad caudam verſo ſanguinolentis caprarum pellibus contumelioſè veſtiunt, & exulem ad Campaniæ montes relegant: Anno 1122. Concilium Lateranenſe celebratur, in quo futuræ pacis cum Imperatore fundamenta iaciuntur, & ita pax breui concluditur: Anno 1124. Othonem Epiſcopum Bambergentem prædicandi cauſa Euangelij miſit in Pomeraniam, qui illam ad fidem conuertit: Tandem plenus bonis operibus moritur anno Chriſti 1124. die 19. Decembris, & ſepelitur in Eccleſia Lateranenſi. Poſt duos dies id eſt 21. Decembris, communi conſenſu eligitur Thibaldus præsbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ, & pontificalibus induitur ornamentis ſub nomine Celeſtini II. Verùm dum canitur *Te Deum,* ſuperuenit Robertus Frangipani, qui Lambertum Oſtienſem Epiſcopum ſalutat Pontificē ſub nomine Honorij II. quod nouum ſchiſma XXV. ſuſcitat; ſed breui terminatur, nam Celeſtinus ſtatim renuntiat, & Honorius pontificalia deponit ornamenta; in cuius humilitatis præmium omnes eum Pontificem maxima reuerentia ſalutant: ex communicauit Rogerium Siciliæ Comitem, eo quod Ducis Calabriæ nomen vſurparet, & Epiſcopos Siciliæ Romam venire non ſineret: Cum in morbum incidiſſet,

ſet,ex Lateranenſi palatio voluit in monaſterium S.Andreæ transferri, vbi moritur die 14. Februarij anno 1130. Eadem die eligitur Gregorius Cardinalis Diaconus S. Angeli, qui Innocentius II.nominatur, fuit patria Romanus filius Ioannis: ſed diuiſo conclaui pars Cardinalium Pontificem alium eligunt, ſcilicet Petrum Petri Leonis filium, Cardinalem præsbyterum S. Mariæ Tranſtiberinæ ſub nomine Anacleti II. in XXVI. ſchiſmate quod fuit peſſimum. Cum hic Antipapa verum Pontificem Innocentium vexaret, afflictus Pontifex conſcenſa triremi fugit in Galliam, vbi Regis authoritate ac S.Bernardi Clara-vallenſis Abbatis prudenti negotiatione ſuſcipitur, eique Rex Aurelianis occurrit, ſicut & Henricus Rex Angliæ, & Guillelmus Dux Aquitaniæ, iam conuerſus à S.Bernardo: Cum in Belgium Pontifex veniſſet, Lotharius Germaniæ Rex obuiam ei venit cum Prælatis ac Principibus Germaniæ, & mutuam Eccleſiæ & imperij concordiam inierunt: Anno 1132. Pontifex facta pecuniarum collectione Galliam relinquens redit in Italiam, quem Lotharius cum turmis auxiliaribus comitatur,& ambo Romam perueniunt: Pontifex ad Eccleſiam Lateranenſem accedit, vbi Lotharium coronat Imperatorem; non tamen Pontifex manet pacificus Vrbis poſſeſſor, omnia quippe loca munita Antipapa Petrus Leonis occupabat: bellis Rogerij Siculi, & Romani populi ad antiquam libertatem aſpirantis aliquamdiu occupatur, & tandem moritur menſe Septembri anno Chriſti 1143. Ipſum præceſſerat Anacletus Antipapa moriens infœliciter anno 1138.Cuius in ſchiſmate ſucceſſor Victor IV. cunctis deficientibus ſuarum partium ſectatoribus, ad S.Bernardum accedens pontificalia deponit ornamenta, & ipſo introductore accedit ſupplex ad Innocentium, à quo veniam obtinuit, & pax Eccleſiæ redditur.Mortuo Innocentio die ſequenti ſubſtituitur Guido de Caſtello Tiphernas ſub nomine Celeſtini II. & conſecratur die 26.Septembris anni prædicti: ſed poſt quinque menſes & tredecim dies moritur. Cuius ſucceſſor Gerardus Bononienſis ſub nomine Lucij II. ex familia Caccianimica, vir

ſedi

ſedit vndecim menſibus & quatuordecim diebus, moritur in monaſterio S. Gregorij, & in Vaticano ſepelitur. Statim ei ſufficitur Bernardus Abbas S. Anaſtaſij ad tres fontes ſub nomine Eugenij III. patria Piſanus & diſcipulus S. Bernardi, qui ſtatim Roma diſcedere cogitur, vt populi furorem vitaret, qui antiquam appetens libertatem Senatum creauerat, cuius confirmationem à Pontifice renuente poſtulabat; ſed inita pace Romam reuerſus cum inſigni reuerentia ſuſcipitur: non tamen diu manſit, noua quippe ſuſcitata ſeditione recedit, & in Galliam tanquam ad certum aſilum properat, vbi Concilium Rhemenſe celebrauit, in quo Pſeudopropheram Britannum Eon nomine, qui ſe futurum iudicem viuorum & mortuorum nominabat, damnauit, & pertinacem igne puniuit: ac ſimul damnauit errores Gilberti Porretani contra Myſterium Trinitatis, quos ipſe abiurauit: Rediens in Italiam moritur Tybure in principio Iulij anno 1153. cum ſediſſet octo annis, quatuor menſibus & tredecim diebus. Cui ſucceſſit Anaſtaſius IV. Romanus filius Benedicti, Canonicus regularis, quem aliqui faciunt Abbatem ſancti Rufi propè Valentiam in Delphinatu: Vix anno vno & quatuor menſibus aliquotque diebus ſedit, & moritur die 2. Decembris anno 1154. Ipſum ſequitur ſequenti die electus Hadrianus IV. natione Anglus ex loco S. Albani, religioſus dicti monaſterij S. Rufi: Guillelmum Siciliæ Regem ditionem Eccleſiæ inuadentem excommunicauit: aduenientem Federicum Regem Romanorum excepit, & Imperatorem coronauit; ſed breui Federicus irritatur quibuſdam occurrentiis contra Pontificem, & tunc fruſtra pacem renouare tentans moritur Hadrianus Anagniæ die 1. Septembris anno Chriſti 1159. poſtquam ſedit quatuor annis, octo menſibus, & viginti quatuor diebus. Quo mortuo diuiſi electores ſchiſma XXVII. ſuſcitant: quamuis enim maior & ſanior pars Rolandum Senenſem filium Raynutij, ſanctæ ſedis Vicecancellarium, elegiſſent Pontificem ſub nomine Alexandri III. aliqui tamen pauci eligunt Octauianum præsbyterum Cardinalem S. Cæciliæ ſub nomine Victoris IV. Cui poſtea

perſeuerante

perſeuerante ſchiſmate ſubſtituitur Paſchalis III. Caliſtu
III. & Innocentius III. omnes Antipapæ : Cui ſchiſma
fauit Federicus Imperator ob antiquum odium aduerſu
Alexandrum, cum adhuc eſſet Cardinalis : Alexander igit
tam Federici quàm Octauiani Antipapæ fugiens perſecutio
nem , primò venit Anagniam vbi ad inſtantiam Regis An
gliæ S.Edoardum Catalogo ſanctorum adſcripſit, deinde re
ceſſit in Campaniam , ac tandem in Galliam refugium cer
tiſſimum oppreſſorum Pontificum : Vnde ad montem Cir
ceum in principio Ianuarij anno 1162. mare conſcendens
Genuam die S. Agnetis proſperè venit , deinde Magalonam
circa feſta Paſchalia ; tandem ad interiorem Galliam peru
nit , vbi Regis eximia beneuolentia ſuſcipitur , & contra
omnes aduerſarios protegitur : Verùm cum Romani ad
obedientiam Alexandri rediiſſent , ipſe de Regis conſenſu
facta pecuniarum collecta rediit in Italiam per viam mari
ob inſidias Federici , & primò Meſſanam appulit , & inde
Romam venit.Contra eum proceſſit Imperator , & mortuo
iam Octauiano conſtituit alium Antipapam ſub nomine
Paſchalis : In his perturbationibus ſchiſmatis & continu
perſecutionibus , ac in bonis operibus moritur Alexand
Romæ anno 1181.menſe Auguſto. Cui poſt duos dies ſuf
citur Lucius III. antea dictus Humbaldus de Accingu
Epiſcopus Oſtienſis patria Lucenſis,qui ſedit quatuor annis
duobus menſibus & aliquot diebus , qui pacem & concor
diam cum Imperatore firmatam religiosè conſeruauit ; pro
pterea in aliqua Romanorum ſeditione ab eodem protegi
tur : Cum Pontifex Concilium Veronæ conuocaſſet,ibi mo
ritur die 25. Nouembris anno 1185. Tunc creatur Vrba
nus III. dictus antea Lambertus Criuellus Archiepiſcopu
Mediolanenſis, qui tantùm ſedit vno anno, decem menſib
& viginti quinque diebus : Voluit Imperatorem excommu
nicationis ſententia plectere, quia terras Eccleſiæ retinebat
Cumque Claſſem Venetiis ad ſubſidium Terræ Sanctæ in
ſtrueret, dum illuc properat , audiens Captam tunc Ieruſa
lem , pre mœrore in morbum decidit Ferrariæ,vbi morit
d

die 17. Octobris anno 1187. Die ſequenti eligitur Gregorius VIII. dictus ante Albertus de Spinachio Beneuentanus: qui volens ad ſubſidium Terræ Sanctæ Claſſem accelerare, Apoſtolicas ſuas patentes per orbem Chriſtianum miſit,& perſonaliter volens Piſanos ac Genuenſes tunc mari potentiſſimos ad tam pium opus animare, vbi peruenit Piſas in morbum incidit, quo dolore Chriſtianorum omniũ moritur poſt vnum menſem & viginti ſeptem dies Pontificatus. Poſt eius mortem vacauit Apoſtolica ſedes viginti diebus, quibus elapſis eligitur Paulus cognomento Scholaris Romanus patria & Epiſcopus Præneſtinus, & vocatur Clemens III. eius electio contigit menſe Ianuario anno 1188. & ſedit tribus annis, duobus menſibus & viginti diebus: Hic prædeceſſorum zelo motus omnes penè Chriſtianos principes ſic ad bellum ſacrum pro recuperanda Ieruſalem excitauit,quòd Imperator Federicus illuc acceſſerit cum exercitu centum quinquaginta millium militum, ſicut & Philippus II. Rex Galliæ, & Richardus Rex Angliæ: moritur Pontifex die 25.Martij anno 1191.Et poſt quatuor dies ſufficitur ei Celeſtinus III. dictus antea Hyacinthus Bobbus Romanus, qui iam coronatus Henricum Germaniæ Regem prædicti Federici filium (qui in oriente mortuus erat ſuffocatus in fluuio Saleph aut Caleph natans) coronauit Imperatorem die 15.Aprilis immediatè ſequentis:Bellum ſacrum promouens, & alia mira in bonum Eccleſiæ faciens moritur die 8.Ianuarij anno Chriſti 1198. Eadem die eligitur Lotharius Cardinalis Diaconus, doctrina & pietate celeberrimus, quamuis adhuc iuuenis, & vocatur Innocentius III. qui ſedit octodecim annis,ſex menſibus & nouemdecim diebus: Fuit indefeſſus ad promouendum Eccleſiæ bonum, Federicum II. ad bellum ſacrum induxit, & conuocauit Lateranenſe Concilium, in quo fuerunt 70. Archiepiſcopi, 412. Epiſcopi, & 800. alij Patres: & multos Canones edidit aduersùs inſurgentes hæreſes: ac tandem moritur 16. Iulij anno Chriſti 1216.

Multa ſub prædictis Pontificibus ſunt celebrata Conci-

lia. Anno 1102. Romanum sub Paschali II. & Londinense, assistente S. Anselmo. Anno 1104. Trecense à Richardo Legato Apostolico. Ibidem aliud anno 1107. Eodem anno Ierosolymitanum præside Gibelino Arelatensi Archiepiscopo. Anno 1108. Beneuentanum, & Londinense. Anno 1109. Rhemense. Anno 1111. Ierosolymitanum. Anno 1112. Lateranense præside ipso Paschali, & Viennense. Anno 1113. Beneuentanum. Anno 1114. Bellouacense. Anno 1115. Ierosolymitanum. Anno 1116. Lateranense sub eodem Paschali. Anno 1118. Coloniense. Anno 1119. Rhemense præsente Calisto II. Anno 1120. Samaritanum in Palæstina pro correctione morum. Anno 1121. Concilium generale nonum Lateranense nongentorum Patrum sub Callisto II. Anno 1125 Londinense. Anno 1127 Trecense in quo confirmatur ordo Templariorum. Anno 1130. Stampense. Anno 1131. Rhemense sub Innocentio II vbi Petrus Leonis Antipapa condemnatur, & Ludouicus VII. Rex Galliæ coronatur. Anno 1132 Placentinum præsente eodem Innocentio: sicut & Pisanum anno sequenti, vbi S. Hugonem Episcopum Gratianopolitanum canonizauit. Item aliud Claramontanum. Anno 1136. Antiochenum, vbi Rodulphus Patriarcha intrusus deponitur: & aliud Ierosolymitanum. Anno 1138 Londinense. Anno 1139. Decimum generale Concilium Lateranense sub Innocentio II. mille circiter Patrum contra Petrum Leonis. Anno 1140. Senonense, vbi Petrus Abaillardus conuincitur à S. Bernardo. Anno 1145. Vezelense in Burgundia præsente Eugenio III. & Rege Ludouico, in quo ad prædicationem S. Bernardi Principes cruce insigniuntur. Anno 1146. Carnotense. Anno 1148. Rhemense præsente Eugenio III. in quo damnantur errores Gilberti Porretani Pictauiensis Episcopi. Anno 1162. Londinense, vbi sanctus Thomas eligitur successor Theobaldi in Archiepiscopatu Cantuariensi. Anno 1163. Turonense præsente Alexandro III. cum 17. Cardinalibus, 124. Episcopis, & 414. Abbatibus. Anno 1166. Constantinopolitanum. Anno 1171. Vnum in Hibernia. Anno 1177. Concilium Venetiarum, vbi

præsen-

præſens Alexander pacem cum Federico Imperatore facit, & eius filium Henricum recipit tanquam Regem Romanorum. Anno 1180. Vndecimum generale Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. in quo fuerunt trecenti Epiſcopi contra Vvaldenſes & Albigenſes : & aliud Conſtantinopolitanum ad inſtantiam Emmanuëlis Imperatoris. Anno 1186. Pariſienſe pro expeditione belli ſacri. Anno 1188. aliud in Anglia ad eundem finem. Anno 1198. Diuionenſe, vbi Rex Galliæ Philippus II. cogitur recipere repudiatam vxorem Helbergam ſororem Regis Daniæ.

Sæculo præterito mortuum vidimus Ioannem Patriarcham Antiochenum anno 1097. quo capta fuit à Latinis ciuitas Antiochena. Tunc ei ſucceſſit Aymericus de Malafaida Epiſcopus Anicienſis, & in ſacro bello Legatus Apoſtolicus, frater Noſtri S. Bertholdi. Sed huic breui mortuo ſufficitur Bernardus, qui vſque ad annum 1136. ſedit : Et tunc intruditur Rodulphus, qui nolebat ſummum Pontificem vt ſuperiorem agnoſcere ; propterea in Concilio Antiocheno quaſi ſchiſmaticus deponitur, & moritur anno 1143. Quo depoſito ſubſtituitur Aymericus Gallus eiuſdem Eccleſiæ Decanus noſtri ordinis eximius promotor, S. N. Bertholdi conſanguineus, qui moritur anno 1187. & ſucceſſorem habuit Rodulphum II. Captæ Ieruſalem primus Latinorum Patriarcha fuit Daibertus : Cui malitioſè depoſito ſubſtituitur Ebremarus. Verùm hic intruſus deponitur anno 1107. à Gibelino Legato Apoſtolico Arelatenſi Archiepiſcopo, qui iam ſenex dignitatem Patriarchalem eiuſdem Eccleſiæ vel inuitus cogitur admittere, & moritur anno Chriſti 1112. Cui tunc ſucceſſit Arnulphus vir peſſimus, & moritur anno 1118. Succeſſorem habuit Guarimondum Ambianenſem virum optimum, qui moritur anno 1128. Eique ſubſtituitur Stephanus Abbas S. Ioannis Carnotenſis, Regis Balduini conſanguineus vir eximius, qui moritur anno 1130. Hunc ſequitur Guillelmus ex Flandria, qui moritur anno 1146. Deinde ſequuntur Fulcherus. Anno 1159. Almericus. Anno 1180. Heraclius. Quem ſequitur S. Albertus, qui noſtro ordini

dini Regulam primitiuam tradidit, de quo sequenti sæculo loquemur iterum. Inter Patriarchas Constantinopolitanos post Nicolaum cognomento Grammaticum anno 1117. mortuum inuenimus Theodorum Chalcedonensem: Cuius tempus, sicut & trium successorum, scilicet Neophyti, Constantini, & Lucæ Chrysobergi sigillatim ignoratur. Deinde sequitur Leo Stypiota, qui moritur anno 1143. Cui successit Arsenius, vel vt alij dicunt Michaël Oxyta, qui seipsum abdicat Patriarchatu anno 1146. & successorem habuit Cosmam II. qui decimo post mense moriens sedem reliquit Charitoni suo successori, qui similiter breui moritur vndecimo mense; Tunc rediit anno 1148. ad Patriarchatum Lucas Chrysobergus, qui anno 1166. Concilium Constantinopoli celebrauit. Huic paulò pòst decedenti successit Michaël Anchiulus illustris Philosophus quem sequitur Theodosius, deinde Basilius anno 1183. Cui deposito ab Isaac Imperatore sufficitur anno 1186. Nicelas laicus. Et huic similiter ab eodem Imperatore deposito substituitur anno 1193. Dositheus schismaticus. Deinde sequuntur Georgius Xiphilinus, & alij de quibus agetur sæculo sequenti: notandum tamen, quòd est aliqua differentia inter Baronium & Genebrardum in prædictorum Patriarcharum nominatione; nam Genebrardus aliter nominat, sic enim ordinatè apud ipsum se consequuntur post Nicolaum, Ioannes VIII. Michaël II. cognomento Iunior, Cosmas II. Nicolaus IV. Theodosius II. Constantinus IV. Ducas, Michaël III. Chariton, Theodosius III. Basilius, Nicolaus V. siue Nicetas, Leontius, Dositheus & Georgius Xiphilinus.

Non defuerunt hoc sæculo quàm plures viri doctrina & sanctitate conspicui: Quorum præcipui sunt, S. Stephanus primus Abbas Cisterciensis, S. Malachias Episcopus Armacanus, Georgius Cedrenus, S. Ericus Suëciæ martyr, Rupertus Abbas, S. Guillelmus Dux Aquitaniæ postmodum Eremita, S. Bernardus Abbas doctor mellifluus, S. Robertus Abbas Cisterciensis, S. Anthelmus Episcopus Bellacensis, Hugo à S. Victore, Richardus à S. Victore, Petrus Venerabi-

lis,

lis, Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis magister sententiarum, Petrus Comestor, S. Isidorus Agricola Madritensis, S. Thomas Cantuariensis; S. Petrus Tharantasiæ, S. Hugo Carthusianus, S. Hildegardis Virgo, S. Homobonus, Adamus à S. Victore, Theodorus Balsamon, Guillelmus Archiepiscopus Tyri, & alij quàm plurimi.

Quantum attinet ad res prophanas. In Imperio Orientis mortuo Alexio successit eius primogenitus Ioannes Comnenus anno 1118. qui imperat vsque ad annum 1143. Tunc moriens successorem reliquit filium suum Emmanuëlem Comnenum, qui 38. annis imperat, & anno Christi 1180. moritur in habitu monachali in signum publicæ pœnitentiæ. Cuius successor Alexius II. Comnenus Porphyrogenitus à Tyranno Andronico noctu strangulatur anno Christi 1183. Imperij 3. Tunc Andronicus ipse imperium inuadit: sed iusto Dei iudicio & imperio & vita priuatur anno Christi 1185. In cuius locum intruditur Isaac dictus Angelus, qui post decem annos à fratre carceri mancipatus è throno deiicitur anno Christi 1195. Cui substituitur Alexius III. dictus etiam Angelus, item tyrannus: quem tamen expellit Alexius prædicti Isaaci filius anno Christi 1203.

In Imperio Occidentis vidimus Henricum III. morte repentina sublatum: Cui Germani eius filium Henricum IV. suffecerunt, qui patrem imitatus in malitia & odio contra Ecclesiam & summum Pontificem, Romam comparato exercitu cum suo Antipapa Clemente venit, vrbem diripit, Ecclesiam S. Petri prophanat & eius porticum destruit, ipsumque Pontificem in Hadriani mole recedentem obsidet: Verùm in auxilium Pontificis veniente Guiscardo Apuliæ Duce cogitur in Germaniam redire cum Clemente, vbi in impietatis pœnam superatur primò ab eodem Rodulpho & Saxonibus, deinde confectus mœrore Spiræ moritur & sepelitur anno 1125. Imperij 14. nam cœpit imperare anno Christi 1111. sedes enim Imperialis quinque annis vacauit. Post mortem Henrici IV. sedes vacat septem annis, quibus elapsis eligitur Lotharius II. anno Christi 1133. qui statim

Innocentium Pontificem ab Antipapa pulsum & in Gallia residentem Leodij conuenit, seque filium obsequentissimum fore promittens, ipsum Romam comitatur, & pacificè sedentem reliquit, postquam ab eodem Pontifice coronam Imperij solemniter recepit: Hic Imperator dilectus Deo & hominibus, dum in Germaniam reuertitur, Veronæ moritur anno Christi 1138. Imperij 5. Anno sequenti succedit ei, non vt Imperator, sed vt Rex Romanorum Conradus II. qui fuit genere Suëuus, Bauariæ Dux, & Henrici I V. Imperatoris nepos: Hic princeps inclytus suasu S. Bernardi cum Ludouico Galliæ Rege, Alphonso Hispaniæ, Henrico Angliæ aliisque Principibus Crucem suscepit, qua signatus ingenti exercitu comparato venit Constantinopolim, inde Ierusalem: Cumque res non ei faustè succederent, rediit in Europam, & moritur antequam benedictionem Imperialem perciperet. Cui anno Christi 1152. sub eodem titulo Regis succedit Federicus I. cognomento Barbarousse natione Suëuus, qui postea anno 1155. ab Hadriano I V. summo Pontifice coronatur Imperator: sed mortuo Hadriano aduersatur eius successori Alexandro III. quatuor Antipapas successiuè creando: Verùm Diuina vltione à variis principibus fatigatus cogitur ad verum redire Pontificem, quem adit Venetiis, & magna submissione absolutionem obtinet; in orientem pro bello sacro properat, mira facit in Asia minori; sed dum amnem lauandi corporis causa ingreditur, maximo Christianorum luctu submergitur, & Tyri sepelitur anno 1190. Cui successit filius Henricus I V. qui à Celestino III. summo Pontifice Romam vocatus coronatur, eique in matrimonium traditur Constantia Guillelmi Regis Siciliæ filia è monasterio educta; Tunc Henricus contra Tancredum procedens ipsum Neapoli obsidet: sed adueniente pestilentia recessit in Germaniam: Non multo post Tancredo eiusque filio Guillelmo interfectis vrbs capitur ab Henrici Ducibus, & ab exercitu diripitur; Deinde Henricus missas ad se Tancredi filias sæuissimè iussit interfici, & plures Episcopos aliosque Ecclesiasticos Tancredi fautores

ex altissimis turribus præcipites dari mandauit;Et hoc terrore totum vtriusque Siciliæ regnum modico labore acquisiuit:& moritur Panormi anno Christi 1198. Tunc Imperium administrauit Philippus Henrici frater creatus Rex Romanorum anno 1199.paulo post subintrat Otho Dux Saxoniæ, vt sequenti sæculo videbimus.

Dictum est Philippum Galliæ Regem mortuũ anno Christi 1106.cum priùs Aurelianis filium coronasset Ludouicum VI. cognomento crassum, qui suorum Principum rebellionem patitur:Dux Normanniæ factus Rex Angliæ ab eius obediẽtia recedit;sed tandem debellatus à Rege reprimitur, alijque in officio continentur: Sex habuit filios, scilicet Philippum, Ludouicum, Henricum, alium Philippum, Petrum, & Robertum cum filia nomine Constantia: Philippus primogenitus iam coronatus occiditur ab equo suo per transeuntem porcum efferato; Et ita Ludouicus secundo-genitus coronatur, & ducta in matrimonium filia Ducis Aquitaniæ simul cum patre regnat; Henricus tertio-genitus fit Episcopus Belloуacensis; Philippus fit Archidiaconus Parisiensis, Petrus fit Comes de Courtenay,& Robertus Comes de Dreux;filia verò Constantia nupsit Raymondo Comiti Tolosano: moritur tandem Rex 25.Octobris anno 1136. Cui successit Ludouicus filius iam ab anno 1131. in Concilio Rhemensi ab Innocentio II.coronatus,qui duxit in matrimonium Eleonoram Guillelmi vltimi Aquitaniæ Ducis filiam:Iuit cum exercitu ad Terram sanctam, secum ducens coniugem, de cuius pudicitia suspicatus illam repudiauit: Cumque res ei non benè successissent, cum Imperatore Conrado: In Galliam reuersus duxit Constantiã Alphonsi Regis Castellæ filiam,ipsaque mortua duxit etiam Alixidem Comitis Campaniæ filiam, ex qua suscepit Philippum cognomento Adeodatum,. quem anno ætatis 4.& Christi 1179.Rhemis coronauit, eique coniugem elegit Isabellam Baldoini Comitis Hannoniæ filiam: Moritur Ludouicus Rex anno Christi 1180. cui succedens filius Philippus II. cognomento Adeodatus & Augustus, vir sanè pius, generosus & fœlix, 44. annis regnauit: mul-

ta è regno vitia extirpauit, Iudæos expulit: Deinde facta cum Richardo Aquitaniæ Duce concordia, cum ipso iuit ad bellũ sacrum in Palæstinam: sed iterum inter ipsos excitata discordia propter repudium Isabellæ, Rex prior in Galliam rediit, deinde Richardus qui in Austria captiuus retinetur multis mensibus: Rex Alixidem duxit filiam Regis Hungariæ, & hac breui mortua duxit etiam Gelbergam sororem Regis Daciæ; Ac tandem hac repudiata quartam duxit nomine Mariam Ducis Morguiæ filiam; quam tamen honorificè postea remisit, iterum accipiens Gelbergam: Ex prima coniuge Isabella genuit Ludouicum VIII. quem successorem reliquit; multos passus est aduersarios, de quibus gloriosè triumphauit, maximè parta Bouinensi victoria anno 1215. die 25. Iulij: Comitatum Aruerniæ regno annexuit, deposito Guidone propter rebellionem: Tandem pacificus vrbem Parisiensem exornat, sternens lapidibus, regium construens palatium, inchoatam Beatæ Virginis basilicam perficiens, & siluam Vincenensem muris amplissimis cingens: Plures regno prouincias restituit, vt Normanniam, Aquitaniæ partem, Andegauum, Turoniã, Aruerniam, Cenomaniam, Veromanduam, Lemouicum, & alias minores: Tunc anno Christi 1223. ætatis 59. moritur die 1. Iulij dilectus toti populo.

Apud Saracenos siue Turcas Melechla filius Aspalam patri succedens Arthot Sultanum Mesopotamiæ, & Solimanũ misit Antiochiam, quam armis deuincunt: Et moriens filium Belchiator successorem reliquit. Hoc sine hæredibus mortuo regnum Turcarum iterum diuiditur, & à variis Principibus vsurpatur, de quibus in gestis Christianorum Terram Sanctam conquirentium frequens habetur memoria. Vt Norandino; Saladino, qui cœpit anno Christi 1172. Saphandino eius fratre, qui pulsis nepotibus incipit anno 1194. & Bondegar qui dominari cœpit anno 1265.

Apud Æthiopes duos tantùm reges hoc sæculo reperimus, siue diu regnauerint, siue aliorum nomina ignorentur: Primus est S. Zalibala, secundus S. Zimra vel Imra.

Apud Scothos post Duncanum & Donaldum, cœpit regnare

gnare anno 1103. Edgarus quartus filius Malcolmi & S. Margaritæ. Hunc ſequitur anno 1109. Alexander I. Deinde anno 1121. Dauid I. Anno 1150. Malcolmus IV. cognominatus Virgo. Anno 1160. Guillelmus, qui diu regnauit, & ſucceſſorem habuit Alaxandrum II.

Apud Hiſpanos Alphonſum VI. Regem ſequitur Alphonſus VII. deinde ſequuntur hoc ordine Alphonſus VIII. Sanctius III. Ferdinandus II. & Alphonſus IX.

Apud Anglos poſt Guillelmum Rufum ſequitur Henricus I. Deinde nepos eius Stephanus filius Comitis Bleſſienſis Gallus: Et Henricus II. S. Thomæ Cantuarienſis perſecutor, ſed poſtea huius facinoris pœnitens.

Apud Polonos Vvladiſlaum ſequitur Boleſlaus III. cognomento Crinoüſtus, deinde Vvladiſlaus II. Boleſlaus IV. Mieciſlaus ſenex, Caſimirus II. & Leſcus cognomento Candidus cum Helena matre.

In Terra Sancta Godifredus Bullioneus, capta Ieruſalem anno Chriſti 1099. Rex communi applauſu declaratur ob eximia eius facinora; ſed noluit aurea corona in ea ciuitate coronari, in qua Chriſtus Dominus corona ſpinea fuerat coronatus: moritur anno Chriſti 1100. regni vnico. Huic ſucceſſit Balduinus frater Princeps Edeſſæ, qui capit armis inſignes ciuitates, Ptolemaidam, Tripolim, Sydonem, Berithum & alias: & moritur anno Chriſti 1118. regni 18. Cui ſucceſſit Balduinus II. hic duplici prælio Sultanum Damaſci nomine Gazis propè Antiochiam ſuperat; ſed ipſe poſtea propè Edeſſam captus eſt: è captiuitate poſt 18. menſes liber moritur anno Chriſti 1131. regni 13. Quem ſequitur Fulco Andegauenſis, ab aliis dictus Polacus: hic ad regnum aſſumptus bellum ciuile ſedat, Turcas è finibus Antiochiæ pellit; & moritnr anno Chriſti 1142. regni 12. Succeſſorem relinquens filium Balduinum III. qui capit Aſcalonem, Noradinũ debellat, & moritur anno Chriſti 1162. regni 20. cui ſucceſſit frater Almericus; hic Sultanum Ægypti tributarium facit, capit Tamiatem, & moritur anno Chriſti 1173. regni 2. ſuum relinquens ſucceſſorem filium Balduinum

IV. adhuc iuuenem sub tutela Raymondi Comitis Tripolitani; qui cùm lepra laboraret, noluit nubere, & moriturus nepotem suum ex Sybilla sorore filium Guillelmi Marchionis Montis-Ferrati hæredem regni reliquit; & moritur anno Christi 1185. regni 12. iuuenis igitur Rex Balduinus auunculo succedit: sed octauo regni mense moritur veneno peremptus à propria matre regni auida, vt creditur. Cum autem postea de regni administratione dissidium esset, Guido de Lusignano Cumes Ioppæ Sybillæ maritus, Templariis fauentibus regno præficitur; quod indignè ferens Raymondus Comes Tripolitanus, cum Saladino Calipha Ægypti fœdus init, ex quo regnum Christianorum capto Guidone penè dissipatum est: tunc multæ ciuitates expugnatæ, & inter ipsas Regia Ierusalem die 2. Octobris anno Christi 1187. concurrentibus tamen ex Europa Christianis regnum aliquantulum reparatur, & Ioannes de Brenna Rex creatur, cuius filiam Yolandam cum desponsasset sibi Federicus II. Imperator proficiscitur in Palestinam, Ierusalem rempera 18. Martij anni 1229. & ibi Rex coronatur: sed iterùm anno Christi 1244. Ierusalem ab Ægypti Sultano capitur, sicut & aliæ ciuitates maritimæ quæ Christianis remanebant, quarum vltima fuit Ptolemaida capta anno Christi 1290. Tandem regnum Palestinæ anno Christi 1317. vna cum regnis Ægypti & Syriæ ad Turcarum Imperium deuenit, sub quo miserè perseuerat.

Inter Scriptores prophanos huius sæculi numerantur præcipui Vernerus, Hugolinus Bulgarus & Azo Bononienses eximij Iurisconsulti; Auicenna, Auerroës, & Mesuë, Medici & Philosophi Arabes, Iordanus Nomerarius Mathematicus, sicut & Humenus Ægyptius, & Theon Smyrneus.

Non defuerunt hoc sæculo noui hæretici: quorum præcipui sunt Tanchelinus, Petrus Abaillardus, Gilbertus Porretanus, Adamitæ, Valdenses, Albigenses.

Multa fuerunt mirabilia hoc sæculo. Primum est acquisitio Terræ Sanctæ, & tunc restitutio siue reparatio nostri ordinis Carmelitani, qui licet ab Elia fundatus ad hæc vsque

tempo-

tempora sine interruptione perseuerasset; in his tamen Palæstinæ captiuæ angustiis rari eius professores inveniebātur. Tunc autem in Carmelo rursùs congregatis, aliisque pluribus adjunctis refloruit Ordo antiquus,& ab anno 1120. Generales prælati sigillatim numerantur. Anno 1105. duo globi ad instar solis luminosi radios varij coloris circumquaq; vibrantes mirabilē efformant iridem. Anno 1106. die 2. Februarij per sex horas apparuit stella propè solem. Anno 1109. sus porculū peperit facie humana. Anno 1110. cœpit regnum Lusitaniæ: nam Alphonsus VI. Rex Hispaniæ cū filiam Theresiā Henrico Comiti Lymburgo è Lotharinga familia in matrimonium tradidisset,& Lusitaniam à Mauris acquirendam titulo Comitatus in dotem eius dedisset, Alphonsus prædicti Comitis Henrici ex ipsa Theresia filius, victis miraculosè quinque Maurorum regibus à suis Rex salutatur,& coronam regni ab Alexandro III. summo Pontifice obtinuit. Anno 1112. nascitur paruulus cum duplicato capite & corpore vsque ad renes, qui post baptismum tertia die moritur. Anno 1113. Rauennæ & Parmæ copiosus pluit sanguis. Anno 1117. fuerunt in pluribus locis horribiles terræmotus. Eodem anno pons Auenionensis super Rhodanum ad instantiam miraculosam S. Benedicti iuuenis, vulgò S. Benezet, construitur. Quo etiam anno locutus dicitur puerulus in cunis hac solùm vice, vt matrem iratam placaret, referens ei visionem Beatissimæ Virginis. Natum quoque dicitur monstrum anno 1118. in vnico corpore duo erant capita, & duo sexus. Hoc tempore instituti sunt Ordines religiosi, Præmonstratensium à S. Norberto, Templariorum sub Balduino III. S. Ioannis Hospitalariorum à N. F. Gerardo, & Theutonicorum. Anno 1122. dum S. Norbertus Ningellæ possessam á dæmone puellam exorcisat, ipsa totum Canticum Canticorum memoriter recitat, & sigillatim interpretatur. Anno 1130. Rex Gothorum fit Christianus. Tantaque fuit siccitas in Gallia, quòd amnes multi, lacus, putei & fontes aruerint, & ignis in visceribus terræ conceptus per duos annos nec frigore nec pluuiis potuerit extingui. Postea anno 1135. flammæ de terra terribiles

terribiles erupuerunt. Anno 1136. mare præteriens fines su[os] aliquas Belgij terras cum habitatoribus submersit. Hoc te[m]pore cœpit festum Conceptionis Beatissimæ Virginis in [a]liquibus Ecclesiis celebrari, quod ab initio apud Carmelitas continua maiorũ traditione fuit in veneratione. Anno 115[.] fuit maximus & iteratus terræmotus in Burgundia, quo ca[s]tellum absorbetur, erũpente aqua in eius locum. Anno 115[.] manifestè apparuit figura crucis in luna. Eodem anno Diuina reuelatione reperitur in monasterio oppidi d'Argenteul propè Parisios vestis inconsutilis Christi coloris subrufi, facta à Beatissima Virgine in ipsa Christi infantia, miraculosè cum ipso crescens. Anno 1158. in Liuonia mercatorum occasione fides Christi disseminatur, quam Colbus Princeps amplectitur, & S. Menardus factus Episcopus mirabiliter promouet. Hoc tempore factiones Guelphorum pro Pontifice & Gibellinorum pro Imperatore stãtium Italiam perturbabant. Et cœpit ordo Guillelmitarum sub regula S. Augustini à V. F. Ioanne Bono Mantuano. Anno 1160. sub Sanctio Rege Hispaniæ cœpit Ordo Calatrauæ. Anno 1163. denudatur muris ciuitas Moguntina mandato Federici Imperatoris in pœnam mortis illatæ Arnaldo Archiepiscopo. Parisiis sub Petro Lombardo Episcopo Theologia scholastica in meliorem formam reducitur. Anno 1169. tres soles, & etiam tres lunæ in partibus occidentalibus apparuerunt. Anno 1170. Ordo Humiliatorum in Italia, & Ordo Militaris S. Iacobi in Hispania instituuntur. Anno 1170. nascitur Calaguri S. Dominicus. Quia Iudæi in odium Christianorum paruulum in flumen proiiciunt anno 1171. alium crucifigũt Blessiæ in Paraceue anno 1177. Et Parisiis eadẽ die S. Guillelmum trucidant, de similibus sæuitiis & vsuris accusati puniuntur seuerè, postea de toto regno ad tempus expelluntur, sed anno 1323. perpetuo mulctantur exilio. Eodem anno 1171. in Anglia quadam inundatione discooperitur corpus Gygantis quinquaginta pedibus longum. Et ciuitas Senomanensis incendio consumitur: sicut & ciuitas Florentina anno 1176. Nascitur Assisij anno 1182. Sanctus Franciscus.

Anno 1197. instituitur Ordo Cruciferorum in Italia. Anno 1200. ciuitas Rhotomagensis conflagrauit.

DECIMVM-TERTIVM CHRISTI SÆCVLVM.

POst mortem Innocentij III. anno 1216. eligitur Centius Sabellius Romanus filius Aymerici sub nomine Honorij III. post duos dies sedis vacantis, qui sedit annis 10. mensibus 7. & diebus 13 vir doctus & optimus: Factus Pontifex statim imperiales titulos Federico II. contulit, quibus ipsum vtpote rebellem Ecclesiæ factum postea priuauit: Petrum Altisiodorensem Constantinopolitanum Imperatorē coronauit: Sanctos Dominicum & Franciscum humanissimè excepit, eorumque religiones confirmauit: Ac plenus bonis operibus moriens sepelitur apud S. Mariam Maiorem die 28. Martij anno 1227. Cui substituitur Hugolinus nepos Innocentij, & vocatur Gregorius IX. & sedit annis 14. mensibus 9. & diebus 2. Hic Prædecessoris sui sententiam contra Federicum Imperatorem confirmauit, propterea multis ab eo vexatur iniuriis & angustiis, dum Ecclesiæ bona diripiuntur & Romani trucidantur: Dominicum, Franciscum, Antonium Lusitanum, & Elisabetham Regis Hungariæ filiam sanctorum catalogo scripsit: Et moritur die 22. Augusti anno 1242. Cui post triginta dies sedis vacantis sufficitur Godifredus Mediolanensis ex gente nobili Castelliona sub nomine Celestini IV qui moritur die 17. vel 18. post suam electionem. Post cuius mortem sedes vacauit vsque ad annum 1248. quia Federicus captiuos tenebat Cardinales; tunc enim negotiatione Balduini Imperatoris Constantinopolitani & Raymondi Comitis Tolosani liberi Cardinales eligunt Synibaldum Flischum Genuensem filium Comitis Lauaniæ die 24. Iunij Anagniæ sub nomine Innocentij IV. erat vir doctissimus & optimus: qui cum audisset paratas sibi à Federico insidias, assumptis duabus triremibus venit Genuam, & inde in Galliā, ac Lugduni conuocato Concilio Federicum imperio regio-

que

que titulo priuauit anno 1249. propter quod Federicus ip- furibundus in Italia prouincias Eccleſiæ ſubiectas inuadit, ferro flammaque deuaſtat, & vniuerſitatem Bononienſem Patauium transfert. Sed mortuo tandem Federico ceſſat bella, Pontifex Romam venit, inde Neapolim vocatus pergit, vbi dum ſperat ſe breui toto potiturus regno, moritur 13. Decembris anno 1254. poſtquam S.Petrum Martyrem Ordinis S.Dominici, & alios ſanctorum numero ſcripſiſſet, & primitiuam noſtram regulam confirmaſſet. Die 21. eiuſdem menſis creatur Pontifex Reginaldus Cardinalis ex familia Comitum Anagniæ ſub nomine Alexandri IV. qui ſedit annis 6. menſibus 5. & diebus 5. hic generosè contra Manfredum Taranti Principem, aliosque tyrannos Eccleſiæ ditionem inuadentes ſe geſſit: libellos Guillelmi de Sancto amore contra paupertatem religioſam, & alios pernicioſos extinxit: Dum in componendis Venetis cum Genuenſibus laborat Viterbij moritur die 25. Maij anno 1261. poſtquam albo ſanctorum adſcripſiſſet Claram S. Franciſci diſcipulam, ibique in baſilica S.Laurentij ſepelitur. Tunc ſedes pluſquam tres menſes vacauit: die namque 29. menſis Augusti eligitur Iacobus Pantaleo Trecenſis filius Sutoris Patriarcha Ieroſolymitanus ſub nomine Vrbani IV. vir doctrina, pietate & prudentia mirabilis, qui feſtiuitatem Corporis Christi inſtituit, eiuſque officium D.Thomæ Aquinati tunc Doctori celeberrimo componendum commiſit: Eidem Manfredo viriliter reſtitit, in quo multas paſſus eſt moleſtias, ſicut & in aliis Italiæ factionibus, quibus preſſus Peruſij moritur anno 1264. die 2. Octobris, apparente priùs Cometa. Vacauit ſedes quatuor menſibus & duobus diebus, quibus elapſis eligitur Guido Groſſus ex vrbe S. Ægydij in Gallia Narbonenſi ſub nomine Clementis IV. Priùs nupſerat, & erat Iuriſconſultus eximius, S.Ludouico Regi fuit à conſiliis, deinde Archiepiſcopus Narbonenſis & Cardinalis: Eligitur Pontifex, dum legatione fungeretur ad Regem Angliæ, electus ac Bononiæ coronatus ſtatim adiecit animum, vt Manfredum tyrannum ſubiugaret; propterea Carolum Galloprouinciæ Comitem

in auxilium vocauit, quem vtriusque Siciliæ Regem coronauit: hic regnum ingressus multas capit ciuitates, & obuiũ habens Manfredum, vnica victoria tam regno quàm vita priuauit: moritur Pontifex die 29. Nouembris anno 1268. in ciuitate Viterbiensi, vbi sepelitur, postquam S. Eduigem Poloniæ Reginam canonisasset. Tunc vacauit sedes annis 2. mensibus 9. & diebus 2. sed tandem coacti Electores nominant Pontificem Thibaldum quemdam ex familia Vicecomitum Placentiæ, tunc in oriente Ptolemaide cum Eduardo Regis Angliæ filio residentem, qui nec Cardinalis erat, sed fuerat Canonicus Lugdunensis & Archidiaconus Leodiensis, qui nomen Gregorij X. assumpsit: per litteras monitus mense Nouembri soluit Ptolemaida, & die 2. Ianuarij anni 1272. Brundusium appulit: omni paterna solicitudine pacem inter Venetos & Genuenses procurauit; Florentinos interdicti sententia puniuit; ad Concilium Lugdunense se transtulit, vbi Paleologum Græcorum Imperatorem excepit, & vnionẽ cum Ecclesia Græca conclusit: Rediens in Italiam, & Aretium Thusciæ perueniẽs moritur die 10. Ianuarij anno 1276. Cui successit die 21. eiusdem mensis Petrus de Tarantasia Burgundus ordinis S. Dominici vir eximius, sub nomine Innocentij V. qui moritur die 23. Iunij sequentis: composuit in sententias & in sacram scripturam. Die 12. Iulij eiusdem anni substituitur ei Othobonus Genuensis de domo Flischa sub nomine Hadriani V. qui erat nepos Innocentij IV. creatus ab eo Cardinalis: vult Carolo Siciliæ Regi Rodulphum Imperatorem opponere, sed moritur die 18. Augusti immediaté sequentis eiusdem anni 1276. Quo mortuo eligitur die 15. Septembris Petrus Vlissiponensis in Lusitania sub nomine Ioannis XX. eximius Philosophus & Medicus, nihil aliud de eo legitur, quàm quòd viros doctos amaueritsdum se credit & iactat diu victurum, breui moritur Viterbij penè oppressus ruinis cubiculi die 19. Maij anno 1277. Tunc vacauit sedes quinque mensibus, & viginti duobus diebus, quibus elapsis eligitur Ioannes Caietanus ex domo Vrsina sub nomine Nicolai III. Viterbij die S. Catharinæ Virginis & Martyris,

tyris, coronatur autem Romæ apud S. Petrum die 26. Decembris: cœpit statim Carolum Siciliæ Regem persequi, propter dissidia particularia, priuat ipsum Ecclesiæ vicariatu in Thuscia, & dignitate magni Senatoris Romani: Regemque Aragoniæ suscitauit ad repetendum Siciliæ regnum, quod deinde plurium malorum causa fuit: Postquam basilicas sanctorum Apostolorum Petri & Pauli restaurauit, & Romam multis exornauit ædificiis, moritur Apoplexia propè Viterbum die 22. Augusti anno 1280 Mortuo Nicolao, & congregatis in Conclaui Cardinalibus apud Viterbum, duo eorum ex domo Vrsina propter domesticas prætensiones electionem noui Pontificis ad sex menses protrahunt; propterea ciues Viterbienses ingressi Conclaue hos duos Cardinales inde raptos carcere recludunt; & tunc die 22. Februarij anno 1281. eligitur Simon de Brie Thesaurarius & Canonicus S. Martini Turonensis, qui nomen Martini II. vulgò IV. sumpsit: Regi Carolo demptas Senatoris & Vicarij dignitates restituit, & Aragoniæ Regi prohibuit, ne quid in Sicilia contra ipsum Carolum attentaret; quod tamen non profuit, nam anno sequenti 1282. die Paschatis 13. Aprilis omnes Galli in Sicilia tempore Vesperarum communi condictu trucidantur: Vnde Pontifex iratus Petrum Aragoniæ Regem Siciliam tunc occupantem à Siculis vocatum, quia Constantiam Manfredi filiam duxerat vxorem, anathemate notauit, proprioque regno spoliauit in fauorem Galliæ, si posset occupare: Mortuo tunc rege Carolo die 7. Ianuarij anno 1284. Captoque Carolo Principe Salerni eius filio Pontifex regni Neapolitani Gubernatorem instituit Robertum Artesiæ Comitem. Foroliuienses Ecclesiæ rebelles ad obedientiam reduxit: Guelphis ex Orbieto pulsis, & aliis similibus occurrentiis afflictus venit Perusium, vbi moritur die 28. Martij anno 1285. & in Cathedrali sepultus Ecclesia claret miraculis. Huic successit Honorius IV. dictus antea Iacobus Sabellus Perusij electus die Lunæ post octauam Paschatis, sed Romæ coronatus in Ecclesia S. Petri: ad cuius diligentiam Philippus Rex Galliæ Aragoniam inuadit, Comitatum Rucinonensem

nonenſem occupat, ſicut & Girundam; verùm tunc orta peſte redire cogitur: Fauit hic Pontifex noſtris Carmelitis ex ſpeciali mandato Beatiſſimæ Virginis, quibus pallium album conceſſit ſublato variegato: moritur die 11. Aprilis anno 1287. Cum peſtis tunc graſſaretur, differtur electio noui Pontificis vſque ad diem 22. Februarij anni 1288. quo eligitur Nicolaus IV. ex ordine Minorum Aſculanus patria, dictus Hieronymus Cardinalis S. Potentianæ, qui à Gregorio X. miſſus Conſtantinopolim, Græcos ad vnionem Eccleſia, & Tartaros ad fidem reduxit: mira vixit ſanctitate, & moritur Romæ die 11. Aprilis anno 1292. ac ſepelitur in Eccleſia S. Mariæ Majoris. Cui poſt duos annos, tres menſes & duos dies Peruſij ſubſtituitur S. Petrus Celeſtinus, qui vix Pontificatum acceptauit ad preces Caroli II. Regis Neapolitani, quem tandem dimiſit anno 1294. fraude Benedicti Cardinalis Caietani: Cumque reuertitur ad eremum, captus perpetuo carceri mancipatur, vbi ſanctus moritur. Eius Succeſſor dictus Caietanus ſub nomine Bonifacij VIII. Anagniæ natus cœpit cum rigore regimen, vnde multorum Principum incurrit odium, præſertim Philippi regis Galliæ, cum ſe dominum totius mundi in temporalibus diceret, & ipſum regem citaſſet vt ſe clientem fateretur: Domum Columnarum perſequitur, quod propriæ eius ruinæ cauſa fuit, nam Sarra Columna euadens, & auxilio Philippi munitus in Italiam rediens Anagniam & in ea Pontificem capit, & tot iniuriis afficit, quòd mœrore confectus moritur die 12. Octobris anno 1303.

Sub prædictis Pontificibus aliqua ſunt celebrata Concilia: montis Peſſulani anno 1214. contra Albigenſes. Concilium generale XII. Lateranenſe IV. anno 1215. ſub Innocentio III. omnium celeberrimum, in quo præter ſummum Pontificem, eiuſque Legatos dum ipſe aberat, fuerunt duo Patriarchæ, Conſtantinopolitanus & Ieroſolymitanus, & deputati Alexandrini ac Antiocheni, quorum ille non potuit adeſſe prohibitus ab Ægyptiis, iſte verò fuit infirmitate detentus: Aſtiterunt 70. Archiepiſcopi, 400. Epiſcopi, 12

Abbates, & 800. Priores Conuentuales: Interfuerunt Oratores vtriusque Imperatoris, orientis scilicet & occidentis; Insuper Regum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Ierusalem & Cypri. Oxoniense in Anglia anno 1222. Vnum in Germania contra Simoniacos & concubinarios anno 1225. Londinense anno 1237. Concilium generale XIII. Lugdunense I. anno 1245. Sub Innocentio IV. præside contra Federicum II. Imperatorem, qui citatus & venire nolens priuatur Imperio, & S. Ludouicus Rex Galliæ eligitur caput expeditionis pro Terra Sancta. Concilium generale XIV. Lugdunense II. sub Gregorio X. anno 1274. Cui præfuit ipse Pontifex pro bello sacro, & contra Græcorum errores, qui rursùs reconciliantur Ecclesiæ Romanæ.

Inter Patriarchas Antiochenos post Rodulphum II. quem sæculo præterito sedentem reliquimus, sequitur Raymerius. Deinde Elias vsque ad annum 1247. Ac tandem Christianus martyr ordinis S. Dominici, post quem Antiochia ad Saracenos redeunte nullus Latinorum Patriarcha successit. Inter Patriarchas Ierosolymitanos vltimus præcedentis sæculi fuit S. Albertus Gallus, Petri Eremitæ pronepos, qui martyr dicitur occubuisse à Saracenis interfectus in supplicatione generali. Quem sequuti sunt hoc ordine, Thomas, Robertus, Iacobus, & alius Thomas: post quem non inuenitur successor, quia Terra Sancta capta fuit à Saracenis. Inter Patriarchas Constantinopolitanos post Georgium Xiphilinum sequitur Ioannes IX. Deinde Michaël IV. Theodorus III. Maximus II. Emmanuël I. Germanus II. Methodius II. Emmanuël II. Nicephorus, Arsenius, Germanus III. Iosephus cognomento Beccus, Ioannes X. Iosephus iterum, Georgius siue Gregorius, Athanasius, Ioannes XI Iterum Athanasius: sed anno 1305. Hugolynus pro Latinis erat Patriarcha.

Inter sacros Scriptores huius sæculi excelluerunt Robertus de Monte, qui Chronologiam Sigiberti ab anno 1113 vsque ad annum 1210. prosequitur. S. Antonius Lusitanus Ordinis Minorum, Iacobus de Vitry Cardinalis, S. Raymondus de Penna-forti Generalis Ordinis S. Dominici, Alexander

der de Ales magiſter S.Bonauenturæ Doctor Irrefragabilis, Albertus Magnus Epiſcopus Ratisbonenſis magiſter Diui Thomæ, Vincentius Bellouacenſis, Hugo à S.Charo Cardinalis Ordinis S. Dominici, Martinus Polonus. D.Thomas Aquinas Doctor Angelicus, S.Bonauentura Doctor Seraphicus, S.Gertrudis Virgo, Henricus Gandauenſis, Nicolaus de Lyra, Hugolinus Patriarcha Conſtantinopolitanus Ordinis S.Auguſtini, Nicephorus Calliſtus, & Ioannes Duns Scothus Doctor ſubtilis.

Floruerunt ſanctitate præter iam indicatos, S.Dominicus natus anno 1170. mortuus anno 1221. S. Franciſcus natus anno 1182. mortuus anno 1226. S.Heduuigis Duciſſa Poloniæ, S. Eliſabeth filia Andreæ Regis Hungariæ, B. Odo Chartuſienſis, S.Petrus Martyr Ordinis S.Dominici, Sancta Clara Virgo Aſſiſij, S. Hyacinthus Ordinis S. Dominici, S. Ludouicus Rex Galliæ, de quo poſtea, S. Yuo ex Britannia minori, S. Ludouicus Epiſcopus Tholoſanus Ordinis Minorum.

Quantùm attinet ad res prophanas: in Imperio Orientali reliquimus Alexium Iſaaci Imperatoris filium anno 1203. qui vix incipit Imperare, cum occiditur anno 1204. Eius ſucceſſor Alexius V. cognomento Ducas vix aſſumptus è throno deiicitur, & occiditur. Baldoinus primus Latinorum, qui Imperium Orientis moderati ſunt, incipit imperare eodem anno Chriſti 1204. anno ſequenti captiuus in bello efficitur, & anno 1206. occiditur. Cui ſucceſſit Henricus eius frater, & imperat vſque ad annum Chriſti 1216. Poſtea Petrus Antitiodorenſis ſuccedens Imperiũ moderatur vſque ad annum Chriſti 1222. Robertus eius filius imperat vſque ad annum Chriſti 1229. Cui tunc ſucceſſit Baldoinus II. qui cum regnaſſet vſque ad annum Chriſti 1259. expellitur à Græcis. Cui ſubſtituitur Michaël VIII. cognomento Palæologus, & imperat vſque ad annum 1283. Et ſucceſſit Andronicus ſenex etiam cognomento Palæologus, qui tenuit Imperium vſque ad annum Chriſti 1332. quo moritur.

In Imperio Occidentali mortuo Henrico Imperatore, diſ-

ſentientibus electoribus, quia nonnulli Philippum Henrici fratrem volebant, alij Othonem Saxoniæ Ducem Lothari quondam Imperatoris pronepotem: Innocentius III. Pontifex memor rebellionis Henrici prædicti & Federici I. contra Eccleſiam, Othonem pronuntiauit Imperatorem: contra quem Philippus ira percitus arma conuertit Philippi Regis Galliæ auxilio munitus, cui reſiſtit Otho Ioannis Angliæ Regis auxiliaribus copiis, & Pontificis authoritate fretus, qui ſententiam excommunicationis aduersùs eos tulerat, qui partes Philippi ſequerentur: In his altercationibus diuiſum fuit imperium, donec Philippus ab Altigrano Turingiæ Principe interficitur; & ſic Otho ſolus Imperat vſque ad annum Chriſti 1218. ſed cum is vafri foret ingenij, multis diſplicuit, Italis præſertim & ſummo Pontifici, qui illum Vrbe expulit, & poſtea armis inſanientem debellauit: Vnde electores Federicum Siciliæ Regem viginti annorum iuuenem elegerunt Imperatorem, Othone in Germaniam ad ſuum Ducatum Saxoniæ redeunte, & poſtmodum à Philippo Gallorum Rege apud Belgas interfecto. Federicus igitur II. coronatur Imperator ab Hugolino Cardinale Oſtienſi & Legato Apoſtolico Honorij III. & Pontificis auxilio regnum Siciliæ recuperauit: ſed immemor beneficiorum aduersùs Eccleſiam deſæuire cœpit, patrem & auum imitatus, tantaque inſolentia cædibus omnia miſcebat, quòd in generali concilio Lugdunenſi anno 1245. ab Innocentio IV. fuerit ab Imperio depoſitus, & propè Parmam debellatus: iam filium Henricum ex Conſtantia Regis Aragoniæ filia ſuſceptum affectati regni, vel alia quauis ſuſpicione necauerat in carcere: Alius quoque filius eius ex eadem Conſtantia nomine Euiſius fuerat à Bononienſibus interfectus, dum eorum agros vaſtaret; Conradum filium Federicus, quem ex Yolanda Ioannis de Brenna Regis Ieroſolymitani filia ſuſceperat, ſuum deſignat hæredem, & recedens in Apuliam, à ſuo filio illegitimo ex ancilla Manfredo, Diuina vlciſcente iuſtitia ſuffocatur, qui Manfredus parricida prædictum Conradum veneno ſubſtulit, & regnum Neapolitanum inuaſit

uasit contra voluntatem Alexandri IV. summi Pontificis, quem etiam armis infestauit : Verùm Vrbanus IV. vtriusque Siciliæ regnum Carolo fratri S. Ludouici Galliæ Regis habito concilio detulit, qui cùm exercitu potenti veniens, apud Beneuentum commisso prælio Manfredum debellauit & occidit. Deinde etiam Conradinum Conradi Sueui Imperatoris ex filio nepos contra ipsum armata manu venientem fudit, & ad se adductum securi percuti iussit; qua potitus victoria Carolus totum regnum recuperauit. Vt ad Imperium redeamus, ipse Federicus à Pontifice coactus antequam desiperet, in Palæstinam proficiscitur, Ierusalem capit die 18. Martij anno 1229. & ibi Rex coronatur vt gener Regis. Deposito igitur Federico in Concilio Lugdunensi anno 1245. successerunt vel sub titulo Imperatoris, vel Regis Romanorum, Henricus, Guilielmus, Conradus, Richardus cum Alphonso, Rodulphus cum Adulpho: quì Rodulphus anno 1274. in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ob eximias animi dotes creatur Imperator, cum esset Comes cornubiæ, deinde Romam venit vt coronam Imperij à Pontifice acciperet, cui Bononiam & totàm Flamineam siue Romandiolam in grati signum animi restituit; Rediens in Germaniam Agesilaum Bohemiæ Regem deuicit, & captum penes se retinuit, verùm postea regnum restituit data eì in matrimonium sua filia. Mortuo Rodulpho, & Adulpho oppresso ac interfecto, Albertus I. dicti Rodulphi Imperatoris filius & Austriæ Dux anno 1299. creatur Imperator, qui à Bonifacio VIII. primùm confirmationem obtinere non potuit, sed postea in odium Philippi Regis Galliæ non solùm obtinuit, sed etiam regnum Galliæ: sed post alia facinora cum Rhenum bellando transfretasset, è naui descendere volens à proprio nepote fuit interfectus anno 1308.

Apud Gallos mortuo Philippo Rege Augusto successit Ludouicus VIII. eius primogenitus anno 1223. cum esset 37. annorum, & iam duxisset Blancham Regis Hispaniæ filiam; factus Rex Anglos in Occitania debellauit, multas capiens ciuitates, maximè Rupellam: Albigenses tunc rebelles ab

anno 1210. vſque ad annum 1213. ſic fregit, vt Biterris ſexaginta millia deleuerit; & ſic Aquitania, pulſo Comite Tholoſano Albigenſium fautore præcipuo, perfectè ſubiecta & vnita regno deinceps manſit: moritur in Aruernia die 27. Octobris anno 1226. quatuor ex Blancha coniuge relinquens filios, ſcilicet S. Ludouicum primogenitum, Robertum Arteſiæ Comitem in Amorea mortuum, Alphonſum Pictauorum Comitem, & Carolum Andegauenſium Comitem, qui poſtea fuit Rex vtriuſque Siciliæ & Ieruſalem, ac Comes Galloprouinciæ. Moriens Rex Ludouicus reliquit ſuum primogenitum eiuſdem nominis Ludouicum IX. duodecim tantùm annorum ſub tutela prudentiſſimæ ac piiſſimæ matris Blanchæ, ſub qua tam feliciter profecit, quòd ſanctus mirabilis euaſerit. Maior effectus, & regni adminiſtrationem adeptus duxit in matrimonium Margaritam Raymondi Berengerij Gallo-prouinciæ Comitis primogenitam, ex qua quinque filios & quatuor filias ſuſcepit: filij fuerunt Philippus cognomento audax, Petrus Comes d'Alençon, Robertus eiuſdem ditionis Comes poſt Petrum, Robertus alius Claromontij Bellouacenſis Comes, & Ioannes in Ægypto mortuus in prima patris expeditione; filiæ fuerunt Blancha Caſtellæ Regina, Iſabella Nauarræ Regina, Margarita Brabantiæ Duciſſa, & Agnes ſimiliter Duciſſa Burgundiæ: Duas contra Saracenos expeditiones ſuſcepit; creatus generalis Dux ſiue caput belli ſacri in Concilio Lugdunenſi anno 1245. Primam ſuſcepit anno 1248. in qua poſt fauſta belli initia & captam Ægypti Tamiatem, aduenιente peſtilentia & diminuto plurimùm exercitu capitur ipſe, ſoluto redemptionis pretio liber in Oriente quinque annis in bonum Chriſtianæ fidei commoratur, vnde mortua matre neceſſitatibus regni ſubuenturus rediit, ſecum in Galliam è Carmelo ducens Carmelitas; ſecundam ſuſcepit anno 1270. in Africam, vbi poſt captam Carthaginem & victos hoſtes peſte moritur eodem anno die 25. Auguſti, 56. ætatis anno, piam & prudentem regnandi inſtructionem filio ſucceſſori relinquens. Philippus

Audax

Audax ob miram animi generositatem cognominatus in Africa Rex salutatur ab exercitu : viuente patre primam duxit vxorem Elisabetham Regis Aragoniæ filiam, ex qua tres suscepit filios, scilicet Ludouicum qui moritur iuuenis, Philippum cognomento Pulchrum qui ei successit, & Carolum Valesij Comitem : Hac mortua coniuge secundam duxit Mariam Ducis Brabantiæ filiam, ex qua suscepit Ludouicum Comitem primum Ebroicensem : Post mortem patris die sequenti de Saracenis obtenta victoria, & facto Tuneti Rege tributario, cum alijs Regibus & Principibus rediit in Europam: Viterbum appellens Cardinales in Conclaui residentes induxit, vt Gregorium X. eligerent : corpus Sancti patris sui Ludouici, & fratris Ioannis cognomento Tristani detulit in Galliam, & in basilica S. Dionysij cum magno apparatu sepeliuit : Deinde veniens in ciuitatem Rhemensem consecratur mense Augusto anno 1271. seditiosos in suo regno compescuit, ipsoque benè constituto Perpiniani moritur mense Octobri anno Christi 1285. regni 15. ætatis 40. cui succesit filius Philippus IV. cognomento Pulcher, qui duxit in vxorem Ioannam filiam vnicam & hæredem Henrici Regis Nauarræ & Comitis Campaniæ, quæ collegium Nauarræ Parisiis ædificauit. Ex illa tres filios & vnam tantùm filiam suscepit; filij fuerunt Ludouicus cognomento Hutin, Philippus Longus, & Carolus Pulcher, qui successiuè fuerunt Reges Galliæ; filia verò nomine Elisabetha Eduardo II. Regi Angliæ nupsit: Philippus Pulcher post mortem patris exercitum Perpiniano reduxit in Galliam, & Rhemis coronatur anno 1286. bellum gessit aduersus Anglos, qui Prouinciam Occitaniæ inuaserant, & aduersùs Guidonem Flandriæ Comitem, ac Adulphum Imperatorem : Sororem suam Blancham anno 1300. Rodulpho Austriæ Duci Imperatoris Alberti filio dedit vxorem : Tandem anno 1314. mense Nouembri moritur, cum 28. annis regnasset, & in Ecclesia S. Dionysij sepelitur : magnas cum Bonifacio VIII. summo Pontifice simultates habuit, vt indicatum est.

Hoc ſæculo Saracenorum ſiue Turcarum monarchia iterum reuiuiſcit: nam Oſman ſeu Ottoman filius Ertucul (cuius progenitores aſcendendo ſic numerantur, Soliman, Cabielpe, Cuſulbug, Bainder, Oicoluc, Baiſunber, Bakis-Aga, Ciaces-Aga, Toctemur, Verſaiob, Giokelpe, Ogus, Caracban, Cutluzecce, & Lecrac) ſua prudentia & magnanimitate Turcici Imperij fundamenta iecit, à quo nunc Imperatoris Turcarum familia dicitur Ottomana: Ipſe in capta ciuitate Burſia ſedem Imperij fixit, multas deinde ciuitates in Aſia minori, Ancyram, Sebaſtem, & alias propè mare maius: totamque ferè Anatoliam occupat; exercitum traiecto Boſphoro in Europam induxit, qui plures prouincias fœdè vaſtauit: moritur anno Chriſti 1328.

Apud Æthyopes hoc ſæculo fuerunt Reges, Naakutolab, Icum Nuamlach, Iacba Hazeon: cui ſuccedunt filij Baazarda, Esbrahad, Saghed, Cadem, Raab & Vdim.

Hoc etiam ſæculo Perſarum regnum reuiuiſcit: Nam Haalon ſeu Hayton Tartarus anno 1258. deuicto Calipha ſeu Sultano totum Perſarum regnum acquirit, Babylonem deſtruit, captumque Calipham fame necat: Vxorem Chriſtianam duxit nomine Doucoſcaro, è ſanguine Magorum qui Chriſtum adorauerunt oriundam, cuius ſuaſu templa Mahometanorum euertit; auxiliaribus armis Haylon Regis Armeniæ adiutus Meſopotamiam & partem Syriæ conquirit; cumque maiora meditaretur, moritur anno Chriſti 1264. Cui ſucceſſit filius nomine Abaga: Hic Sultanum Ægypti debellauit, & ex Armenia eiecit; Dumque parat expeditionem in Syriam, à domeſticis ſuis occiditur anno Chriſti 1285. Regni 21. Huic ſucceſſit Tangador eius filius, vocatus in baptiſmate Nicolaus, ſed ad Mahometanam legem peruerſus Mahamet vocatur, & Chriſtianos maxima rabie perſequitur, ſuumque fratrem Cobilam Chriſtianum ſibi contradicentem occidit, iuſſitque Argon Cobilæ filium nepotem ſuum trucidari; ſed hic ereptus fauore populi, & ad regnum ſublimatus Tangadorem patruum anno Chriſti 1287. in pœnam ſcelerum trucidauit, & amicus Chriſtia-

norum

rum perseuerans moritur anno Christi 1291. Cui frater Regaytus succedit, sed ob ignauiam & lasciuiam à suis strangulatur anno Christi 1295. Et sufficitur Baydon eius consanguineus, qui fuit Christianæ legis zelator, sed breui à Cassan filio Argon occiditur. Hic in regnum succedens ciuitatem Damasci rebellem ad se reduxit, ac Sultanum Ægypti de Syriæ finibus expulit, rediensque in Persidem moritur in ciuitate Casbin,& ad ciuitatem Tauris sepeliendus defertur anno Christi 1304.

Apud Scothos anno 1214. Guillelmo successit eius filius Alexander II.Deinde anno 1249.Alexander III.Anno 1283. Ioannes Baliol, qui regnum dimittens venit in Normaniam anno 1285. & multæ fuerunt in regno seditiones vsque ad annum quintum sequentis sæculi.

Apud Hispanos post Alphonsum IX.sequitur Henricus I. Deinde Ferdinandus III. Alphonsus X. cognomento sapiens, Sanctius IV. & Ferdinandus IV.

Apud Anglos post Henricum II. sequuntur Ioannes frater Richardi, Henricus III.& Edoardus IV.

Apud Polonos pulso Lesco regnat Vvladislaus Lascongus, deinde Lescus Candidus reuocatur. Exinde regnat Boleslaus pudicus,sequitur Lescus Niger: Succedunt Præmislus, Vvladislaus Lecticus,& Vvenceslaus Bohemus.

Apud Lusitanos post Alphonsum I. Regem filium Henrici Comitis, sequuntur eius filius Sanctius huius nominis I. Deinde Sanctio patri succedens Alphonsus II. Sanctius II. cognomento cucullatus patri quoque succedens, paulò pòst reiicitur in monasterium, & auocatur è Gallia frater eius Comitissæ Boloniensi nuptus Alphonsus III. Et tandem filius eius & Dionysius S.Elisabethæ maritus.

In regno vtriusque Siciliæ post mortem Caroli I. Regis successit filius Carolus II. qui 25.annis regnauit,& moritur anno 1309. Post irruptionem Petri Aragonensis in insulam Siciliæ,primò bellum aduersùs illum, & filium Dongianum, ac successorem Iacobum exercuit; sed postea intercedente Eduardo Anglorum Rege pacem cum Iacobo iniit, conce-

dens ei regnum Siciliæ insulæ in dotem Blanchæ Secundæ filiæ, quam tradidit vxorem, sicut etiam tradidit Eleonoram Tertiam filiam Federico fratri ipsius Iacobi : Carolus ex Maria coniuge filia & hærede Regis Hungariæ nouem genuit filios & quinque filias ; Filij fuerunt Carolus Martellus postea Rex Hungariæ & pater Andreæ mariti Ioannæ, de quo dicetur infra ; S. Ludouicus Ordinis Minorum, & Episcopus Tholosanus ; Robertus Dux Calabriæ, qui loco primi in regno successit ; Philippus Princeps Tarentinus, pater Ludouici Ioannæ eiusdem mariti ; Raymundus Berengarius, Ioannes Amoreæ Princeps, & D. Petrus Comes.

Inter prophanos scriptores huius sæculi principales sunt, Ioannes à sacro bosco Anglus insignis mathematicus Parisiis mortuus, Iacobus Bellouacensis Iurisconsultus illustris, Alphonsus X. Rex Hispaniæ Philosophus & Mathematicus eximius.

Inter nouos hæreticos fuit Hermannus Italus caput Fratricellorum: citatur etiam Dauid de Dinando, & Guillelmus à Sancto amore.

Multa successerunt hoc sæculo memoriæ digna. Anno 1201. Ordo Hospitalium S. Spiritus Romæ cœpit. Anno 1201. Ordo S. Dominici institutus. Anno 1208. Ordo SS. Trinitatis pro Redemptione Captiuorum Romæ institutus à B. Ioanne de Mattha & Felice Valesio. Anno 1209. Ordo S. Francisci institutus. Anno 1215. Ordo Eremitarum S. Pauli à B. Eusebio in Hungaria institutus. Anno 1231. Ordo Canonicorum Regularium S. Marci institutus Mantuæ. Anno 1232. Ordo Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum à Iacobo Aragoniæ Rege institutus Barcinone. Eodem anno fuit institutus Ordo Siluestrinorum à B. Syluestro monacho Vallis Vmbrosæ. Anno 1237. fundatur Vniuersitas Viennensis in Austria : Et cœpit pulsari campana ad salutationem Angelicam. Anno 1239. consecratas ad communionem particulas, ob Saracenorum inuasionem sacerdos tenetur corporali & lapide superposito tegere, quas post victoriam sanguine tinctas inuenit, & in Hispania hactenus perseuerant.

perſeuerât. Anno 1240. S. Ludouicus magnam crucis Domini partem cum eius corona ſpinea, ſpongia & Lancea pecuniis redemptam obtinuit. Tunc quoque ſacra Biblia capitibus diſtincta eſſe creduntur ab his à quibus ſub Hugone Cardinale Concordantiæ ſunt factæ. Anno 1241. mons in Burgundia cadens in partes ſciſſus multos oppreſſit. Inſtituta fuit etiam hoc anno Salmanticenſis Vniuerſitas à Ferdinando III. Et in Concilio Lugdunenſi ſub Innocentio IV. pileus Rubeus Cardinalibus conceditur. Anno Chriſti 1249. die 28. Nouembris ſub Innocenſio IV. Pontifice Lugduni in Gallia generale Concilium celebrante contra Federicum II. Imperatorem, regnante S. Ludouico, Thoma Comite Sabaudiæ eidem Imperatori adhærente: Contigit, quòd ad ſeparandum, ab Imperatore dictum Comitem, & Pontifici reconciliandum, inductus eſt Iacobus de Boniuard ſecretarius eius admodum dilectus, oblato Canonicorum Regularium S. Auguſtini Prioratu in vrbe S. Andreæ: ex quo cum violenter religioſos expuliſſet, hi ad capellam Noſtræ Dominæ de Myans accedentes eius auxilium implorant. Tunc ſerenus aër nubibus obſcuratur, & circa nonam poſt meridiem horam, Dei permiſſione dæmones patrem montis de Grenier effringunt, cuius ingentia ſaxa grandini mixta cum horibili tonitruum fragore, & terribili terræ motu, in dictum vibrantes Prioratum, & in vrbem & in adiacentia loca, horridam & ad tria circiter milliaria longam latamque effecerunt abyſſum, ſuppreſſa cum ſua Prioratu dicta vrbe, & ſexdecim pagis ac ſex Parrochiis, occiſo quoqae dicto Boniuardo tunc in Prioratu cænante cum inuitatis ſociis ad celebritatem captæ poſſeſſionis, & ſex millibus aliis. Prætendebant dæmones ruinam vlteriùs promouere, vt ſuis clamoribus indicabant; ſed coërcentur ſiſtere, ne dictæ Capellæ nocerent per interceſſionem imaginis miraculoſæ, vt ſubiunctis fatentur quærimoniis. Poſtea anno 1462. ædificatus eſt ibi conuentus Fratrum Minorum de obſeruatia, & locus tum aduentantium pietate, tum miraculorum frequentia celeberrimus eſt. Anno 1252. Ordo Seruitarum in Hetruria à

B. Philippo

B. Philippo & aliis sex ciuibus Florentinis instituitur. Anno 1253. Robertus Sorbonius collegium pro Theologis in vniuersitate Parisiensi fundans & dotans à se denominauit Sorbonicum. Anno 1255. Ordo Eremitarũ S. Augustini plurium aliorum Eremitarum associatione crescit. Anno 1274. Ordo Celestinorum à B. Petro de Morone summo Pontifice sub nomine Celestini V. fundatur. Anno 1279. & die 9. Decembris corpus S. Mariæ Magdalenæ reperitur à Carolo Comite Gallo-prouinciæ. Anno 1285. successit strages illa memorabilis Pisanorum à Genuensibus, vbi quadraginta nouem eorũ triremes & sedecim hominum millia perierunt, quæ penitùs ipsos oppressit. Anno 1288. Lugduni reperitur corpus S. Irenæi & aliorum plurium Sanctorum. Anno 1291. & die 9. domus Nazarena Beatissimæ Virginis Mariæ ab Apostolis in Ecclesiam consecrata cum altari lapideo, ac imagine cedrina eiusdem B. V. pulsis ab oriente Christianis, & maxime nostris Carmelitis qui illius sacræ domus curam habebant, Angelorum ministerio in Dalmatiam defertur: inde verò post tres annos ac septem menses transfertur in Italiam, vbi mutato bis loco, nunc in tertio summa deuotione frequentatur & colitur. Anno 1296. inundans Sequana ciuitatem Parisiensem octo diebus occupauit. Anno 1300. institutum fuit Iubileum à Bonifacio VIII. quolibet sæculo expleto celebrandum. Anno 1297. inuenimus Leonem Estensem Marchionem in vicariatu Ferrariæ patri succedentem, qui ex Lucia Scaligeri filia genuit Azonem: Hic Azon vir optimus ex prima coniuge suscepit Friscum Estensem; sed cum iterum nupsisset Beatrici Roberti Regis Siciliæ sorori, à filio Frisco ob inductam nouercam irritato coniicitur in carcerem, vbi paulò post filius parricida fecit eum interire: Verùm Diuina vrgente iustitia cum hic perfidus vrbe pulsus Venetorũ auxilio fretus illam subiugasset, & partim incendisset, ab indignato concurrente populo apud Leonis portam interficitur: Tunc Aldromãdinus Estensis Azonis frater & Frisci patruus vtrique violenter extincto successit in Ferrariæ possessionem: Et moriturus Raynaldum filium anno 1332. reliquit successorem;

ſorem; Hic autem nepotem ſuum Obizonem ex Nicolao fratre conſtituit hæredem anno 1337. Obizo Eſtenſis præter Ferrariam, à Benedicto XI. ſummo Pontifice Mutinam accipit cum annua penſione decem millium aureorum Eccleſiæ facienda, qui moriens Nicolaum filium ſucceſſorem reliquit anno 1157. Hic Ferrariam pluribus ornauit ædificiis; cumque nullum moriens relinqueret filium ex ſe, Nicolaum alterum ex ſuo fratre Alberto nepotem conſtituit ſucceſſorē anno 1360. Cui ſucceſſit circa annum 1390. filius Albertus, cuius diligentia fundatur Ferrariæ ſtudium generale. Hunc ſequitur Nicolaus filius, qui Leonellum filium illegitimum reliquit ſucceſſorem. Poſtea Borſius Eſtenſis eiuſdem Nicolai ex concubina filius, frater Leonelli primus Dux Ferrariæ ex Marchione creatur à Romano Pontifice, & ab Imperatore Dux Mutinæ & Rhegij Lepidi: Prædictus Leonellus illegitimus paruulos fratres legitimos Nicolai filios Neapolim relegauerat, tyrannicè principatum vſurpans, quos Borſius reuocans cum Nicolao dicti Leonelli fratris filio educauit: vocabantur Hercules & Sigiſmundus. Mortuo Borſio ſucceſſit Hercules hæreditario iure diutiùs impedito, repellens Nicolaum Leonelli filium competitorem anno 1471. quem poſtea Ferrariam inuadentem capitali ſententia puniuit: Hercules ex ducta Eleonora Ferdinandi Regis Neapolitani filia quatuor filios & duas filias ſuſcepit. Cui circa annum 1505. ſucceſſit Alphonſus filius, hic Regi Galliæ Ludouico XII. adhærens Mutinam & Rhegium armis Iulij II. Pontificis amittit, ſed breui Gallorum auxilio recuperat. Cuius filius & ſucceſſor Hercules anno 1528. Pariſios veniens Renatam Ludouici XII. ex Anna Britanniæ filiam minorem duxit vxorē & Ferrariam abduxit. Anno 1599. ſucceſſit Alphonſus filius: Huic verò Cæſar germanus filius alterius Alphonſi illegitimi filij Alphonſi I. anno 1597. Vnde deficientibus legitimis ſucceſſoribus Ducatus Ferrariæ ſub Clemēte VIII. rediit ad Eccleſiam, remanēte Ducatu Mutinenſi in inclyta domo Eſtenſi, in quo Cæſar ſucceſſorem habuit Alphonſum filium patrem Franciſci & Alexandri ex Iſabella Sabaudiæ.

DECI

DECIMVM QVARTVM CHRISTI SÆCVLVM.

POst mortem Bonifacij VIII. elapsis decem diebus eligitur Nicolaus Cardinalis Ostiēsis Ordinis Prædicatorum ante Generalis, Treuisinus Pastoris filius, & in vigilia sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ eiusdem anni 1303. coronatur sub nomine Benedicti XI. Fuit vir dignissimus & sanctus, qui matrem assumpto nobili habitu ad se venientem noluit agnoscere, benè tamen in habitu modesto: Bonifacij sui prædecessoris violentiam agnoscens, Regem & Regnum Galliæ ab eius censuris absoluit, ablata Columnis bona restituit; ipsum tamen Sarram Columnam Bonifacio contumeliosum anathemate notauit: Cumque pacem inter Principes Christianos, & concordiam Florentinorum omni sollicitudine procurat, Perusij venenatos comedit ficus oblatos, quibus moritur die 6. Iulij anno 1304. & in ecclesia Prædicatorum sepultus claruit miraculis. Cardinales in Conclaui Perusino collecti plurimùm dissentiunt, tandem Cardinalis à Prato conuenit cum Cardinale Caietano, Bonifacij nepote, quòd ipse Caietanus tres Galliæ Prælatos nominaret, & omnes vnum ex illis eligerent; inter illos fuit Bernardus Goth Archiepiscopus Burdegalensis parùm affectus Regi Philippo Pulchro, qui quosdam eius consanguineos in Aquitania bello vexauerat: Rex Cardinalis à Prato litteris monitus facilè Bernardum sibi reconciliat spe Pontificatus, & cum eo de tribus conuenisse dicitur, quòd scilicet in Gallia resideret translata Curia, quòd Templarios destrueret, & sui Prædecessoris Bonifacij memoriam aboleret; consensit igitur Rex eius electioni, & idem Cardinalis sua prudentia negotium conclusit die 5. Iunij anno 1305. recipiens electionis suæ decretum die 23. Iulij Pontificatus possessionem accipit in Burdegalensi Basilica S. Andreæ sub nomine Clementis V. Sub finem Augusti Burdegala discedens venit Lugdunum vt coronam in ecclesia S. Iusti acciperet die 11. mensis Nouembris,

Cui

Cui ſolemnitati interfuerunt Reges Galliæ, Angliæ & Aragoniæ, Duces Burgundiæ & Britanniæ, & quàm plures alij Principes; ex qua cum redirent, ruinis muri cadentis opprimitur Dux Britanniæ cum fratre Pontificis, fratres Regis grauiter læduntur, & cadente thiara Pontificis deciſus ex ea carbunculus periit: Cum ad Regis petitionem decreuiſſet in Gallia remanere, Curiam Romanam ad ſe vocauit, decem Cardinales Gallos creauit, Iacobo & Petro Columnis à Bonifacio degradatis dignitatem Cardinalitiam restituit: Regem & regnum Galliæ independens à Pontifice in temporalibus declarauit: tres deſtinauit Cardinales Romam Eccleſiaſtici ſtatus gubernatores,& regnum Sardiniæ à Mauris occupatum Regi Aragoniæ in feudum conceſſit:Regem Philippum excuſauit in his quæ contra Bonifacium geſta fuerant, Concilium Viennenſe conuocauit,ad quod ſe Auenione tranſtulit, ibique ordinem Templariorum extinxit, multis ipſorum tanquam idololatris, hæreticis, ſodomitis ac inimicis Chriſtiani nominis igne damnatis,formato proceſſu iuridico, licet aliqui eos excuſent;In ipſo concilio diſputatum eſt, an Bonifacius fuiſſet hæreticus, ſed maiori ſuffragiorum parte ab hoc crimine excuſatur: Duas alias Pontifex Cardinalium promotiones fecit, qui fuerunt Galli natione, ſuámque reſidentiam in Comitatu Venayſino ditionis Eccleſiaſticæ ſtabiliuit, & magnum ac pulcherrimum ſibi palatium ædificauit in vrbe natiuitatis meæ nomine Malancena, vel ad ordinariam,vel ad æſtiuam manſionem, propè copioſam & delitioſam aquarum originem, quod hactenus ibi perſeuerat, ſicut & aliæ Cardinalium domus; Tandem librum Decretalium Clementinarum edidit, & moritur in Caſtello Rupis-Mauræ, cuius corpus defertur Carpentoractum, & inde in Occitaniam ad Eccleſiam Noſtræ Dominæ d'Vzeſte, vbi ſepelitur. Mortuo Clemente die 29.Nouembris anno 1314.ſedes vacauit duobus annis & aliquot menſibus ob electorum diſcordiam, quorum aliqui Pontificem Italum, plures verò Gallum volebant; ſed tandem Lugdunum conuenientes in Eccleſia

Fratrum

fratrum Prædicatorum anno 1316. communi consensu eligunt Ioannem Osseum Cadurcensem, filium Arnaldi Deuli seu Dossa sutoris die 7. Augusti : dicunt aliqui quòd cæteri Cardinales in eius suffragio compromiserunt, & quòd ipse seipsum nominauit, & Ioannem XXII. voluit appellari, & die 7. Septembris in Ecclesia Cathedrali S. Ioannis coronatur : fuit vir eximius & pietate & doctrina, Catalogo sanctorum scripsit Ludouicum Episcopum Tholosanum ex stirpe Regia, & D. Thomam Aquinatem : Ecclesiam Tholosanam & Cæsaraugustanam similiter in Archiepiscopatus erexit, pluribus Abbatiis in Episcopatus mutatis : Instituit Ordinem militarem Christi in Lusitania: Federicum Siciliæ Regem cum Roberto Rege Neapolitano dissidentem & armis Italiam turbantem anathemate notauit : Post mortem Henrici VII. Imperatoris, cum Federicus Dux Austriæ & Ludouicus Dux Bauariæ de Imperio contenderent, ille cum tribus suffragiis, iste cum quatuor electus, Pontifex Federici partibus adhæsit, Ludouicus Bauarus schisma XXVIII. suscitauit in Ecclesia, cooperantibus nonnullis Doctoribus Ordinis Minorum, maximè Guillelmo Ockam & Petro de Corbaria, quia Pontifex contra dictum Ordinem quandam constitutionem ediderat : Vnde die 12. Maij anno 1328. in Comitiis generalibus Principum & ciuium Romanorum declarauit Ioannem indignum Pontificatu, & intrusit prædictum Petrum de Corbaria sub nomine Nicolai V. Verùm Pontifex fauore Beatissimæ Virginis ei apparentis, ac præcipientis vt Bullam Sabbathinam pro confratribus sacri Scapularis ederet, ab hoc liberatus inimico sedit pacificè, viditque ipsum Nicolaum Antipapam captum, & ad suos pedes prouolutum errores agnoscentem, & misericordiam supplicantem : Cum sedisset annis 18. mensibus 3. & diebus 28. moritur die 4. Decembris anno 1334. relictis in thesauro viginti octo millionibus aureorum, & sepelitur Auenione in Ecclesia Cathedrali Nostræ Dominæ Domnensis. Huic successit die 21. eiusdem mensis Iacobus à Furno ex oppido Sauerdum Diœcesis Tholosanæ Ordinis Cisterciensis, quem aliqui

aliqui priùs fuiſſe Carmelitam aſſerunt, aſſumens nomen Benedicti XII. coronatur die 8. Ianuarij anno 1335. in Eccleſia Fratrum Prædicatorum Auenione: noluit conſanguineos Eccleſiaſticis bonis ditare, vix vnum ex fratre nepotem multorum precibus ad Archiepiſcopatum Arelatenſem promouit; & tam piè vixit, quòd in opinione ſanctitatis deceſſerit: Voluit Curiam in Italiam referre, ſed Bononienſium & aliorum contradictionem aduertens, decreuit Auenione remanere, vbi maximum & magnificentiſſimum conſtruxit ac perfecit palatium, quod ibi videtur: moritur die 25. Aprilis anno 1342. in ſuo palatio, & ſepelitur in eadem Eccleſia Cathedrali è regione ſepulchri Ioannis XXII. ſiue in ſacello oppoſito, hic in primo collaterali ad dextram maioris capellæ, ille ad læuam, quorum ſepulchra apparent magnifica. Elapſis duodecim diebus eligitur Petrus Rogerius Lemouicenſis Ordinis S. Benedicti, & vocatur Clemens VI. Coronatur die 19. Maij quæ fuit Pentecoſtes in Eccleſia Fratrum Prædicatorum: ſummam impendit ſollicitudinem, vt pacem inter Reges Galliæ & Angliæ ſtabiliret, quod ex parte fecit inducias obtinendo: Iubileum de centeſimo ad quinquageſimum annum reduxit: Conſtituit pacem inter Petrum Aragoniæ Regem ac Iacobum Regem Maioricæ: Ludouicum Bauarum adhuc Eccleſiæ rebellem perſequitur, & Henricum Præſulem Moguntinum ei fauentem deponit: Fortunatarum inſularum tunc inuentarum primum Regem nomine Ludouicum natione Hiſpanum ex regio Galliæ ac Hiſpaniæ ſanguine creauit: Cum regnum Neapolitanum, mortuo Rege Roberto, ad Ioannam primogenitam Principis Caroli filij ſui vnici tunc etiam mortui, cum hac conditione deueniſſet, quòd Andream filium Caroli Martelli Regis Hungariæ conſobrinum ſuum duceret in maritum; Pontifex ſuum miſit Legatum ad nouum Regem & Reginam, vt eos coronaret: Occiſo deinde Andrea, & Ludouico Rege Hungariæ ipſius fratre cum exercitu in regnum Neapolitanum veniente contra Ioannam Reginam velut complicem in cæde mariti, receſſit ipſa Aue-

nionem ad Pontificem, cuius intercessione Ludouicus in- ua or rediit in Hungariam, & ipsa Neapolim reditura cum suo secundo marito Ludouico Principe Tarentino, ciuitatem & comitatum Auenionensem Pontifici vendidit: Cum Ludouicus Bauarus in sua rebellione persisteret, huius Pontificis iussu tres Archiepiscopi electores, Rex Bohemiæ & Dux Saxoniæ Carolum de Luxemburgo Morauiæ Marchionem eiusdem Regis Bohemiæ primogenitum sub finem Iulij anno 1346. Regem Romanorum elegerunt, qui postea mortuo Ludouico pacificè receptus ab omnibus imperat: Adueniente crudelissima fame, & postmodum subsequente peste, miram erga pauperes & infirmos charitatem Pontifex exercuit: Post alia mira opera moritur Clemens die 6. Decembris anno 1352. in ciuitate Auenionensi, cuius corpus honorificè delatū fuit ad monasterium Casæ Dei vulgo de la Chaize Dieu propè Anicium: Cui Bernardus Dominicanus mira dedit elogia. Post duodecim dies eligitur Stephanus Aubertus Lemouicensis die 18. Decembris, & die 23. eiusdem mensis coronatur sub nomine Innocentij VI. pro viribus pacem inter Gallos & Anglos procurauit, sed tantùm potuit induciarum prolongationem obtinere. Ad ipsum accessit Petrus Rex Aragoniæ, vt Pontifici Clientelæ obsequium exhiberet pro regno Sardiniæ: Postea Pontifex pacem inter ipsum & Petrum Regem Castellæ conclusit, quamuis parum duraturam: multum laborauit, vt Ioannem Galliæ Regem captiuum post Anglorum victoriam liberaret, & vt multas Ecclesiæ terras in Italia vsurpatas recuperaret: multa exercuit pietatis opera, Tholosæ collegium S. Martialis instruendis pauperibus ædificauit, Carthusiam Villæ-nouæ secùs Auenionem in valle benedictionis fundauit: Et dum expeditionem parat contra Saracenos, moritur Auenione die 11. Septembris anno 1362. & sepelitur in dicta Carthusia. Cui successit Guillelmus Grimaldus siue Grimoardus ex nobili familia de Grisac in Diœcesi Mimatensi: Erat monachus Ordinis S. Benedicti, tunc Abbas Venerabilis monasterij S. Victoris Massiliensis; Cum enim congregati Cardinales

circa

circa noui Pontificis electionem dissiderent, instinctu Diuino & vnanimi consensu ipsum eligunt die 27. Septembris anni eiusdem pro negotiis Ecclesiæ in Italia occupatum: subitò reuocatur absque notificatione electionis, ne forte retineretur ab Italis; Massiliam appulit die 27. Octobris sequentis,& coronatur die 6. Nouembris 53. ætatis anno, sub nomine Vrbani V. vir pietate, doctrina & prudentia insignis: Abbatiam S. Victoris nouis turribus & muris circumquaque muniuit, Collegium S. Martialis Auenionensis Religiosis Cluniacensibus concessit in compensationem Ecclesiæ Nostræ Dominæ de Beluedere ipsis vsurpatæ à Ioanne XXII. dum Palatium magnificum ad Pontem Surgæ construeret, multa construxit & dotauit monasteria: Anno 1363. Ioanni Regi Galliæ expeditionem belli sacri contra Saracenos Terræ Sanctæ persuaserat ad instantiam Petri Regis Cypri, sed morte Ioannis tam pium opus partim impeditur; & Rex Cypri cum N S. Petro Thoma Constantinopolitano Patriarcha & Legato Apostolico, & cum subsidio sibi concesso redit in Orientem, vbi Sultano Ægypti Alexandriam primò eripuit, deinde plures alias Asiæ ciuitates: Anno 1365. Carolus Luxemburgicus Imperator Auenionem ad Pontificem venit, eiusque Pontificali missæ in die Pentecostes ornamentis Imperialibus præfulgidus adstitit: Voluit Pontifex ad sedandas Italiæ seditiones Curiam Romæ restituere, Vnde venit Massiliam anno 1367. & die 20. Maij cum magnifico nauium & triremium à Regina Siciliæ Venetis & Genuensibus missarum apparatu mare conscendit, die 24. Genuam venit, & die 4. Iunij ad portum Corneti peruenit: mare relinquens Viterbum die 9. Iunij accessit, & tandem die 16. Octobris Romam solemnissima pompa & omnium acclamatione ingreditur, vbi pietatis exercitiis & Ecclesiæ negotiis occupatus manet: Corpus D. Thomæ Aquinatis è monasterio Fossæ nouæ Tholosam transferri iussit: Ad illum rursus accessit Carolus Imperator, & Pisanos ac Florentinos ab ipso dissidentes compescuit: Ad illum etiam accessit Imperator Græcorum, quem honorificè suscepit, ac beneuolè

 dimisit:

dimiſit: Audiens deinde bellum inter Gallos & Anglos renouari, decreuit iterum in Galliam redire pacem allaturus; & ita rebus Italiæ compoſitis venit ad portum Corneti & die 6. Septembris in paratis triremibus mare ingreditur, & proſpera nauigatione die 16. eiuſdem menſis Maſſiliam appulit, & die 24. peruenit Auenionem: Dum pacis intentæ negotium meditatur, Auenione moritur die 19. Decembris anno 1370. & ſepelitur in Eccleſia S. Victoris Maſſiliæ cum opinione ſanctitatis. Poſt vndecim dies eligitur Auenione Petrus Rogerius de Beaufort Lemouicenſis, filius *Guillelmi* Comitis de Beaufort & Ioannæ ſororis Clementis VI. electus die 30. Decembris vix electioni ſuæ voluit conſentire die 4. Ianuarij anno 1371. aſſumens nomen Gregorij XI. multum in ſedandis Gallorum & Anglorum diſſidiis laborauit; ſicut & in componendis Regibus Henrico Caſtellæ, Petro Aragoniæ, & Carolo Nauarræ, quos mutuis confederauit matrimoniis: Contra Vicecomites Mediolani ditionem Eccleſiæ vſurpantes primò cenſuris, deinde armis proceſſit Duce Amedeo Comite Sabaudiæ anno 1373. ſequenti anno maxima fuit Auenione peſtis, & poſtea fames, quæ Pontificem ad circumuicina loca remiſerunt: Cum Ludouicus Rex Hungariæ Catharinam primogenitam Ludouico Duci Aurelianenſi deſponſaſſet, dedit ei in dotem regna *Neapolis*, Siciliæ & Ieruſalem cum Gallo-prouinciæ Comitatu & Pedemontij Principatu poſt Reginæ Ioannæ mortem, quam donationem Gregorius approbauit & confirmauit: Tunc magnæ ſeditiones in Italia contra Pontificem ortæ ſunt, quas cum ſua tantum præſentia ſedandas intellexiſſet, decreuit ire Romam cum tota Curia, ſuadentibus Baldo Iuriſconſulto eius magiſtro, ſanctiſque Birgitta & Catherina Senenſi; Vnde ſecreto recedens Auenione die 13. Septembris anno 1376. venit Maſſiliam, quem ſecuti ſunt Cardinales, ſex tantùm exceptis qui Auenione remanſerunt: poſt aliquas tempeſtates ad portum Corneti appulit, vbi feſta Natiuitatis Domini & Epiphaniæ celebrauit; inde venit ad Oſtia Tyberina, fluuium aſcendit vſque ad Eccleſiam S. Pauli, vbi conſcen-

dens

dens equum maximo populi totius applausu ad Ecclesiam S. Petri peruenit die 18. Ianuarij anno 1377. multum in huiusmodi seditionibus Italiæ passus moritur die 27. Martij anno 1378. & sepelitur in Ecclesia S. Mariæ nouæ. Mortuo Gregorio, & Cardinalibus in conclaui residentibus, vt omnes penè scriptores referunt, confusus populi rumor Pontificem patria Romanum, aut saltem Italum petit, & minis & armis electionem vrget; vnde coacti Cardinales Galli conuenerunt vnum pro tunc quasi Pontificem nominare, vt se mortis periculo liberarent, verum postea Pontificem in loco tuto electuri, & sic Bartholomeum de Pregnano Neapolitanum Bariensem Archiepiscopum nominarunt die 2. Aprilis eiusdem anni: Hic assumens nomen Vrbani VI. fuit admodum seuerus non solùm in Cardinales, sed etiam in sæculares Principes, & nominatim in Othonem de Brunsuich Reginæ Ioannæ maritum; propterea Cardinales ferè omnes tam Galli quàm Itali Fundos Campaniæ venientes, sub protectione prædictæ Reginæ violentiam Romæ sibi in conclaui illatam declarantes, & intrusum denuntiantes Vrbanum, ad noui Pontificis electionem processerunt, & Robertum fratrem Comitis Gebennensis annorum 36. elegerunt die 20. Septembris sub nomine Clementis VII. quod XXIX. & maximi schismatis causa fuit: Pugnant igitur oppositi Pontifices tam armis spiritualibus quàm materialibus, & suarum partium fautores quærunt; Vrbano adhæret Germania cum regnis septentrionalibus; Clementi autem Gallia, Hispania, & Scothia; diuisa fuit Italia, regnum Neapolitanum & aliæ prouinciæ Clementi, maior pars Vrbano parebat: Vrbanus Reginam Ioannam quasi rebellem iure regni Neapolitani priuat; ipsa verò Clementem Auenionem vsque comitata, cum nullum ex quatuor maritis naturalem filium suscepisset, adoptauit Ludouicum Andegaui Ducem Caroli V. Regis Galliæ fratrem: Sed Ludouicus Hungariæ Rex ad mandatum Vrbani nepotem suum Carolum Dyrachij Principem misit in regnum Neapolitanum anno 1381. qui deuicto Othone, & capta etiam Ioanna die 2. Septembris regnum

vſurpat, ipſamque Reginam contra fidem datam ad m datum patrui Regis Hungariæ iuſſit ſtrangulari : Hæc a diens Clemens anno 1382. Auenione Ludouicum Andeg uenſem coronat Regem, qui collecto ſexaginta millium m litum exercitu cum Amedeo Comite Sabaudiæ in Itali ingreſſus regnum Neapolitanum aggreditur ex parte Apr tij, & multas occupat ciuitates : Vrbanus Neapolim ad C rolum Regem proficiſcitur, vt ſuo nepoti Ducatus Capu & Amalphi obtineret, ſed repulſam paſſus & minas inte tans ab eodem Carolo captus aliquamdiu retinetur & quetur ; Vnde maximum aduersùs eum concipit odium excommunicationis ſententiæ ſubijcit, ſicut & contra n tos Cardinales, quos credit proditores, ex quorum num occidit vnum, quinque in ſacco ſutos proiecit in mare, duos iuſſit membratim ſecari ; ipſe pauidus primò fugit N normum, deinde Genuam, inde Romam rediit; Cumque vna parte Ludouicum Andegauenſem in obſidione Barole mortuum audiſſet, relictis duobus filiis Ludouico & Caro ſub tutela matris ; & ſimiliter mortuum videns Carol Regem, relicto Ladiſlao filio & Ioanna filia, arripuit iter Siciliam ſperans regni adeptionem, ſed cadens è mulo R mam cogitur redire, vbi viginti nouem creat ſimul Car nales, & Iubileum ad trigeſimum annum reduxit : Et tan dem moritur die 15. Octobris anno 1389. & in Eccleſia San cti Petri ſepelitur. Mortuo Vrbano ſpes affulxit terminan ſchiſmatis, ſed breui ceſſauit, nam Cardinales eius die 2. No uembris ſequentis elegerunt Petrum de Thomacellis Ne politanum ætatis 45. annorum, qui Bonifacius IX. vocatu ac die S. Martini coronatur : Perſeuerat Auenione Clemen vbi Ludouicum iuniorem Ducem Andegauenſem Sicili Regem coronat, contra Bonifacium recenter electum cen ſuris procedit, perſequitur Raymundum Rogerium de T rena Gregorij XI. nepotem, qui ſtatum Auenionenſem ca dibus & rapinis infeſtabat ; tandem moritur 16. Septemb anno 1394. & ſepelitur Auenione apud Celeſtinos: Cui Ca dinales ſubſtituunt Petrum de Luna Celtiberum die 28. ei de

dem mensis sub nomine Benedicti XIII. perseuerante schismate, cuius solutionem Christiani Reges & Principes initis consiliis ac missis legatis procurare cœperunt: Bonifacius remotis populi Romani Tributis absolutum Vrbis dominium obtinet, & Ladislaum Caroli Regis filium Siciliæ Regem agnoscit, & adiuuat; propterea, quamuis Ludouicus iunior comparato exercitu Neapolim cum maiori parte regni acquirit, iterum breui perdidit: Benedictus Auenione residens instante Rege Galliæ suos Romam ad Bonifacium misit Legatos ad tollendum schisma tam perniciosum; sed Bonifacius factis propositionibus mutuæ depositionis assentiri nolens, moritur die 1. Octobris anno 1404.

Sub his Pontificibus aliqua sunt celebrata Concilia. Anno 1311. Decimum quintum generale Concilium Viennense, Præsidente Clemente V. præsentibus tribus Regibus Galliæ, Angliæ & Aragoniæ, assistentibus Patriarchis Alexandriæ & Antiochiæ cum trecentis Episcopis. Anno 1321. Vallisoletanum in Hispania. Anno 1327. Moguntinum in Germania. Anno 1337. Auenionense sub Benedicto XII. Anno 1 41. Anglicanum. Anno 1394. Parisiense contra Benedictum XIII. nolentem Pontificatu cedere.

Solos hoc sæculo Patriarchas Constantinopolitanos inuenimus: Post Athanasium & Hugolinum sequuntur hoc ordine, Niphon, Ioannes XII. Gerasinus, Isaias, Ioannes XIII. Callistus, Philetus, Macharius, Nilus, & Antonius III. Cui opponitur Angelus Corarius quartus Patriarcha Latinorum.

Inter sacros Scriptores floruerunt hoc sæculo: Durandus à S. Portiano Ordinis Prædicatorum, Franciscus Mayronis Ordinis Minorum, Guillelmus Ochamus, Heruæus Britto, Landulphus Carthusianus, Guido Perpinianensis Carmelita, Petrus Aureolus Minorita, Simon de Cassia Augustinianus, Petrus Bertrandus Cardinalis, Henricus Suzo Dominicanus, Ioannes Taulerus etiam Dominicanus, Gregorius Ariminensis Augustinianus, Thomas Argentinas, S. Birgitta, S. Catharina Senensis, Ioannes Rus-

brokius, Galterius Carmelita, & Paulus Venetus Augustinianus.

Floruerunt hoc sæculo sanctitate præter indicatos S. Nicolaus Tolentinas mortuus anno 1306. B. Alexius Seruita mortuus anno Christi 1310. B. Humilitas Fauentina monialis eodẽ anno. B. Andreas Seruita mortuus anno 1315. B. Henricus Eremita in Comitatu Tyroli. B. Agnes de monte Politiano Ordinis S. Dominici, mortua anno 1317. S. Elzearius de Sabran Comes Ariani mortuus anno 1325. S. Rochus montis Pessulani mortuus anno 1327. S. Andreas Corsinus Noster Carmelita Fesulanus Episcopus mortuus anno 1373. quem Vrbanus VIII. numero Sanctorum scripsit anno 1629. & S. Petrus de Luxemburgo sub Clemente VII.

Quantum attinet ad res prophanas: In Imperio Orientis Andronico seni successit Andronicus iuuenis Palæologus anno 1332. & imperat vsque ad annum 1341. quo Ioannes Palæologus succedens cum Ioanne Cantacuzeno simul imperat; sed expulso socio solus imperat 27. annis, & moritur anno Christi 1384. Imperij 43. Tunc successit Emmanuël II. Palæologus, qui 34. annis imperat vsque ad annum Christi 1418.

In Imperio Occidentis Alberto successit Henricus de Luxemburgo, qui imperat vsque ad annum Christi 1314. Illius successor Ludouicus Bauariæ Dux imperat 33. annis vsque ad annum Christi 1346. Deinde Carolus Rex Bohemiæ imperat vsque ad annum Christi 1379. qui adhærens Vrbano VI. obtinuit electionem Venceslai filij: Prædictorum gesta Pontificum gestis mixta sunt. Verùm Electores Francofurdij post aliquot annos congregati Venceslaum deposuerunt, vtpotè ignauum & stupidum, eique substituerunt Federicum Ducem Brunsuici & Luneburgi: sed hoc breui sublato & occiso diligentia Archiepiscopi Moguntini & opera Comitis de Vvaldech, congregati rursùs Electores Robertum siue Rupertum de Bauaria Comitem Palatinum Rheni Imperatorem eligunt anno 1400. qui imperat vsque ad annum 1410.

Apud Gallos mortuo Rege Philippo Pulchro successit Ludouicus X. cognomento Hutin, siue Mutin, id est Turbulentus, filius eius primogenitus, anno Christi 1314. qui iam à septem annis fuerat coronatus Rex Galliæ & Nauarræ: fuit generosus, ducto in Belgium exercitu ciuitatis Insulanæ soluit obsidionem: pulsos à patre Iudæos reuocauit, Margaritam Roberti Ducis Burgundiæ & Agnetis filiæ S. Ludouici filiam duxit vxorem, ex qua suscepit Ioannam, quæ postea nupsit Philippo Ludouici primi Comitis Ebroicensis fratris Philippi Pulchri filio, & postmodum ipsa Margarita in castro reclusa moritur: mortua coniuge Margarita secundam duxit Clementiam Regis Hungariæ filiam, quam moriens anno 1316. reliquit grauidam filio, qui post mortem patris natus, & Ioannes vocatus elapsis octo diebus moritur, ob tam breue regnum inter Reges non numeratus. Vnde Philippus V. cognomento Longus, frater Ludouici & patruus Ioannis, exclusa per legem Salicam Ioanna eiusdem Ludouici filia, successit in regno Galliæ & Nauarræ, & superata Ducis Burgundiæ oppositione in fauorem Ioannæ, processit in ciuitatem Rhemensem, vbi die Regum anno 1317. consecratur: duxit vxorem Ioannam Othelini Comitis Burgundiæ & Mahaltæ Comitissæ Artesiæ filiam, ex qua quatuor suscepit filias, Ioannam Duci Burgundiæ nuptam, Margaritam Comiti Niuernensi desponsatam, Mariam Delphino Viennensi traditam, & Blancham monialem factam in monasterio nostræ Dominæ de Lonchamp: multa cum Comite Flandriæ habuit dissidia, quæ tamen summi Pontificis mediatione componuntur: Iudæos ob commissa crimina aduersùs Christianos expulit iterum ex Gallia, addictis fisco bonis eorum: tandem moritur die 3. Ianuarij anno 1321. & sepelitur in Ecclesia S. Dionysij. Cui successit ex vi eiusdem legis Salicæ Carolus IV. cognomento Pulcher frater eius, qui Blancham vxorem suam Comitis Burgundiæ filiam sibi suspectam in Castello reclusit; postea dimisit declarato inualido inter eos matrimonio; Vnde duxit Mariam Henrici de Luxemburgo Imperatoris mortui filiam, & Caroli Bohe-

miæ Regis sororem, ex qua suscepit filium qui breui moritur, sicut & mater: Et sic Rex tertiam ducit vxorem Ioannam Ludouici primi Comitis Ebroicensis filiam, ex qua nullam prolem masculinam suscepit, sed tantùm puellam ante terminos natam: Fuit æquus in reddenda iustitia, adeò vt Iordanum ab Insula præpotentem Dominum, qui matrem Ioannis XXII. Pontificis vxorem duxerat, suspendio necauerit, ob multas & continuas eius insolentias ac cædes etiam in ministros iustitiæ, postquam Rex intuitu Pontificis ei iam indulserat: Rex cum *Anglis* in Occitania bellum gerit ob castrum fortissimum de Monpesat, quod ad rebellionem Domini illius Angli Gallis eripuerant, præsidio crudeliter enecato, tandem anno 1328 die 1. Februarij moritur, & apud S. Dionysium sepelitur. Cum Rex moriens Ioannam Reginam reliquisset grauidam, Philippus Valesius primus Princeps sanguinis regni vsque ad partum regens declaratur; Cumque Regina filiam nomine Blancham peperisset, idem Philippus virtute legis Salicæ Rex agnoscitur ad exclusionem Edoardi Regis Angliæ, qui quasi filius Isabellæ sororis mortui Regis Caroli ad regnum aspirabat: Philippus Rex factus statim Anglum monet, vt sibi obsequium Clientelæ pro Occitania præstet, qui rebellis cum Principibus Imperij contra Regem fœdus init, & bellum cunctis exitiale parat, quamuis postea factis induciis tale obsequium præstiterit; sicut & Comes Flandriæ, qui contra suorum rebellionem Regis auxilium obtinuit: Duas habuit Rex vxores; Prima fuit Ioanna Burgudiæ, ex qua suscepit Ioannem suum successorem, Philippum Ducem Aurelianensem, & Mariam Duci Brabantiæ nuptam; Secunda fuit Blancha filia Regis Ludouici Mutin, ex qua filiam tantùm posthumam habuit nomine Ioannam: Anno 1346 bellum Anglicanum reuiuiscit, tunc Gallis in mari funestum, & in generali conflictu ad oppidum Crecy: Anno verò sequenti Rex obtinuit Delphinatum ab Imberto Comite Valentino: Tandem Rex cognomento Catholicus ob pium erga Ecclesiam & eius immunitatem affectum, moritur
anno

anno 1350. & apud S. Dionysium sepelitur. Cui successit Ioannes primogenitus, Rex coronatus die 26. Septembris eiusdem anni: quatuor habuit filios & totidem filias; filij fuerunt Carolus V. eius successor, Ludouicus Dux Andegauensium & Comes Cænomanensium, postea Rex Siciliæ, Philippus Audax Dux Burgundiæ; & Ioannes Dux Bituricensium; Filiæ fuerunt Bona coniux Roberti Ducis Bari, Isabella nupta Ioanni Geleacio Duci Mediolanensi, Maria Regi Nauarræ tradita, & Ioanna Deo consecrata in monasterio: Generosus fuit, sed infelix, nam anno 1357. propè Pictauiam ab Anglis debellatus capitur, & in Angliam missus retinetur vsque ad annum 1360. quo liber rediit datis obsidibus duobus filiis Ludouico & Ioanne; cumque postea ad libertatem suorum obsidum in Angliam transfretasset, morbo corripitur, & die 8 Aprilis anno 1364. moritur, cuius corpus ad S. Dionysium refertur. Huic successit Carolus V. cognomento sapiens primogenitus, Rhemis consecratus eodem anno die 19. Maij cum sua coniuge Ioanna Ducis Borbonij filia, ex qua tres filios & filiam suscepit: Fuit eximiis dotibus ac virtutibus dotatus, in pace modestus, & in bello cum Anglis continuato generosus: factus optimi Regis exemplar subditos fouebat, & fratres diligebat; nam Philippo Ducatum Burgundiæ pro Turonia concessit, cui Margaritam Comitis Flandriæ filiam vnicam & hæredem accepit vxorem: Tandem moritur anno 1385. & sepelitur apud S. Dionysium. Successorem reliquit filium Carolum VI. cognomento Dilectum annorum ætatis 14. qui Isabellam Bauariæ duxit vxorem, ex qua quinque suscepit filios, & quatuor filias: ex filiis quatuor priores in teneris adhuc annis moriuntur, solus Carolus natu minimus patri superstes fuit: Hic Rex duplici successu plurimum in animo turbatur, & vix sui compos erat; nam dum contra Britanniæ Ducem procederet, in media silua inter Cenomanum & Andegauum sita vilem reperit homuncionem efferatum, qui frœnum equi regij arripiens ait; Quò progrederis? reuertere, proderis; tali occursu Rex omninò turbatur, & in hac
suspicione

ſuſpicione proditionis confirmatur, dum aliquis ex comitat
lanceam ſuam incautè ſupra galeam Regis inclinauit; ſe
ſecundo ſucceſſu penè cadit in delirium, dum in theatr
cum aliis curiæ Principibus Faunum repræſentans, ignem i
veſtibus villoſis & aqua vitæ litis concipit, & vix periculu
euaſit: Cum aliàs inter Duces Burgundiæ & Aurelianenſe
orta diſcordia fuiſſet, & Carolus Delphinus poſt violenta
necem illatam Aurelianenſi, Burgundo prædictæ necis re
ſimilem necem procuraſſet, mater eius Regina Burgund
partibus adhærens, ac proinde Carolo filio auerſa, Regis
ſimplicitate abutens, fecit quòd filium exhæredaret, &
liam Catharinam Henrico V. Angliæ Regi nuptam conſt
tueret hæredem; & ita fugato Delphino filio, generum i
Galliam vocat, & viuens adhuc introducit in regnum: a
tandem moritur anno 1422. die 21. Octobris.

Apud Saracenos ſiue Turcas Othomano ſucceſſit ann
1328. Orcan ſeu Vrcan eius filius, qui fratres perſequitu
Imperij limites vſque ad Helleſpontum dilatat; Nicean
Nicomediam, Philippopolim, Gallipolim aliaſque ciui
tes; ac totam Miſiam, Licaoniam, Phrygiamque occupa
& moritur anno Chriſti 1358. Cui ſuccedens filius Solim
Adrianopolim, Pergamum, aliaſque ciuitates vltra citraq
Helleſpontum, partemque Thraciæ biennio Imperij cap
& moritur anno Chriſti 1360. Cuius frater Amurath in Im
perio ſucceſſor Imperatorem Græcorum multis debilit
præliis, Theſſalonicam aliaſque plures ac celeberrimas ciui
tates capit, obtentiſque triginta ſeptem victoriis ſuum dila
tat imperium: Huic aliqui authores victorias ſui patri
Orcan & fratris Soliman attribuunt, imò etiam primum i
Europam traiectum: Fuit admodum crudelis, primogeni
tum enim filium Siaux Schelebi ſtrangulari fecit; tande
33. Imperij anno & Chriſti 1393. à quodam Chriſtiano La
zari Comitis Seraiæ famulo trucidatur. Huic ſucceſſit Baia
zeth dictus Gilderum, id eſt fulgur, qui vicinos terruit Prin
cipes, vaſtauit prouincias plurimas, cepit ciuitates Iconium
Cæſaream, Delphum & alias; Pannoniam & Boſniam pe
curri

currit, & anno Christi 1396. Rgem Pannoniæ deuicit, captusque fuit hoc prælio Ioannes Comes Niuernensis Philippi Ducis Burgundiæ filius, sed postea redimitur: Tandem Constantinopolim obsedit, sed aduentu Tamerlani soluit obsidionem, eique propè Ancyram occurrit, vbi victus captusque Imperium cum libertate amisit; nam in ferrea conclusus cauea miserrimam duxit vitam, ipsique Tamerlano equum ascensuro tanquam scabellum subiiciebatur: Tandem elapsis huius miseriæ & opprobrij duobus annis præ rabie caput ad ferreas crates allisit anno Christi 1400. vel secundùm alios anno 1403. Sex habuit filios, scilicet Mustafa Schelebi in prælio Tamerlani occisum, Isa siue Iosuë Schelebi, Emir Soliman seu Musulman, Musa seu Moyses Schelebi, Sultan Mahamet, & Casan Schelebi.

Apud Æthiopes hoc sæculo regnarunt Amdescon, Sepharad, Vdma Asfam, & Dauid.

Apud Persas post Regem Cassan successerunt anno Christi 1304. Cambaga; Deinde Carbandes frater Cassani, filius Christianæ mulieris, à qua baptizatus vocatur Nicolaus, sed mortua matre ad Mahometanos deflectit, filiumque innominatum successorem reliquit, quem sequitur Gempsa Parthus. Denique Tamberlan siue Tamerlan anno Christi 1369. ad regnum communi applausu populi propter insignes animi dotes assumitur, qui coacto ingenti exercitu regiones plurimas subiecit; cepit Aleppum, Damascum, & Babylonem; Farachem Sultanum Ægypti debellat, & Bajazeth Imperatorem Turcarum captiuum apud se cum opprobrio retinet, vt dictum est: Hic Tamerlan ex prosapia Magnorum Kan Tartarorum Oriundus dicitur, & moritur in principio sequentis sæculi.

Sub finem huius sæculi celebris esse cœpit Indiarum Orientalium monarchia: nam licet ibi semper proprij fuerint Reges, vt supra visum est in gestis Semiramidis, Cyri & Alexandri magni, & certa mentio fiat sancti Regis Iosaphat, quem S. Barlaham Eremita ab infidelitate ad fidem conuertit, & à regno ad eremum allexit spretis mundi deliciis: hoc tamen

tamen tempore Magni Mogores (qui omnes ferè Indi Orientales citra Gangem vel immediatè possident, vel tributarias habent) à magno illo Tamerlan recta linea procedere dicuntur : Dicitur Tamerlan quatuor procreasse filios, primogenitus fuit Ioon Guir, secundus Hamar Xequ tertius Miron Xa, & quartus Mirza Xarok. Primogenitus viuente patre moritur relictis duobus filiis, videlicet Mahamed Sultan, & Pir-Mahamed : Huic vltimo Indiarum regnum Tamerlan auus concessit, sicut Miran tertio filio concessit regnum Persidis, Xarok autem quartum filium post reliquit Imperatorem.

Apud Scothos regnare cœpit anno 1305. Robertus Brusius : quem anno 1329. sequitur Dauid II. Deinde consecutiuè succedunt anno 1370. Robertus II. Stuardus, & anno 1390. Robertus III. qui moritur confectus mœrore anno 1406. relicto Iacobo I. filio apud Anglos captiuo.

Apud Hispanos post Ferdinandum IV. sequitur Alphonsus XI. Deinde Petrus cognomento crudelis, Henricus II. Ioannes I. & Henricus III.

Apud Anglos Edoardum IV. sequitur Edoardus V. Deinde Edoardus VI. Richardus II. ab Anglis occisus, Henricus IV.

Apud Polonos post Vvenceslaum Bohemum Vvladislaus Lecticus recuperat regnum. Cui postea successit Casimirus III. cognomento magnus. Deinde sequuntur Ludouicus Hungarus, & Vvladislaus Iagellonius.

Apud Lusitanos Dionysio successit filius Alphonsus IV. Deinde Petrus cognomento Iustus eius filius. Cui etiam filius Ferdinandus successit : Hic vnicam reliquit filiam nomine Beatricem Ioanni I. Regi Castellæ nuptam ; propterea in Comitiis generalibus regni eligitur in Regem Ioannes filius illegitimus Petri & Magister Equitum d'Auiz, quia filiæ Regum exteris nuptæ à successione regni patriis legibus excluduntur, quam electionem confirmauit Vrbanus VI. electum Regem à votis absoluit.

In regno Neapolitano (quod & Siciliæ citra Pharum dicitur

dicitur) Carolo II. successerat Robertus, qui filium habuit nomine Carolum: hic viuente patre moritur nulla prole masculina suscepta, sed relictis tribus filiabus, Ioanna scilicet, Maria & Margarita: moriturus earum auus Robertus Ioannam primogenitam hæredem omnium suorum statuum & Reginam declarauit, cum hac conditione quòd Andreæ Caroli Martelli Regis Hungariæ filio nuberet: mortuo igitur Roberto regnat Ioanna, de qua multa diximus, quæ quatuor nupsit maritis, prædicto scilicet Andreæ, deinde Ludouico Principi Tarentino, Iacobo Majoricensi, & Othoni Brunsuicensi: moritura sine filiis naturalibus, adoptauit Ludouicum Andegaui Ducem filium Ioannis Galliæ Regis: Cui mortuo successit filius etiam Ludouicus.

Inter scriptores prophanos huius sæculi floruerunt Bartholus eximius Iurisconsultus, Franciscus Petrarca, Ioannes Bocacius, Ioannes Auentinus, Marcus Polus Venetus, Baldus & Angelus ac Petrus fratres eximij Iurisconsulti, & Ioannes Archiepiscopus Cantuariensis author Perspectiuæ communis.

Inter hæreticos huius sæculi fuerunt Begardi & Beguinæ in Concilio Viennensi damnati, & Ioannes Vvicleffus contra quem scripsit Noster Thomas Vvaldensis Doctor celebris.

Plures fuerunt hoc sæculo mirabiles successus Anno 1303. acus maritima à Flauio Melphitensi inuenitur. Anno 1309. Rhodus insula ab Equitibus S. Ioannis Ierosolymitani capitur. Anno 1312. Vniuersitas Aurelianensis à Philippo Pulchro erigitur. Anno 1314. tres apparent in cœlo Lunæ. Anno 1320. dicitur institutus Senatus Tholosanus, quia Senatus Regius antea vnicus & cum Rege deambulatorius, erat Parisiis fixus à tempore Philippi Pulchri, qui proinde remotioribus prouinciis prodesse non poterat. Eodem anno die 18. Maij, nocte sub sequente Dominicam Pentecostes, sub Pontificatu Ioannis XXII. Viterbij in Italia horribilis deuenit tempestas ventorum, imbrium, grandinum, fulgurum, fulminum, ac terremotuum, quæ singulos ciues domi reconditos,

ditos, ac præ nimio terrore prorsùs exanimes diu tenuit; sed vbi aliqui ad solatium aliorum conciuium consorti quærentes cautè fenestras aperiunt, aërem tenebrosum à spectris plenum adinstar ingentium coruorum ac vespertilionum intuentur, ac horribiles frementium dæmonum voces audiunt, *Infernus vos expectat, expectat vos infernus.* Tunc Beatissimam Virginem præcipuam ciuitatis protectricem implorant, quamuis dæmones velut irridentes dicerent, ipsam Virginem nolle eos iuuare, & proximam adesse eorum ruinam. Verùm apparet Deipara dulcissimum filium præ manibus gestans, quæ ciues hortatur vt ad suam imaginem in Ecclesia Trinitatis sitam recurrant; ac simul dæmonibus imperat, vt ex vrbe recedant dicens, *Ad loca tartarea legiones pergite vestra.* Ad hoc imperium dæmones ad Bullicamum conuolant, quò præcipites ruunt, quod vulgo dicitur abyssi puteus, cuius fundum non inuenitur, & magna calidissimæ ac ebullientis aquæ copia erumpit, ad vnum milliare ab ipsa ciuitate. Anno 1347. Yuo Britannus sanctorum Confessorum cathalogo scribitur; & à Clemente VI. Regi Galliæ priuilegium conceditur communicandi sub vtraque specie quoties voluerit, quo solet vti in die consecrationis suæ, & dum sumit Viaticum. Anno 1348. in quodam Bauariæ oppido propter anathema Ecclesiasticum fuit generalis sterilitas, tam in mulieribus, quàm in bestiis & plantis, donec post septem annos tolluntur censuræ. Anno 1349. grassatur pestilentia penè generalis incipiens ab Indiis, quam fluxus sanguinis extraordinarius & sacer ignis consequuntur. Anno 1356. fundatur Ordo militaris Stellæ à Ioanne Rege Galliæ. Et ad æmulationem instituitur, militaris Ordo S.Georgij, vulgo de la Iartiere à rege Angliæ. Anno 1360. Instituitur Vniuersitas Pragensis in Bohemia. Anno 1361. instituitur Vniuersitas Cracouiensis in Polonia. Anno 1370. fundatur Ordo Montis Oliueti. Et S.Birgitta obtinuit Auenione ab Vrbano V. confirmationem Ordinis à se fundati. Anno 1373. festum Visitationis instituitur ab Vrbano VI. Et tota Lithuania conuertitur ad fidem cum suo Principe Iagellonio.

Iagellonio. Ac Ordo Iesuatorum instituitur à S.Ioanne Colombano. Anno 1398. instituitur Vniuersitas Andegauensis cum multis priuilegiis. Anno 1330. Ludouicus Gonzaga Theutonicus stirpe Regia oriundus Mantuanæ ciuitatis principatum, vel electione populi, vel amicorum factione obtinuit, pulso Passerino Bonacosso priùs dominante. Cui successit Guido Gonzaga, Huic autem successit Vgolinus seu Hugolotus primogenitus, qui violenter à suis fratribus Frãcisco & Ludouico trucidatur anno 1361. Postea rebus pacificis Franciscus principatum obtinet anno 1376. ac triginta & vno annis dominatur, ductaque in matrimonium Paula Malarestæ Principis Arimini & Cesennæ filia, Ioanné Franciscum suscepit filium, quem moriens anno 1407. reliquit successorem. Hic cum viginti & septem annis dominatus fuisset, à Sigismundo Cæsare Mantuæ tunc existente status illius Marchio creatur, suoque filio Ludouico coniugem accipit Barbaram Ioannis Brandeburgi Marchionis filiam Imperatori ipsi volenti coniunctam affinitate: Post alios dominij triginta quatuor annos moriens Ludouicum successorem reliquit anno 1445.Hic prudentissimus, doctus & generosus à fratre Carolo turbatur; sed superior euadens,pulsoque fratre mira vixit pietate vsque ad annum 1478.quo moriens Federicum primogenitum reliquit successorem. Hic præstantia corporis & animi virtute decoratus bellica generositate floruit, moritur inchoato septimo dominationis anno relinquens ex Margarita coniuge Theutonica primogenitum Franciscum successorem anno 1484. quem alij vocant Ioannem Franciscum. Hic ducta Beatrice Herculis Ferrariæ Ducis filia, susceptisque liberis decimum quintum finiuit sæculum & decimum sextum inchoauit. Cui successit Federicus Gonzaga, qui sub Leone X. summo Pontifice contra Regem Galliæ militauit, ipsi remittens torquem aureum S. Michaëlis anno 1521. Dux creatur à Carolo V. anno 1530. Huic successit Franciscus filius, qui moritur 1550. successorem relinquens Guillelmum fratrem. Istum sequitur Vincentius filius 1587. Et hunc Franciscus filius 1612. Cui suc-

cessit Ferdinandus Cardinalis frater 1613. Deinde Vincentius vtriusque frater 1626. Deinde substituitur Carolus Dux Niuernensis filius Ludouici filij Federici primi Ducis Mantuæ. Cuius filius item Carolus Dux Rethelensis nubet Mariæ filiæ Francisci Ducis ex Margarita Sabaudiæ. Cui morienti successit filius.

DECIMVM-QVINTVM CHRISTI SÆCVLVM.

MOrtuum reliquimus Romæ Bonifacium IX. die 1. Octobris anno 1404. & viuentem Auenione Benedictum XIII. Cardinales Romani in conclaui constituti die 17. eiusdem mensis Octobris eligunt quendam Colmatium Sulmonensem in Aprutio virum dignissimum, qui Innocentij VII. nomen assumpsit, & sedit duobus annis & viginti diebus: In principio sui Pontificatus rebellionem Romanorum patitur, qui suos vt priùs volebant Tribunos, sed Viterbo Romam reuocato Pontifice se populus eius obedientiæ subiicit: Ad ipsum Benedictus legatos mittere voluit tollendi causa schismatis; Cui legationi cum renuisset Innocentius, murmurationem in sua curia causauit, & causam Benedicti iustificauit: Tandem moritur die 6. Nouembris anno 1406. & apud S. Petrum sepelitur. Cui Cardinales substituunt in die S. Andreæ Apostoli eiusdem Nouembris Angelum Corarium patria Venetum, qui perseuerante schismate, sub nomine Gregorij XII. sedit octo annis, septem mensibus & aliquot diebus, sub hac tamen conditione ab ipso iurata creatur, quòd se abdicaret Pontificatu, si Benedictus pariter seipsum abdicaret: Finxit in principio Gregorius se pro viribus pacem & vnionem Ecclesiæ procurare missis ad Benedictum legatis; Verùm illo tunc consentiente; & indictis Sauonæ vel Genuæ comitiis, mille artibus impedimenta quæsiuit: Cuius subterfugium videntes Romani Cardinales, & similiter Cardinales Auenionenses videntes Benedictum similiter paci repugnantem in Arago-
niam

niam fugisse, Pisas Hetruriæ ad concilium generale conueniunt, vbi citatos Gregorium & Benedictum, ac venire renuentes deponunt; & tunc Gregorio Ariminum, & Benedicto Paniscolam recedente, congregati Cardinales in conclaui Pontificem eligunt Petrum Philargium Cretensem Ordinis minorum, qui nomen Alexandri V. sumpsit die 26. Iunij anno 1409. Et quamuis penè totus orbis Christianus Alexandrum agnosceret; Hispani tamen, Scothi, & aliqui Galli sub obedientia Benedicti, & nonnullæ ciuitates Italiæ sub obedientia Gregorij perstiterunt; Vnde non cessauit, sed creuit potiùs schisma addito iam tertio Pontifice: Ad ipsum Pisis adhuc existentem venit Ludouicus Rex Neapolis, cuius armis & Romam, & alias ciuitates recepit, pulsis Ladislai competitoris Ludouici præsidiis; sed quia Vvenceslao Bohemiæ Regi in scriptis epistolis titulum Regis Romanorum dedit, Robertum iam electum offendit, qui plurimùm Alexandri authoritatem in Germania diminuit: moritur Alexander Bononiæ non sine veneni suspicione die 3. Maij anno 1410. Elapsis quindecim diebus eligitur Balthasar Cossa Neapolitanus sub nomine Ioannis XXIII. qui sedit quinque annis & quinque diebus: eius electioni cooperatus dicitur Ludouicus Rex Neapolis, qui postea electum Bononiæ visitauit; propterea eiusdem Ludouici partibus contra Ladislaum adhæsit: Mortuo Roberto Imperatore procurauit electionem Sigismundi de Luxemburgo Regis Hungariæ: sed ipso Imperatore nouo, Regibus ac Principibus Christianis conspirantibus, ab eodem Ioanne Concilium generale ad terminandum schisma Constantiæ indicitur celebrandum anno 1414 ad quod ipse accessit: Vbi de multis criminibns accusatus & conuictus deponitur à Pontificatu: Gregorius XII. citatus suam misit demissionem per Marchionem Malatesta, & creatur perpetuus Piceni Legatus: Benedictus pertinax deponitur: in hoc concilio damnantur & vltimo plectuntur supplicio, tanquam obstinati hæretici Ioannes Hus & Hieronymus de Praga anno 1416. die 30. Maij. Acceptata igitur Gregorij demissione voluntaria; acce-

ptata quoque ab ipsomet Ioanne die 11. Iunij anno 141
sua depositione. Et deposito Benedicto tanquam hæreti
& schismatico quòd nollet generali Concilio submitti; Ca
dinales in Concilio existentes congregati in conclaui, ad i
stantiam Sigismundi Imperatoris, anno 1417. die S. Marti
elegerunt Othonem Columnam Diaconum Cardinale
S. Georgij, qui propterea nomen Martini V. assumpsit,
die 22. Nouembris in Ecclesia Cathedrali Constantiæ coro
natur: Ipsum Gregorius agnouit, ipsum Ioannes Floren
adorauit; solus Benedictus noluit ipsum recognoscere; vnd
etiam eius Cardinales ad Martinum recesserunt, Benedi
deinceps in sola Paniscola cognito: Tunc Martinus Rom
ire decreuit; vnde iter per Sabaudiam, Pedemontium, Æm
liam, Bononiam & Florentiam instituit; & Florentiæ Bal
thasarem Cossam priùs Pontificem Ioannem, Benedicti Ca
dinales ad eum accedentes; & Emmanuelis Imperato
Constantinopolitani legatos suscepit: Tandem Romam pe
uenit die 22. Octobris anno 1421. vbi summa populi læti
suscipitur, ibi Ludouicum Andegauensem III. iterum Re
gem Neapolis instituit: Ad extinctionem Hussitarum, q
sub Zischa Duce in Bohemia potentes sæuiebant, Concili
Papiæ conuocauit, quod Senas postea transtulit, & bi
dissoluit, cum sciuisset Alphonsum Aragoniæ Regem
infensum, ob inuestituram Regni Neapolitani Ludoui
factam, oratores illò mittere, vt omni modo possibili ca
sam Benedicti tueretur, & nouum Concilium Basileæ p
septem annos celebrandum assignauit: Interim Benedict
Paniscolæ moritur, cuius Cardinales residui, ad instanti
Alphonsi Regis Martino infensi, Ægydium Munionem C
nonicum Barcinonensem eligunt Pontificem, qui primò cu
cti Pontificis munia exercuit, sed postea pace facta int
Martinum & Alphonsum, huius negotiatione Pontificatu
insignia dimisit, sublato penitùs schismate anno 1428. Ma
tinus igitur optimi Pastoris munus obiens, ditionem Eccle
siæ reparans, & ad futurum generale Concilium omnia di
ponens moritur apoplexia die 20. Februarij anno 1431.
apu

apud S. Ioannem in Laterano sepelitur. Huic Cardinales substituunt Gabrielem Condelmerum Venetum Ordinis Celestinorum, qui nomen Eugenij IV. sumpsit, & multas ob factionem Columnarũ perturbationes patitur, ac Romæ aliarumque ciuitatum rebelliones, quas tamen Venetorum auxilio subiugauit: Celebratur interim Basileense Concilium, quod morum præsertim reformationi vacans, multas contra Pontificis authoritatem format propositiones, maximè quod Concilium generale legitimè congregatum est supra Papam, & quòd Papa non potest concilium dissoluere vel transferre; Vnde peius aliquid timens Eugenius, occasione Ioannis Paleologi Græcorum Imperatoris & Prælatorum Orientis ad vnionem Ecclesiæ Latinæ aspirãtium, Concilium Basileense dissoluit, & nouum Ferrariæ conuocat, ad quod ipse se transtulit, & illud incepit solemnissimè anno 1438. ibique diligentia maximè Bessarionis tunc creati Cardinalis concordant in fide Græci cum Latinis; At propter pestilentiam Concilium Florentiam translatum absoluitur anno 1439. sed patres Concilij Basileensis translationem aut dissolutionem ab Eugenio factam despicientes, contra ipsum velut inferiorem procedunt, & citatum ac contumacem deponunt, & congregatis in hoc concilio Cardinalibus iniungunt, vt nouum eligant Pontificem, qui conuenientes eligunt Amedeum primum Ducem Sabaudiæ, qui ab anno 1434. vitam ducebat eremiticam propè Lausanam ciuitatem in loco communiter dicto Ripaille, quem Æneas Siluius nomine Concilij missus adduxit; nomen Felicis V. assumpsit; & ita XXX. schisma cœpit: solemniter coronatur anno 1440. coram duobus filiis Ludouico Duce Sabaudiæ, & Philippo Comite Gebennæ: Germani ex parte Felicis partibus adhærebant reliqui verò populi sub Eugenij obedientia perseuerabant, quamuis tam Nicolaus Panormitanus quàm Æneas Siluius illustres Iurisconsulti pro Concilij authoritate scripsissent, qui tamen postea sententiam mutarunt: sed Eugenius sua prudentia sic Germanos allexit ad suas partes, quòd anno 1446. missis ad eum Legatis obedientiam præstiterunt;

terunt : moritur tandem Pontifex die 23. Februarij an
1447. & apud S. Petrum sepelitur. Cui elapsis duodecim di
bus Cardinales substituunt Thomam Episcopum Bononie
sem, qui nomen Nicolai V. sumpsit : Fuit vir insignis &
gnus Pontificatu, quem assumpsit die 6. Martij anno 14
ad eius instantiam Federicus III. Imperator & Carolus VI
Rex Galliæ Parlamentum Lausanæ conuocarunt ad Eccle
schisma terminandum, quod tam feliciter processit, vt sim
congregatis Nicolai legatis & Concilij Basileensis deputa
Felix abdicauit se Pontificatu; Cui propterea Nicolaus Ca
dinalatum contulit, & dignitatem Legati Apostolici in G
lia, Sabaudia & Germania, eiusque acta confirmauit; &
tollitur schisma, & Concilium Basileæ terminatur: Hic Po
tifex iam pacificus pacificandis principibus aliis studuit, B
nardinum Senensem Ordinis Minorum sanctis adscripsi
Iubileum anni quinquagesimi celebrauit cum tanta popu
multitudine, quòd plusquam ducenti in portis Ecclesiar
suffocati fuerint, & innumeri penè deciderint in Tyberi
Federicum III. Imperatorem cum Eleonora Coniuge fi
Regis Lusitaniæ & nepte Alphonsi Regis Neapolitani R
mæ coronauit die 9. Martij anno 1452. post multa pietati
publicæ vtilitatis opera, post magnificata scientiarum &
ctorum studia, moritur Romæ die 24. Martij anno 145
sepelitur apud S. Petrum. Cui subrogatur à Cardinalibus
8. Aprilis eiusdem anni Alphonsus Borgia, quamuis mu
Bessarionem Patriarcham Constantinopolitanum vellent
eius eximiam pietatem & doctrinam : Electus vocatur Cal
stus III. patria Valentinus in Hispania, cum esset annoru
75. Fuit Pontifex optimus, Ioannam d'Arc, vulgo Virgin
Aurelianensem, de qua dicetur infra, iniustè damnatam
Anglis, formato processu ad instantiam Petri & Ioann
fratrum eius, ab omni ignominia absoluit : Omni sollici
dine Principes tam Christianos, quàm etiam Mahome
nos contra Turcarum Imperatorem armauit, ipsumq
multis cladibus prostrauit : sanctorum numero adscrip
Vincentium Ferrerium Ordinis Prædicatorum, & Edm
du

dum Anglum: Et tandem moritur die 6. Augusti anno 1458. Cui successit die 19. Augusti eiusdem Æneas Siluius Senensis familiæ Picholomineorum sub nomine Pij II. vir doctissimus & prudentissimus, authoritatis Pontificiæ zelator, & assiduus belli sacri contra Turcas promotor: Plurimum profuit partibus Ferdinandi Regis Neapolitani, & moritur die 14. Augusti anno 1464. Cui die vltima eiusdem mensis Cardinales sufficiunt Petrum Barbe Venetum sub nomine Pauli II. quem Platina persequitur, sed iniustè propter iniuriam carceris ab ipso receptam: Hic Pontifex Præsentationis Beatissimæ Virginis festum instituit anno 1465. Principes Christianos contra Turcam suscitat, Georgium Bohemiæ Regem Hussitam declarat excommunicatum, & regno priuat quod Matthæi Regi Hungariæ adiudicat: Procurauit apud Ludouicum XI. Galliæ Regem Pracmaticæ sanctionis abolitionem, quam tunc impetrare non potuit, contradicente Senatu & Vniuersitate Parisiensi: Tandem moritur apoplexia Romæ die 28. Iulij anno 1471. cum Iubileum ad vigesimum quintum annum reduxisset, & sepelitur in Basilica Vaticana. Post eius mortem die 8. Augusti eiusdem anni eligitur Franciscus de Ruuere Ligur ex ciuitate Sauona, filius piscatoris, vir doctrinæ mirabilis, qui fuerat minister Generalis Ordinis Minorum & vocatur Sixtus IV. Dicitur suos nimium amasse, nam sex aut plures suos fratres aut nepotes ad Cardinalatum promouit, vnum ad Ducatum Vrbini, & alium ad Principatum Foroliuij sublimauit: Anno 1475. Iubileum celebrauit, iuxta reductionem à Paulo II. factam, quam ipsi nonnulli attribuunt: Cum inter ipsum & Mediceam domum Florentinam inimicitiæ sæuirent, dicitur consensisse coniurationi factæ contra Laurentium & Iulianum de Medicis, in qua Iulianus occiditur, & euasit Laurentius: ipsosque coniuratores Florentia pulsos, Bartholomeum Saluiatum, Franciscum Pazzium, & Bernardum Bandinum sub sua protectione recepit; vnde multa cum Florentinis dissidia, & inter alios Principes Italiæ fouit, quæ Turcis inuadendi Hidruntum occasionem dederunt,

Bonauenturam Ordinis Minorum Doctorem Seraphicum inter sanctos retulit : multa publica fecit opera, Romam ornauit, quàm plures reparauit Ecclesias & tandem moritur die 12. Augusti anno 1484. ac sepelitur apud S. Petrum. Cui successit die 29. eiusdem mensis Ioannes Baptista Cybo Genuensis, & communi voce electus vocatur Innocentius VIII in principio Pontificatus partialitates Italiæ à Sixto prædecessore suo suscitatas studuit componere, & omnes Christianos Principes contra Turcam vnire; Leopoldum Austriæ Ducem inter sanctos declarauit anno 1485. Neapolitanis contra Ferdinandum Aragoniæ rebellantibus, & ad Pontificem tanquam ad absolutum Dominum recurrentibus, contra ipsum bellum mouit, & Renatum Lotharingiæ Ducem velut legitimum illius regni hæredem ad coronam suscipiendam vocauit; sed hoc admodum negligente pacem init cum ipso Ferdinando : Columnas & Vrsinos Romæ composuit : Lanceam S. Longini, quæ latus Christi perforauit ab Imperatore Turcarum Bajazeth in munus recepit, vt suum fratrem Zizimi benè custodiret, ne fugiens ex Italia Turcicum turbaret imperium : Tandem amator pacis moritur die 25. Iulij anno 1492. & apud S. Petrum sepelitur. Huic sufficitur Rodericus Borgia Valentinus Calisti III. ex sorore nepos sub nomine Alexandri VI. de quo plura sed mala referunt authores : nam muneribus & promissis dicitur Pontificatum procurasse : Valentino Borgiæ filio naturali suo primum detulit Cardinalatum, deinde sæculares procurauit dignitates : Ferdinando Aragoniæ Regi nomen Catholici concessit ob multas de mauris relatas victorias, & noui mundi possessionem : Voluit se Carolo VIII. Galliæ Regi ad regnum Neapolitanum tendenti opponere ; sed cum ipso Romam adueniente cogitur pacem inire, quam postea non seruauit : Cum mortuo filiorum naturalium primogenito Duce Gandiæ, Valentinum secundogenitum ad dignitates promouere vellet, petiit à Federico II. Rege Neapolitano, vt ipsi filiam suam cum Principatu Tarentino pro dote in matrimonium traderet, quod cum impetrare non potuisset, contra

contra eum Ludouico XII. Rege Galliæ fœdus init, qui eidem Valentino Ducatum Valentiæ, & filiam Alani Albreti coniugem dedit; Et tunc ad maiora aspirans voluit Cæsar Borgia appellari: Armis igitur Ludouici potens multas dictionis Ecclesiasticæ ciuitates recuperat, occisis eorum tyrannibus, sed ob crudelitatem Italis inuisus acquisitas amisit ciuitates, & cum venenum multis Cardinalibus sibi suspectis in conuiuio parasset, incuria Pincernæ dato Pontifici venenato vino mortem ei attulit die 18. Augusti anno 1503. ipse verò periculum potati veneni euasit, quia robustior: Hic Pontifex publicè comburi iussit Hieronymum Zauanarolam Ordinis Prædicatorum Florentiæ, quia vitia eius arguebat, cuius mortem innocentem & sanctam S. Franciscus de Paula in quadam epistola prædixit.

Sub prædictis Pontificibus celebrata sunt aliquot concilia, præsertim generalia, de quibus iam mentio facta est. Anno 1409. Pisanum ad tollendum schisma, in quo depositis Gregorio XII. & Benedicto XIII. eligitur Alexander V. Anno 1414. cœptum Concilium Constantiense, & terminatum anno 1418. in quo prædictis iterum depositis, ac simul Ioanne XXIII. eligitur Martinus V. & condemnantur Ioannes Hus & Hieronymus de Praga. Anno 1431. Concilium Basileense terminatum anno 1449. in quo eligitur Felix V. sed reprobatur sessione II. Concilij Lateranensis vltimi. Anno 1438. cœptum Ferrariæ Concilium generale, & ob pestem translatum Florentiam, vbi terminatur anno 1439. præsidente Eugenio IV. Pontifice, assistente Ioanne Palæologo Orientis Imperatore cum Iosepho Patriarcha Constantinopolitano & aliis Præsulibus Ecclesiæ Græcæ; vbi facta est tam Græcorum quàm Armenorum vnio cum Ecclesia Latina, cui plurimum cooperati sunt Bessarion de Trebizonda Nicenus Archiepiscopus, & Isidorus Thessalonicensis Archiepiscopus Ruthenorum, ideò creantur Cardinales. Anno 1449. Concilium Lugdunense, in quo terminatur schisma inter Nicolaum V. & Felicem V.

Inter Patriarchas Constantinopolitanos post Anto-

nium III. ſequuntur Calliſtus II. Euthymius II.& Ioſephus qui moritur in Concilio Florentino, poſt factam, imò ſua manu ſcriptam hanc fidei profeſſionem, Credo quicquid credit ſancta Romana vetus Eccleſia; addidit veterem Romanam ad æquiuocationem tollendam, nam Conſtantinopolis vocatur noua Roma. Poſt Ioſephum eligitur Gregorius II. Deinde quamuis Beſſarion Cardinalis fuerit electus huius Eccleſiæ Patriarcha, & poſt hæc vixerit 20. annis electus à Nicolao V. non tamen ibi reſedit: Et ita poſt captam à Turcis Conſtantinopolim anno 1452. Gregorio ſufficitur Gennadius Scholarius à Græcis. Poſtea ſequuntur Sophronius, Symeon, Maximus, Niphon, & Pachomus.

Inter ſacros huius ſæculi ſcriptores floruerunt Petrus d'Aliaco Epiſcopus Cameracenſis & Cardinalis, Ioannes Gerſon qui interfuit Concilio Conſtantienſi, & moritur Lugduni anno 1429. cum opinione ſanctitatis, Thomas à Kempis Canonicus Regularis, Ioannes Capreolus Tholoſanus Ordinis Prædicatorum, S. Vincentius Ferrerius, Alphonſus Toſtatus, S. Bernardinus Senenſis, B. Laurentius Iuſtinianus, Noſter Thomas Vvaldenſis Carmelita Anglus, Paulus à S. Maria Burgenſis Epiſcopus, Mattheus Palmerius Chronologiſta, S. Antoninus Florentinus, Henricus Harphius, Ioannes de Turre-cremata, Petrus de Natalibus, Baptiſta Platina, Æneas Syluius qui fuit Pius II. Ioannes Baſſolis Vvernerus Carthuſianus, Ioannes Picus Mirandulanus, Ioannes Trithemius Abbas, & Noſter Baptiſta Mantuanus Doctor & Poëta inſignis, Generalis totius Ordinis, cuius ſanctitatem corporis incorruptio hactenus perſeuerans teſtatur.

Præter adductos floruerunt ſanctitate B. Colletta reformatrix Ordinis ſanctæ Claræ, S. Franciſca Vidua Romana, B. Ioannes Capiſtranus Ordinis Minorum, S. Didacus Complutenſis, & B. Catharina Bononienſis incorrupta.

Quantum attinet ad res prophanas, reliquimus Imperantem in Oriente Emmanuëlem II. Cui anno 1418. ſucceſſit eius filius Ioannes Palæologus, quem diximus ad Eugenium

nium IV. accessisse vt contra Turcas auxilium peteret: interfuit Concilio Florentino, & moritur anno Christi 1441. Cui successit frater Constantinus XI. Palæologus eiusdem Emmanuëlis II. filius, qui vsque ad annum Christi 1452. vel 53. imperat, in quo capta à Turcis Constantinopoli, & ipso Constantino occiso Romanorum Imperium in Oriente cessauit.

In Imperio Occidentis Robertum Bauariæ sæculo præcecedenti vidimus imperantem, qui dum Florentinis auxilium laturus contra Galeatium Ducem Mediolani procedit, debellato exercitu recedere cogitur. Huic anno 1410. sufficitur Sigismundus Luxemburgensis Hungariæ & Bohemiæ Rex, qui cum esset admodum pius ad tollendum Ecclesiæ schisma Concilium Constantiense procurauit, & contra Turcas perpetuum bellum gessit: Italiam pro viribus pacificare studuit: Tandem senio confectus moritur in Morauia anno Christi 1437. Imperij sui 26. Cui prima die anni 1438. successit Albertus II. Austriacus eius gener, non solùm in eius regnis, sed etiam in dignitate Imperiali: Fuit non solùm generosus, sed etiam piissimus: non compleuit secundum Imperij annum, & relicta Elisabeth vxore prægnante moritur, & ad Albam Regalem delatus sepelitur; Cui natus est filius posthumus nomine Ladislaus Hungariæ Rex. In Imperio autem successit Federicus III. item Austriacus, qui ducta Eleonora Lusitani Regis filia; Romæ cum illa coronatur à Nicolao V. Pontifice: procurauit bellum sacrum contra Turcas, sed velut ignauus à Principibus Christianis despicitur, imò à Matthia Hungariæ Rege bello fatigatur: Antequam moreretur Maximilianum filium Romanorum Regem electum vidit, quem post 53. annos imperij successorem habuit moriens anno Christi 1493. Hic Mariam Burgundiæ hæredem ducens vxorem ex ea genuit Philippum I. Hispaniæ Regem ex Ioanna coniuge: Vnde domus Austriaca prius tantùm Germana, cœpit esse & Hispania, Belgiumque vnitur Hispaniæ: 25. annis imperauit vsque ad annum Christi

Christi 1519. quo eligitur Carolus V. eius ex Philippo filio nepos.

Apud Gallos anno 1422. post mortem Caroli VI. debuit iure naturali filius eius Carolus VII. succedere: sed vidimus ipsum à patre regno priuatum & expulsum, Henricum verò V. Angliæ Regem velut hæredem in Gallia receptum: Dolebant boni Galli se legitimo Rege priuari, & extraneo subiici; Vnde plures Galliæ Principes ipsi adhæserunt, quorum auxilio die 22. Octobris prædicti anni regnare cœpit in vrbe Bituricensi, cui parebant prouinciæ vltra Ligerim: Cum in principio regni Ducem Burgundiæ infensissimum hostem haberet, ob necem patris, ac proinde confœderatum Anglis, ad extremas reducitur angustias: Verùm missa Diuinitùs ad eum Ioanna d'Arc Virgine pia, debellantur Angli, soluitur obsessio ciuitatis Aurelianensis, & Rex ipse Rhemos perductus consecratur; Vnde deinceps tam prosperè processit, quòd anno 1436. ciuitas Parisiensis ad eius rediit obedientiam, sicut anno 1449. ciuitas Rhotomagensis, in qua prædicta Ioanna tanquam venefica priùs fuerat ab Anglis cremata, formata processu iniquo: Et ita paulatim variis Anglos contriuit victoriis, maximè postquam pacem iniit cum Burgundis: Duxerat vxorem mariam Ludouici II. Regis Neapolis filiam, ex qua suscepit duos filios, Ludouicum & Carolum, & quatuor filias: Fugiente Ludouico filio ad Ducem Burgundiæ, multas patitur molestias & tandem moritur multis cumulatus victoriis & ideò Victor nominatus, in prouincia Bicturicensi die Sanctæ Mariæ Magdalenæ anno 1460. Monitus in Flandria Ludouicus eius primogenitus statim accurrit, & die 15. Augusti sequentis coronatur Rhemis 38. ætatis anno: Duas habuit vxores, Margaritam Regis Scothiæ filiam, & Carolam Ducis Sabaudiæ filiam, ex qua plures filios suscepit: soluta pecunia Comitatum Rucinonis emit ab Aragoniæ Rege, & oppigneratas à patre plures Picardiæ ciuitates dato pretio recepit: Coniurantibus contra ipsum regni Principibus,

bus, tam prudenter omnia gessit, quòd dissoluto inter eos fœdere sigillatim postea rebelles puniuit, & præcipuè Comitem S. Pauli totius rebellionis authorem, cui caput iussit amputari: Mortuo fratre Carolo, qui rebellionis occasionem dabat, pacificè regnat, & anno 1470. Carolum Principem in Castello Ambasiæ suscepit: Cum sub finem vitæ in morbum languidum incidisset, S. Franciscum de Paula ex Calabria accersit, vt sibi sanitatem concedat: moritur tandem die 30. Augusti anno 1483. Cum ordinem militarem S. Michaëlis instituisset, & cursores ordinarios per totam Galliam stabilisset. Illi successit Carolus VIII. tunc vnicus eius filius, cum 13. esset annorum: Composito priùs regno Annam Britanniæ hæredem duxit vxorem Imperatori Maximiliano promissam, remissa Margarita eius filia sibi desponsata, duplici eiusdem Maximiliani iniuria: Ad recuperandum Neapolis regnum cum potenti exercitu totam facilè percurrit Italiam, aduersantem sibi Pontificem Alexandrum VI. sua potentia coërcuit, regnum Neapolis quàm citiùs acquirit, & coniurantibus postmodum in eum cum Pontifice Regulis Italiæ, Galliam itinere terrestri repetiit, partim superatis, partim delusis hostibus ad forum nouum propè Tarrhum fluuium: Die 12. Maij anno 14 5. fuerat Neapoli Rex coronatus: sed cum in Galliam rediisset, incuria sua regnum acquisitum perdidit; & cum Ambasiæ ludentes pila aspiceret, apoplexia moritur die 7. Aprilis anno Christi 1498. regni 14. nullum relinquens filium. Propterea Ludouicus XII. Dux Aurelianensis, primus Principum sanguinis ad regnum assumitur, & die 27. Maij eiusdem anni Rhemis consecratur: Duxerat Ioannam Franciæ in vxorem, sed soluto Pontificis authoritate matrimonio, duxit Annam Britanniæ viduam Caroli; Ioanna verò mira sanctitate vixit, & clara miraculis moritur Bituricis anno 1505. Ducatum Mediolanensem, & statum Genuensem breui acquirit; Ludouicum Sfortiam in turri Bituricensi, velut perfidum, vsque ad mortem detinuit, Venetos multiplici clade debellauit: Regnum Neapolitanum inito fœdere cum Aragoniæ Rege acquirit, sed

ſed perfidia Ducum eius adiudicatam ſibi partem amiſit Claudiam ex Anna primogenitam Franciſco Valeſio Duci Engoliſmenſi & primo Principi ſanguinis tradidit vxorem Orta cum Iulio II. diſcordia bellum in Italia geſſit : mortua Anna coniuge tertiam duxit Mariam Angliæ Regis ſororem; ſed non multò poſt moritur Pariſiis die 1.Ianuarij anno 1515.regni 17. ætatis 56.

Apud Saracenos ſiue Turcas Iſa ſiue Ioſue Bajazeth primogenitus poſt mortem patris imperium ſuſcipit, & diſſipatum reſtaurat : ſed à fratre Muſa ſiue Moyſe captus occiditur 4. imperij anno. Tunc Emir Solyman ſiue Muſulman Adrianopoli ſalutatur imperator, cum eſſet ſecundogenitus & fratrem Moyſen perſequitur : In principio mira facit in bello, ſed poſtea deliciis occupatus occiditur in quodam oppido anno Chriſti 1412. imperij 7. Et ita ſucceſſit Muſa ſiue Moyſes Schelabi frater eius, qui multa generosè exequitur; ſed à Mahomet fratre ſuis prodentibus capitur, ac eius iuſſu ſtrangulatur anno imperij 4. Mahomet igitur quartus Bajazeth filius imperium Turcarum tot inteſtinis bellis penè deſolatum ad priſtinam gloriam reduxit : Pontum, Capadociam, aliaſque prouincias debellauit, Anatoliam recuperauit; Seruiam, Boſniam, Valachiam, partemque Epiri, Macedoniæ ſubiugauit; ſedem Imperij Burſia tranſtulit Adrianopolim, vbi moritur anno Chriſti 1422. Imperij 8. Filius eius Amurath II. ſuſceptum imperium nouis auget victoriis : Capit Theſſalonicam, Sophiam aliaſque ciuitates, imo totam Moream, & reliquam Epiri partem; Ioannem Caſtriot ad dandam ciuitatem Croyam proprioſque filios coëgit; ex quibus Scanderbegh ſeu Alexander magnus, æui ſui generoſiſſimus multis victoriis Turcas ſuperauit, & patrimonium ſuum eis eripuit; Vnde afflictione ac rabie Amurath ipſe interiit anno Chriſti 1451.Imperij 30. Succeſſit ei ſuus filius Mahometh II. ex Irene ſuſceptus, qui 21. ætatis anno ſuſcipiens imperium anno Chriſti 1453.Conſtantinopolim obſidet & capit : multas expeditiones aggreditur contra Græcos, Panonios, Tranſſiluanos, Venetos & alios; Cumque

que plures ciuitates & prouincias imperio adiecisset, moritur propè Nicomediam anno Christi 1482. Imperij 31. Tunc eius filius Bajazeth II. expulso fratre Zizimi successit, qui plures inuadit ciuitates, videlicet Tarsum Ciliciæ, Lepantum, Dyrrachium, aliasque: Tandem à filio Selim interficitur veneno, vt creditur, anno Christi 1512. Imperij 30.

Apud Æthiopes huius sæculi Reges numerantur sequentes, Theodorus, Isaac, Andreas, Hesbinaam & Andes fratres, Zaran-Iacob, Bethenariam, Schender seu Alexander, Amdeseon, & Nahud.

Apud Persas Tamerlano patri successit Miron siue Tzochius siue Trochius, qui 22. annis regnat. Postea sequitur Tzochius II. qui 18. regnat annis: Tandem Trauires siue Trauises vltimus Rex ex prosapia Tartarorum. Post ipsum Vsumcassanus ex Turcarum propagine regnum Persarum occupat: Cui succedunt Iacuppus siue Iacobus, Tulanerus, Baysingirus, Rustanus, Agniatus, Carabes & Acuantes vsque ad principium sequentis sæculi; vltimus enim moritur anno Christi 1514.

Apud Indos Orientales Pir-Mahamed ab auo Tamerlano Rex constitutus occiditur à Pir-Aly. Vnde Abusayd filius eius successit anno Christi 1463. qui vocatus ad regnum Persidis, ab Vsumcassano intra montes propè ciuitatem Tauris inclusus cum exercitu, ad extremas famis miserias reducitur; cumque fuga conaretur euadere, capitur & occiditur anno Christi 1467. Tunc eius filius Hamed successit, & cum 28. annis regnasset, moritur anno Christi 1495. Cui successit nepos dictus Babor, de quo sequenti sæculo.

Apud Scothos Iacobus I. patri Roberto III. succedens, ab Anglorum captiuitate rediens in Scothiam coronatur anno Christi 1424. Cui postea successit Iacobus II. eius filius anno Christi 1436. Deinde huic tormenti bellici disrupti particula occiso successit eius filius Iacobus III. anno Christi 1460. Et isti filius etiam Iacobus IV. anno 1488. sufficitur, qui regnat vsque ad annum Christi 1513.

Apud Hispanos Henrico III. successit Ioannes II. Deinde

Henricus IV. & Ferdinandus V. cognomento Catholicus cum Isabella eius coniuge.

Apud Anglos Henrico IV. successit Henricus V. Deinde Henricus VI. Eduardus VII. Richardus III. & Henricus VII.

Apud Polonos Vvladislao Iagellonio successit Casimirus IV. pater sancti Casimiri. Deinde Albertus, tandem Alexander.

Apud Lusitanos, cum Ioannes I. prædicto medio in præcedenti sæculo Rex creatus regnum sibi traditum generosè defendisset contra Regem Castellæ titulo coniugis illud repetentem, ipsumque memorabili illa, Alijbarostæ victoria fregisset, pacificus deinde regnat; quæ victoria successit die 14. Augusti anno 1385. Huic igitur mortuo successit Edoardus eius filius. Deinde Alphonsus V. cognomento Africanus Edoardi filius. Alphonso successit filius eius Ioannes II. Cui sine filiis decedenti sufficitur Emmanuël germanus ipsius Ioannis II. siue filius patrui: Hic Indias Orientales misso Vasco de Gama, ac superato bono spei promontorio, suis nauibus frequentauit, & in vastissimis illis regionibus Euangelium disseminauit; de quo rursùs agetur sequenti sæculo.

In regno Neapolitano post mortem violentam Reginæ Ioannæ à Carolo Hungaro illatam, adoptatus ab ipsa Ludouicus Andegauensis Ioannis, Regis Galliæ filius, cepit armis illud de manibus eiusdem Caroli inuasoris eripere: sed morte præuentus filio item Ludouico II. adhuc paruulo Comitatum Gallo-prouinciæ, & iusdicti regni reliquit: Carolo Hungaro successerat in possessione huius regni Ladislaus filius, contra quem processit Ludouicus II. ipsumque debellauit die 25. Maij anno 1410. sed non benè vsus victoria rediit in Galliam tunc Anglorum vsurpatione turbatam: Mortuo Ladislao successit Ioanna soror eius anno 1413. in possessione regni, quod 21. annis tenuit: Sicut mortuo Ludouico II. successit in iure ipsius Ludouicus III. eius filius, quale ius & Pontifices, & Concilium Constantiense declara-

declararunt: Ioanna iam ſenex, cum ex marito Iacobo Comite de la Marche nullam prolem ſuſcepiſſet, Alphonſum Aragoniæ Regem aliquorum factione introductum, timore potiùs quàm amore filium adoptauit, à quo multa filiali retributione indigna, imò & exilium & carcerem paſſa eſt, quibus irritata ceſſionem regni Ludouico III. fecit, quod in partialitates Andegauenſium & Aragonenſium ex tunc diuiſum eſt. Mortua Ioanna anno Chriſti 1434. & ſimiliter mortuo Ludouico III. Andegauenſi ſucceſſit ad omnes eius ſtatus Renatus eius frater Dux Andegauenſis, ac ſimul Lotharingiæ titulo coniugis Iſabellæ, ex qua filium Ioannem ſuſcepit, qui nubens Mariæ Borboniæ Nicolaum procreauerat; ſed vtrique morienti ſuperſtes Renatus duas ex prædicta Iſabella ſuſceperat filias, quarum ſecundògenitam nomine Margaritam Henrico VI. Angliæ Regi deſponſauit, ex qua natus Edoardus occiditur, & ipſa per Ludouicum XI. Regem Galliæ ab Anglorum captiuitate ſoluto pretio liberata, in grati ſignum animi ſucceſſionem Renati patris eidem Ludouico ceſſit: Primogenitam autem Yolandam Renatus tradidit Ferry Lotharingiæ filio Antonij de Vaudemont auunculi ſuæ coniugis Iſabellæ, ex quo matrimonio natus eſt Renatus II. Dux Lotharingiæ poſt mortē prædicti Ioannis & Nicolai. Renatus ſenior moriturus Carolum Cenomani Comitem ex fratre ſuo Carolo nepotem tam Galloprouinciæ quàm regni Siciliæ vtriuſque reliquit hæredem, ex inſtitutione Caroli I. fratris S. Ludouici, qui Comitatum Galloprouinciæ vltrò fratri Carolo conceſſerat; Cum tamen ipſe Margaritam Raymondi Berengarij primogenitam, & Carolus Beatricem natu minorem duxiſſet; ſed hæc conceſſio continuanda tantùm erat in maribus, quamuis in Ioanna ſeniore Neapolis Regina diſſimulatum fuerit: Carolus Renato patruo ſuccedens, poſt annum videns ſe mortali morbo confectum, & ſine filiis decedere anno 1481. die 10. Decembris Ludouicum XI. Regem Galliæ ſuum germanum ex eadem inſtitutione dictorum ſtatuum hæredem reliquit: Alphonſus autem Rex Aragoniæ priùs à Ioanna II. adoptatus regnum Neapolis inuadens aduentantem Renatum & in ipſa vrbe regia plurium factione

ſuſceptum repulit:qui moriens abſque filiis legitimis, Ioannem fratrem Aragoniæ regni ſucceſſorem, Ferdinandum verò illegitimum ex concubina filium Neapolitani regni constituit hæredem, Cui poſtea ſucceſſit Alphonſus filius: Hic Caroli VIII. Regis Galliæ audiens aduentum in Inſulam Siciliæ traiecit, relicta filio Corona, filius autem eius Ferdinandus in Iſcham inſulam trepidus receſſit, ſed redeunte in Galliam Carolo Ferdinandus ſuorum factione regnum iterùm acquirit, & moriens abſque liberis Federicum patruum ſucceſſorem habuit; Cui Alexander VI. Pontifex inueſtituram regni conceſſit: Verùm aduemente in Italiam Ludouico XII. Galliæ Rege, qui cum ipſo Pontifice & Ferdinando Aragoniæ Rege fœdus inierat, cogitur & regnum & ſeipſum tradere; & ſic in Galliam ductus Andegauenſi Ducatu, & annua triginta millium aureorum penſione fruitur: Regnum ipſum Neapolis inter Gallos & Aragonenſes diuiſum, breui totum ab iſtis acquiritur, & vnitis Caſtellæ & Aragoniæ regnis ſub Ferdinando & Iſabella, nunc ſub Hiſpaniarum monarchia perſeuerat.

Inter ſcriptores prophanos huius ſæculi floruerunt Franciſcus Zabarella Cardinalis, Fla-Blondus hiſtoricus, Rodolphus Agricola, Pomponius Lætus, Ambroſius Calepinus, Alexander ab Alexandro, Felinus, Marſilius Ficinus, Ioannes Franciſcus Picus de Mirandula, Polydorus Virgilius, Raphaël Volaterranus.

Inter hæreſiarchas huius ſæculi fuerunt Ioannes Hus, Pikardus caput Adamitarum, & alij plures non ita noti.

Plura memoriæ digna ſucceſſerunt hoc ſæculo, præter iam adducta. Anno 1401. grauiſſima ſæuiit peſtis. Anno 1403. fundatur Vniuerſitas Herbipolitana. Anno 1404. Ordo Canonicorum S. Georgij Venetiis fundatur: Et anno ſequenti Feſulis Ordo mendicantium S. Hieronymi. Et anno 1408. Ordo S. Saluatoris Bononiæ, & Congregatio S. Iuſtinæ, quo anno fundatur Vniuerſitas Lipſienſis. Anno 1410. fundatur Vniuerſitas Ingolſtadienſis. Anno 1416. Amedeus Comes inſtituitur primus Dux Sabaudiæ. Anno 1418. Vniuerſitas Cadamenſis fundatur: Et anno 1427. Vniuerſitas Louanienſis,

ſis:Et anno 1431. Vniuerſitas Pictauienſis. Anno 1425. vſus tormentorum bellicorum primò videtur in Gallia, dum Comes Montis-Acuti illis vtitur ad obſidendum Cenomanum. Anno 1433. Ordo S. Ambroſij ad nemus fundatur: Et Diuionem Inſulis Flandriæ transfertur ſacra Hoſtia, quæ à quodam Iudæo percuſſa ſanguinem emiſerat. Anno 1440. reperta à Ioanne Guttemberg dicitur Argentinæ Typographia. Anno 1445. triginta millia Turcarum à Chriſtianis occiduntur Adrianopoli. Anno 1448. Solis defectio ſuccedens quarto Kalendas Septembris hora ſexta multa prænuntiauit infortunia, vt vniuerſale penè bellum in ipſomet anno, & biennio ſequenti generalem peſtilentiam, quæ de multis paucos reliquit. Anno 1450. Friburgenſis Vniuerſitas fundatur: Et terremotus in toto regno Neapolitano tam terribiles fuerunt quòd Arrianum ciuitas penitùs fuerit abſorpta, Cara ſubuerſa, & Neapolis ipſa omninò concuſſa diſciſſis omnibus fermè ædificiis. Anno 1452. Illuſtris Domina Margarita Carna ex Regibus Ieroſolymitanis orta, & Hectori de Luſignano nupta veniens ab oriente in Galliam, ſacram Chriſti Sindonem Camberij Ducibus Sabaudiæ reliquit: ſed anno 1578. occaſione S. Caroli cauſa deuotionis pedeſter accedentis ad illam, vt iter breuius eſſet, transfertur Taurinum, vbi hactenus retinetur inſignibus miraculis clara. Anno 1452. Vniuerſitas Valentina in Gallia fundatur. Anno 1453. Senatus Gratianopolitanus erigitur, quo Danubius inundans adiacentes Germaniæ & Hungariæ ciuitates vaſtauit: Ac moritur B. Ludouicus Arelatenſis Archiepiſcopus & Cardinalis vir doctiſſimus, qui Baſileenſi Synodo præfuit, ad cuius ſepulchrum multa fiunt miracula. Anno 1456. Feſtum Transfigurationis inſtituitur. Anno 1459. Vniuerſitas Baſileæ fundatur. Anno 1473. inſtituitur Ordo Minimorum. Anno 1475. Padus, Tyber, ac alij Italiæ fluuij pluuis exundantes multa cauſarunt damna, & poſtea peſtem ſubmerſorum animalium putrefactione. Anno 1476. Carolus Burgundiæ Dux vltimus Nancei occiditur, & Ducatus Burgundiæ regno Galliæ rursùs vnitur: Et Diuione Senatus erigitur: Anno 1477. fundatur Vniuerſitas Tubingenſis. Quo menſe Iulio ſolis ecclypſis accidit, &

sæuiſſimam cauſauit peſtem in regione præſertim Veneta &
Mantuana, vbi præceſſerat maxima locuſtarum multitudo
quæ cunctos corroſerat agros. Anno 1479. Heluetij fiunt ſti-
pendiarum Galliæ. Anno 1482. Vniuerſitas Moguntina fun-
datur. Anno 1484. floret Vniuerſitas Dolana. Anno 148
Ioannes L'Anglois Pariſiis viuus comburitur, quia conſecra-
tam hoſtiam de manu celebrantis rapuerat: ſicut poſtea an-
no 1503. ob idem ſacrilegium Pariſiis etiam viuus combur-
tur Hemon à Foſſa. Anno 1492. Iudæi exulant ab Hiſpania.
Anno 1499. Senatus Rhotomagenſis erigitur à Ludouico XII.
qui Burdegalenſem etiam erexit. Et ſeptuaginta Turcarum
millia fame, frigore & internecione delentur in Ruſcia. An-
no 1500. quidam Iudæus nomine Lemlen cæteros decepit
dicens ſe Chriſtum Meſſiam eſſe. Quo anno Iudæi omnes de
Luſitania expelluntur; quorum maxima pars fictè Chriſtia-
nam fidem amplectens neceſſitate compulſa multum regno
damnum intulit, dum hæreditaria ſucceſſione cuncti ex illa
propagine deſcendentes in ſecreto Iudaïſmum profitentur.
Rutheni ſchiſmatici, dum ad amplectendam vnionem Eccle-
ſiæ compelluntur à Rege Poloniæ, ad protectionem Ducis
Moſcouitarum confugiunt. Dum Florentia eſſet Reſpublica,
inter alias nobiles familias Medicea fuit ſemper inclyta &
potentiſſima, & quæ hæreditaria penè ſucceſſione Rempubli-
cam adminiſtrauit: Inuenitur in ea Coſmas Medices, deinde
Petrus, poſtea magnus ille Laurentius qui moriẽs anno 1492.
tres reliquit filios, primogenitum ſcilicet Petrum in admini-
ſtratione ſibi ſuccedentem, Ioannem ſummum Pontificem
ſub nomine Leonis X. & Iulianum: Petrus venientem in Ita-
liam Carolum VIII. Regem Galliæ excepit; Cui cum Sarza-
nam, Piſas portumque Piſanum tradidiſſet, vt inimicus patriæ
expellitur: ſed anno 1530 Carolus V. Imperator ad inſtantiam
Clementis VII. ſummi Pontificis conſobrini prædicti Petri
(erat enim filius Iuliani ſenioris fratris Laurentij) domus
Mediceæ cauſam ſuſcipiens, eam Florentiæ glorioſiorem red-
didit; nam Alexandrum Clementis nepotem creauit Ducem,
ſuamque fecit generum tradita ei Margarita naturali filia.
Verùm Alexander anno 1534. à Laurentio de Medicis con-
ſanguineo

sanguineo sub prætextu libertatis patriæ noctu trucidatur; Tunc Cosmas ex eadem domo subintrat in Ducatum, & statum Senensem occupat, ac magni Ducis nomen obtinet: Huic successit Franciscus filius; cui sine prole masculina decedenti (solam enim reliquit filiam nomine Mariam postea Reginam Galliæ) Ferdinandus frater deposito Cardinalatu successit: Qui filium Cosmam II. ex Christina Lotharingiæ reliquit successorem: Et hic Ferdinandum II. ex Archiducissa Austriæ filium, qui nunc dominatur ducta nepte in matrimonium ex sorore nupta Principi Vrbinati, ex qua iam filium successorem suum suscepit.

DECIMVM-SEXTVM CHRISTI SÆCVLVM.

MOrtuo Alexandro VI. credebatur Georgius d'Ambasia eligendus authoritate Ludouici XII. Regis Galliæ: sed eligitur Franciscus Picholomineus Pij II. ex sorore Laodamia nepos die 21. Septembris anno 1503. sub nomine Pij III. postquam sedes vacauit 6. mensibus & tribus diebus; sed quia tunc senex & infirmus erat post 26. dies Pontificatus moritur, 18. scilicet Octobris sequentis. Cui statim arte successit Iulianus de Ruuere Sixti IV. ex fratre Raphaele nepos, & vocatur Iulius II. electus die vltima eiusdem Octobris, vir admodum inquietus & nouitatum amator, qui cum Regis Galliæ authoritate sub Alexandri VI. persecutionibus protectus remansisset, factus Pontifex omni modo possibili Gallos, & piissimum eorum Regem Ludouicum XII. persequitur tam armis spiritualibus quàm materialibus: nam etiam contra fautores eius anathema tulit, quod causa fuit Ferdinando Aragoniæ inuadendi regnum Nauarræ, tanquam sibi percommodum: Voluit etiam Gallos ex tota pellere Italia, & ipsemet nonnunquam accedebat ad Castra: Contra ipsum Pisis conuocatur concilium, ad cuius elusionem ipse celebrauit Lateranense: Tandem in his tumultibus moritur die 20. Februarij anno 1513. & in Vaticano sepelitur. Cui sufficitur die 11. Martij eiusdem anni Ioannes de Medicis filius Lau-

rentij & Claricię de Vrsinis, cum vix 37. haberet annos, & vocatur Leo X. qui quamuis obstrictus Gallis plurib' beneficiis, iuxta tamen sui prædecessoris intentũ voluit eos expellere ex Italia, sed non statim à principio id tentauit, imò fœdus iniit cum Rege Francisco I. Voluit contra Turcam Christianos armare, & cruce signatos ac bello contribuentes indulgentiis donauit, sed abusus Colligentium contributiones ansam dedit schismati Germaniæ ac hæresi Lutheranæ: moritur die 1. Decembris anno 1521. nimio vt creditur gaudio, audiens captum Gallis Mediolanum. Cui successit die 7. Ianuarij anno 1522. Hadrianus Vltraiectensis filius Florentij Scenofactoriæ artis, qui Caroli V. Imperatoris præceptor fuerat, qui suum nomen retinens vocatur Hadrianus VI. Tunc erat Victoriæ in Cantabria, & audiens suam electionem venit Tarraconam, vbi die 3. Augusti mare conscendens venit Genuam, deinde Liburnum, & tandem ad Ostia Tyberina, vnde aduerso flumine defertur ad monasterium S. Pauli, & die sequenti quæ fuit 29. Augusti solemni pompa Romæ recipitur: Fœdus iniit cum Imperatore, Rege Angliæ, ac Principibus Germaniæ & Italiæ contra Franciscum Regem Galliæ die 3. Augusti anno 1523. sed die 19. Septembris immediatè sequentis moritur, & apud S. Petrum sepelitur. Cui post duos menses die 19. Nouembris subrogatur Iulius de Medicis filius Iuliani, quẽ supra vidimus occisum, ac proinde Germanus Leonis X. qui vocatur Clemens VII. statum Ecclesiasticum pacificauit; Voluit Regẽ Franciscũ cum Carolo V. Imperatore componere, sed non valens cum eodẽ Rege fœdus init, & postea affinitatem Massiliæ tradens Catharinam neptem filiam Laurentij de Medicis Iunioris & Magdalenæ de Bolonia filiæ Comitis Boloniæ Henrico secũdògenito Regis Duci Aurelianensi, qui mortuo primogenito nomine Francisco, successit in regno patri, quæ pia Clementis affectio erga Gallos postea punitur, dum adueniente Borbonio Roma capitur, & Pontifex in Castello S. Angeli obsidetur, diripitur Roma, & non nisi soluto centum millium aureorum pretio cessauit obsessio Pontificis: Hic Pontifex Henricum VIII. Angliæ Regem ob repudiatam Catharinam Hispaniæ Materteram Caroli V. & du-
ctam

ctam Annam de Bolen anathemate notauit, quod schismatis & hæresis Anglicanæ occasio fuit: moritur die 25. Septembris anno 1534. Huic statim successit eadem nocte Alexander Farnesius, qui vocatur Paulus III. vir ea dignitate meritissimus, qui pro viribus pacem inter Carolum V. & Franciscum I. procurans, ad hunc effectum Niciam ad Varum fluuiũ se contulit cum iisdem Principibus, inter quos inducias conclusit: Concilium generale Tridentinum conuocauit, quod cœpit die 23. Decembris anno 1545. Petro Ludouico fratri & Octauiano nepoti, qui Margaritam Caroli V. filiam illegitimam Alexandri de Medicis viduam duxerat, Ducatum Parmensem concessit, & obtinuit Placentinum, cui eximium Romæ palatium construxit: Societatem Iesv à S. Ignatio Loyola fundatam confirmauit; Cumque prædictum fratrem suum crudeliter occisum audisset, mœrore confectus moritur die 10. Nouembris anno 1549. Cui successit die 7. Februarij anni sequentis Ioannes Maria de Monte, qui fuerat Legatus ad Concilium Tridentinum, & vocatur Iulius III. qui in procuranda pace inter Carolum V. & Henricum II. Galliæ Regem laborauit, sicut & in tollendo Angliæ schismate, mortuo Rege Edoardo, & regnante Maria: moritur die 23. Martij anno 1555. Huic post aliquot dies sufficitur Marcellus Ceruinus, filius Roberti & Cassandræ Bentiæ mulieris piissimæ, in Montefano natus, qui nomen Marcelli retinuit, & fuit II. huius nominis, dum magnam sui expectationem dedisset in reformatione Ecclesiæ, moritur die 30. Aprilis, & 21. sui Pontificatus. Substituitur ei Ioannes Petrus Carraffa Neapolitanus, dictus Cardinalis Theatinus ab Episcopatu, qui congregationem huius nominis fundauerat, doctrina & pietate clarissimus: nomen Pauli IV. assumpsit, fuitque populo acceptissimus ob collata beneficia, & diminuta tributa, quamuis nepotum suorum insolentiis nomen Carraffa fuerit odiosum: multas patitur persecutiones à partialibus Caroli V. qui Pontificem contra regnum Neapolitanum cum Gallis conspirare dicebant; sed coacto præsidio, & auxilio Gallorum coniuratores coërcuit, & aliquos puniuit: Tyberis fluuius eius tempore inundans multa damna causauit: Mortua Ma-

ria sub Elisabeth de nouo præuaricatur Anglia : Ipse Pontifex facta cum Hispanis pace,& videns conclusam inter Henricum II. Galliæ & Philippum II. Hispaniæ , lætatur supra modum,sed breui postea moritur,scilicet die 18. Augusti anno 1559. Tunc vacauit Apostolica sedes 4. mensibus & 7. diebus , quibus elapsis Ioannes Angelus de Medicis eligitur, qui Pij IV. nomen accepit : erat Mediolanensis filius Bernardini de Medicis & Ceciliæ Sorbellanæ : Cum dissiderent in electione Cardinales,ingressa conclaue Columba,& circumquaq; volitans tãdem super eius cubiculum mansit:S.Carolũ Borrhomeum suum ex sorore nepotem creauit Cardinalem, Concilium Tridentinum absoluit , Romam multis ornauit ædificiis ; & ditionem Ecclesiasticam muniuit,extructis Rauennæ, Ostiæ,Anconæ, & ad centum cellas propugnaculis: Ordinem militarem S. Stephani in Hetruria confirmauit,sicut & præcedentiam Oratoris Christianissimi Regis super Oratorem Hispanum in Curia Romana : moritur die 9. Decembris anno 1565. Cum Sacramenta Ecclesiæ de manu S. Caroli nepotis suscepisset. Die 7. Ianuarij sequentis anni eligitur Michaël Ghislerius Ordinis Prædicatorum ex oppido Boschi propè Alexandriam Lombardiæ ; Vnde Cardinalis Alexandrinus vocabatur : Sub nomine Pij V.piissimè vixit,palatium Apostolicum,& etiam Cardinalium reformans: Contra Simoniacos & Confidentiarios fuit rigidus : Contra Turcam Principes Christianos armauit , de quo reuelatam sibi memorabilem victoriam ad Lepantum reportauit : Elisabetham Angliæ Reginam , vtpotè schismaticam & hæreticam , anathemate percussit : Nomen Magni Ducis Cosmæ de Medicis concessit, Collegium Papiæ fundauit, sicut & conuentum Prædicatorum in suo natali solo Boschi: Tandem moritur cum opinione sanctitatis die 1. Maij anno 1572. post mortem miraculis claret. Communi Cardinalium consensu Pio V. sufficitur Hugo Boncompagnus Bononiensis die 13. Maij & anni eiusdem sub nomine Gregorij XIII. Bellum contra Turcam prosequi voluit,sed turbatio Europæ propter hæreses tam sanctum opus impediuit,& Venetos ad ineundum cum Turcis fœdus coëgit : Vnde bonus Pontifex

ipsos

ipsos hæreticos insequitur, & pecuniarum subsidio, & constructis Romæ pluribus seminariis, vbi instruuntur iuuenes illarum nationum in quibus grassantur hæreses, multisque Romam monumentis ornauit, Calendarium Romanum reformauit subtractis decem diebus: Tam bonus & misericors fuit, quòd pro reis ageret, vt eos à suppliciis liberaret; quæ tamen indulgentia multiplicationis latronum causa fuit, qui Romam ipsam timore replebant: Tandem moritur die 10. Aprilis anno 1585. Cui populus Romanus æneam in Capitolio statuam erexit, in æternam tam boni Pontificis memoriam. Cui successit die 24. eiusdem mensis & anni Felix Perretus Ordinis Minorum ex Monte alto in Piceno, qui nomen Sixti V. assumpsit; Italiam latronibus siue Banditis purgauit, Romam magnificis pluribus vicis de nouo apertis, pluribus ædificiis insignibus, præsertim testudine vulgo Cupula Basilicæ S. Petri, Pyramidum & Columnarum erectione, maximi fontis adductione, Vaticanæ Bibliothecæ institutione, & aliis publicis monumentis ornauit: Lauretanam Ecclesiam à se constructam reddidit Episcopalem, Pontem supra Tyberim fundauit, & tot alia fecit mira, quòd simul omnes successores per plures annos ipsum spatio quinque annorum non æquauerint, & insuper quinque milliones aureorum pro magnis Ecclesiæ necessitatibus in Castello S. Angeli reclusit, Didacum Ordinis Minorum numero sanctorum adscripsit: Tandē moritur die 27. Augusti anno 1590. Illi substituitur Ioannes Baptista Castaneus Romanus ex patre Genuensi die 15. Septembris eiusdem anni, & nomen Vrbani VII. sumpsit: Vix electus in morbum incidit, & post tredecim dies 27. eiusdem mensis moritur. Cui successit Nicolaus Sfondratus Mediolanensis die 5. Decembris eiusdem anni sub nomine Gregorij XIV. qui confœderatos in Gallia Catholicos suis pecuniis & millitibus iuuit, penuriæ frumenti prouidit: Tandem post decem menses & totidem dies Pontificatus moritur 15. Octobris anno 1591. Cui sufficitur die 29. eiusdem mensis Ioannes Antonius Fachinetus Bononiensis, qui nomen Innocentij IX. accepit: sua probitate magnam sui spem dederat, sed moritur die 29. Decembris eiusdem anni. Cui post aliquam

altercationem sufficitur Hyppolitus Aldobrandinus die 30. Ianuarij anno 1591.& die 2. Februarij coronatur:Fuit patria Florentinus, qui zelo Catholicæ fidei Galliæ ab hæreticis turbatæ ex intimis visceribus compatiebatur, ad cuius bonum postea Henricum IV.absoluit:Rodulphum II.Imperatorem contra Turcas & pecuniis & auxiliaribus turmis adiuuit:Ruthenorum legatos humaniter excipiens totam gentem ad vnionem Ecclesiæ Romanæ admisit:Henrico IV.dissolutionem matrimonij cum Margarita Franciæ, nouamque coniugem Mariam de Medicis concessit: mira fecit alia tam in reformatione totius Ecclesiæ, quàm omnium ordinum religiosorum,cui nostra Discalceatorum reformatio plurimū debet,tum quia propriū ei generalem concessit,tum qui fundata congregatione noua per totum orbem dilatauit:Tādem eximius Pontifex moritur die 3. Maij anno 1605. Hiacinthū Ordinis Prædicatorum catalogo sanctorum scripsit.

Sub his Pontificibus plura sunt celebrata Concilia. Decimum septimum generale Concilium Lateranense V. sub Iulio II. cœptum anno 1511. & terminatum sub Leone X. anno 1517. Senonense anno 1528. pro reformatione & contra hæreses. Coloniense anno 1536. Decimum octauum generale Concilium Tridentinum cœptum anno 1545. sub Paulo III. & terminatum sub Pio IV. anno 1563. Augustanum anno 1548. Treuirense eodem anno. Coloniense anno 1549. Moguntinum eodem anno. Sicut & aliud Treuirense Mediolanense sub S. Carolo anno 1565. & quinque alia consecutiuè quolibet triennio celebrata, quorum vltimum fuit anno 1582. Aquilejense anno 1596.

Quamuis Orientales Christiani suos haberent Patriarchas, vix tamen aliquid de illis scimus. Inter Alexandrinos hoc sæculo reperimus Syluestrum Catholicum ac virum optimum, & Meletium hæreticum, cui successit Cyrillus. Inter Antiochenos inuenimus Ioachimum anno 1580. Et inter Ierosolymitanos Germanum anno 1583.Constantinopolitani verò fuerunt hoc sæculo Theolyptus, Ieremias, Dionysius, Ioasaph,Metrophanes anno 1563. Ieremias, cui expulso à Turcis substituitur Macharius:Deinde Mattheus,

cui depoſito ſubrogatur Gabriël, huic mortuo Theophanes poſtea Meletius: Huic ſucceſſit reſtitutus Mattheus, cui iterum pulſo ſufficitur Neophitus, & huic ſimiliter pulſo ſubrogatur tertio Mattheus: Huic morienti ſufficitur Raphaël, quo mortuo ſubintrat iterum Neophitus.

Inter ſcriptores ſacros huius ſeculi floruerunt Iacobus Almaynus, Franciſcus Ferrarienſis mortuus anno 1528. Conradus Ordinis Prædicatorum, Thomas de Vio Caietanus, Franciſcus de Victoria, Melchior Canus, Dominicus & Petrus de Soto, Alphonſus à Caſtro, Sanctes Pagninus, omnes hi ſunt Dominicani; Franciſcus Titelmanus, Sixtus Senenſis, Ludouicus Granatenſis, Alphonſus Cinconius, Dominicus Bannes, Bartholomeus Medina, Franciſcus Toletus, Gilbertus Genebrardus, & plures alij.

Floruerunt ſanctitate S. Franciſcus de Paula mortuus anno 1507. Thomas Morus & Ioannes Fiſcher cum innumeris martyribus aliis in Anglia. B. Ioanna à Cruce Ordinis S. Franciſci, B. Petrus d'Alcantara mortuus anno 1562. Catharina Genuenſis, S. Ignatius de Loiola, S. Franciſcus Xauerius, Catharina de Cordona Ordinis noſtri Carmelitarum, S. M. N. Thereſia mortua anno 1582. B. Felix de Cantalicio Capucinus mortuus anno 1587. S. Carolus Borromeus mortuus anno 1584. B. Paſchalis Ordinis Minorum mortuus anno 1591. Sicut & B. P. N. Ioannes à Cruce. S. Philippus Nerius anno 1595. B. Staniſlaus Koſtca, B. Aloyſius Gonzaga: Et plures alij in cunctis ordinibus religioſis; in noſtra etiam congregatione Diſcalceatorũ ex filiis & filiabꝰ S. M. Thereſiæ quàmplurimi.

Quantum attinet ad res prophanas; Vidimus ſæculo præterito terminatum in Oriente Romanum Imperium apud Græcos, capta à Turcis Conſtantinopoli. In occidente verò mortuo Maximiliano I. creatur Imperator Carolus V. eius ex filio Philippo nepos anno 1519. adhuc iuuenis, qui coronatur anno 1530. mira proſperitate imperauit vſque ad annum 1558. bellum penè continuum cum Gallis, & Germaniæ hæreticis, imò & cum Turcis geſſit, ipſemet maritima expeditione Tunetum in Africa cepit: ſub finem vitæ receſſit ad monaſteriũ S. Iuſti, vt ſe morti pararet, relicta imperij corona Ferdinando fratri,

fratri, suisque regnis & dominiis Philippo filio. Succedens igitur Ferdinandus I. imperat vsque ad annum 1564. Illi succedit Maximilianus II. filius, qui decem imperat annis. Cuius successor & filius Rodulphus II. eligitur anno Christi 1576. & imperat vsque ad annum 1612.

Apud Gallos mortuo Rege Ludouico XII. anno 1515 successit Franciscus I. Valesij & Engolismi Dux, primus Princeps sanguinis, qui aliàs Claudiam Ludouici Regis primogenitam duxerat vxorem, Renata verò eiusdem Ludouici ex Anna Britanniæ minor filia Duci Ferrariæ tradita est. Franciscus igitur Rex generosus Carolum Borbonium Comitem stabuli creauit, qui ex perdita lite quam cum Ludouica Sabaudiæ Regis matre gerebat, irritatus ad Regem Hispaniæ & simul electum Imperatorem Carolum V. proditoriè defecit, dum Rex ipse ad recuperandum Mediolanensem Ducatum procedit; quem breui recuperat: Borbonius ipse comparato Imperatoris exercitu Massiliam obsidet, sed generosè repellitur: Mediolanum proficiscitur ad eius obsidionem, sed aduolante illuc Rege Papiam recedit, ad quam Rex accedens in eius obsidione inito conflictu die S. Matthæi anno 1524. capitur, quia partem exercitus infelici concilio Neapolim miserat: Captiuus Madritum transfertur, sed anno sequenti die 24. Martij liber in Galliam rediit: pax sæpiùs inter ipsum & Carolum V. initur, & sæpiùs frangitur, ipseque Carolus cum potenti quinquaginta millium exercitu venit in Galloprouinciam, sed & Massiliæ & alibi penè deletum vidit, & accedente Rege cum paucis recedere cogitur: Tres habuit Rex filios, Franciscum primògenitum veneno sublatum, Carolum secundògenitum anno 1545. die 8. Septembris febre mortuũ, & Henricum suum successorem Tandem moritur die vltima Martij anno Christi 1546. regni 33 ætatis 53. Successit illi filius Henricus II. qui sequenti anno mense Augusto Rhemis consecratur: summa diligentia totum penè regnum visitat, ortas seditiones componit, iuramenta & blasphemias grauib⁹ pœnis prohibet: Auxiliares turmas in Scothiam misit in subsidium Reginæ Mariæ, & anno 1551 cum exercitu potenti in Germaniã procedit in auxiliũ Electorum aliorumq; Principũ

Metensemque

Metensemque ciuitatem capit; & anno 1557. Calatum cum aliis vrbibus Anglis eripit: Quamuis in bello Hispanico Augustæ Veromanduorum, vulgo ad S. Quintinum magnã exercitus stragem passus sit, ordinariè tamen fœliciter egit, innumeras penitùs vrbes capiens, quas breui inita pace cum Hispanis & Sabaudis restituit, contracta cum illis affinitate: Philippo Regi Hispaniæ tradidit Elisabetham primogenitã: Carolo Duci Lotharingiæ Claudiam secundògenitam: & Philiberto Emmanuëli Sabaudiæ Duci Margaritam sororem suã: Cumq; prædictarum nuptiarum occasione lanceis decertaret, vulneratur à Comite de Montgomery, & moritur die 10. Iulij anno 1559. Multos filios & filias ex Catharina coniuge susceperat: iam ab anno præcedenti die 24. Aprilis Francisco primogenito coniugem acceperat Mariam Stuart regni Scothiæ hæredem, quæ postea sub Elisabeth Angliæ Regina martyrio coronatur: Franciscus igitur die 18. Septembris eiusdem anni Rhemis consecratur: Propter insurgentes tunc hæreses turbatur regnum Galliæ, & ipse Rex Ambasiæ ab hæreticis vix liberatur, qui in eum coniurauerant, Annam de Bourg Senatorem Parisiensem hæreticum suspendio & flamma deleuit: Tãdem moritur die 5. Decembris anno 1560. Cumq; nullum reliquisset filium, successit ei Carolus fratrum maior natu Dux Aurelianensis Vndecimo ætatis anno, & die 15. Maij anno 1561. Rhemis consecratur, & sub tutela Catharinæ matris regnat: Vix cogitari potest quot tumultus & seditiones hæresis noua excitauit: Cum Antonius Borbonius pater Henrici IV. Rhotomagum obsideret, globulo catapultæ læsus moritur: Princeps Condeus frater eius hæreticorum caput tunc Parisios obsidet, sed recedere coactus post multa mala occiditur die 13. Martij anno 1596. propè Iarnacum: Rex maior effectus totum penè regnum visitat, ad seditiones ex hæresi procedentes componendas: & anno 1570. Elisabetham Austriæ filiam Imperatoris Maximiliani duxit vxorem: Anno 1571. moritur Ioanna d'Albret Regina Nauarræ die 10. Iunij, & Carolus Rex sororem Margaritam Henrico IV. eiusdem Ioannæ & Antonij Borbonij filio desponsauit; cumque hæretici harum nuptiarum occasione Parisios conuolantes aliquid contra Regẽ

&

& Catholicos omnes molirentur, in die S. Bartholomæi mandato Regis iubentur occidi Parisiis & in aliis ciuitatibus, inter illos præcipuus Gaſpardus de Coligni, qui mortuus mille iniuriis à plebe afficitur: Ex coniuge vnicam ſuſcepit filiam; filium quoque, ſed illegitimum ex alia nobili ſuſcepit, qui Comes Aruerniæ primò, deinde Dux Engoliſmenſis vocatus eſt, & ab hinc paucis annis moriens cum filio Comite d'Alais maſculinam Valeſiorum progeniem terminauit: Ipſe verò Carolus Rex moritur die 30. Maij anno 1574. Cuius mortem audiens Henricus frater, qui Rex Poloniæ electus in illis regionibus morabatur, ſuos deluſit arte Polonos, & contra eorum ſpem in Galliam fugiens hæreditarium regnum aſſumit, & Rhemis conſecratus Ludouicam Lotharingiæ Comitis Nicolai Vademontani filiam duxit vxorem die 15. Februarij anno 1575. Anno 1578. Ordinem militarem S. Spiritus inſtituit: Cum propter hæreſes turbatum eſſet regnum, & iuſſu Regis Dux Guiſius eiuſque frater Cardinalis Bleſſiæ fuiſſent occiſi, populus Pariſienſis conſpirat in Regem, qui fugiens Turonem illuc Curiam & Senatum tranſtulit, & coacto cum auxiliaribus turmis Henrici IV. Nauarræ Regis exercitu quadraginta quinque millium ad obſidionem Pariſiorum acceſſit, in qua occiditur die 1. Auguſti anno 1589. cultro percuſſus à Iacobo Clemente Ordinis Prædicatorum apud S. Clodoueum. Cumque filios non haberet, ante mortem ſuum declarauit ſucceſſorem Henricum Regem Nauarræ, tunc hæreticum, & vt talé à Sixto V. Pontifice declaratum & excommunicatum: Mortuo Henrico III. domus Valeſia defecit, quæ à S. Ludouico per Philippum primogenitum deſcendebat: Vnde ad proximiorem familiam regiam Borboniorum ex lege Salica regnũ pertinebat, quæ ab eodem S. Ludouico per Robertum filium Claromontij Bellouacenſis Comitem procedebat: Henricus igitur Borbonius legitimus ſucceſſor filius fuit Antonij Borbonij Ducis Vindocinenſis & Ioannæ d'Albret Henrici Regis Nauarræ & Margaritæ Franciſci I. Regis Galliæ ſororis filiæ: Ioanna ex odio contra Iulium II. Pontificem concepto, cuius cenſuris regnum Nauarræ patri ereptum amiſerat, nouis adhæſit hæreticis authoritatem Pontificis deſpicientibus,
&

& in eorum opinione filium Henricum enutriuit, quæ sola ipsi ad pacificam regni possessionem obstabat: Insurgunt enim in ipsum confœderati Catholici, & Dieppam vsque Normãniæ repellunt, sed acceptis à Regina Elisabeth Angliæ auxiliaribus turmis victor vbique potentiam firmat, & abiurata tandẽ hæresi, ac Ecclesiæ recõciliatus à Clemente VIII. totum obtinet regnũ mirabili prudentia & virtute: Soluto cum Margarita Frãciæ matrimonio duxit Mariã de Medicis, ex qua tres filios totidemq; filias suscepit; Ludouicus primogenitus regnauit, secundus moritur adhuc paruus, tertius Dux Aurelianensis adhuc viuit; ex filiabus prima nupsit Philippo IV. Hispaniæ Regi dicta Elisabeth; secunda nomine Christina Victori Sabaudiæ Duci, & tertia nomine Henrica Carolo Angliæ Regi: Dum Henricus mira prudentia regnum gubernat, & ad nouas acquisitiones potentissimum parat exercitum, venenato cultro Parisiis in curru trucidatur die 14. Maij anno 1610.

Apud Saracenos siue Turcas Selim filius Bajazeth, occisis fratribus Corcut & Achmat, ac septem nepotibus, regnum inuadit anno Christi 1512. Partem mediæ cum ciuitate Tauris olim Ecbatanis, totam Ægyptum & Syriam, deuictis earum Regibus, suo nectit imperio: Cumque rediisset Constantinopolim, indeque pergeret Adrianopolim, moritur anno Christi 1520. Imperij 8. Soliman eius filius & successor statim in Pannonia Belgradum obsidet, & anno 1522. expugnat, sequenti etiam anno Rhodum insulam capit, aliasque Archipelagi insulas; pluresq; Pannoniæ ciuitates, Budam, Albam Regalem, & Strigoniam; Item capit Babylonem, Van Armeniæ, Tripolim Syriæ & alias; imò anno 1565. numerosa triremium Classe Melitam insulam, & copioso exercitu Viennam Austriæ obsessit; sed ab vtraque obsidione coactus recedere moritur die 4. Septembris anno 1566. Imperij 46. Cuius filius successor Selim II. Cyprum insulam aliasque ciuitates Venetis eripit anno 1571. sicut & Gobetam Hispanis anno 1574. sed die 7. Octobris anni 1572. ad Lepanthum classis eius trecentarum circiter triremium deleta fuerat, vbi viginti quinque millia Turcarum occisa, quatuor millia cum Duce generali capta, quatuordecim verò Christianorum millia fuerunt à captiui-

tate

tate liberata: Tandem moritur anno Christi 1575. Imperij 9. Successit illi filius eius Amurath III. qui factus Imperator quinque suos fratres coram se strangulari iussit, bellum mouit contra Persas & alios vario euentu: Tandem moritur die 6. Ianuarij anno 1595. Imperij 10. Filius eius Mahometh III, succedens nouemdecim fratres, & octo patris vxores enecat. Fuit infœlix in bello, nam plures amisit ciuitates, vt Strigoniam & Iauarinum; imò & integras prouincias, vt Transsiluaniam, Valachiam, & Moldauiam: Peste moritur Constantinopoli anno Christi 1603. die 21. Octobris.

Apud Æthiopes fuerunt sequentes hoc ordine Reges: Helena coniux Nahud ob minorem filij sui Dauid ætatem. Ipse Dauid, Asnasaghet, & Adamastus.

Apud Persas Ismaël Sophi filius Xeque Aidar ex prosapia Aly nepotis & generi Mahometis anno 14. ætatis & Christi 1500. patris mortem vlturus insequitur Fatrok Yacar Regem Xiruam eius interfectorem, debellat & occidit, eiusque regnum inuadit: Anno sequenti ciuitatem Tauris occupat, deinde alias Persidis ciuitates vt Sciras; Anno verò Christi 1510. Babylonem vulgò Bagdad capit, deinde Susam nunc Suster, totumque regnum Kusistan; Anno sequenti regnum Vzbek & Korason acquirit: Tandem victoriis clarus moritur anno Christi 1524. Cui successit Tahamas eius filius, & contra Soliman Turcarum Imperatorem bellum gessit, cum quo postea pace firmata regnauit vsque ad annum Christi 1576. Filius eius & successor Ismaël II. regnat vno tantùm anno & decem mensibus. Illi successit eius frater Mahameth & filius eiusdem Tahamas, qui quamuis cæcus regnat septem annis, & moritur anno Christi 1585. Vbi nota, quòd Rex Persidis paulò humanior quàm Imperator Turcarum, non occidit fratres, sed excæcat aurea candente lamina oculis obiecta, & in castellis recludit. Mahameth successit Xa-Abbas seu Rex Abbas, de quo dicetur sæculo sequenti.

Apud Indos Orientales Babor nepos Hamed regnum assumpsit, qui Patanes ex occupatis Indiis expulsos ad Insulas freti Bengalæ redegit; cumque triginta octo annis regnasset, moritur anno Christi 1532. relictis duobus filiis, Homayon

Mirza

Mirza, & Kamoran Mirza (Mirza idem est ac Princeps :) Homayon filius Bator patri successit, qui fugit in Persidem, rebellante Xirkan Prorege, vbi à Tahamas Rege copiosum impetrat exercitum sub duce Beyran Kan cum hac conditione, quòd legem Mahometis secundùm interpretationem Aly deinceps sequeretur : His auxiliaribus turmis breui regnum recuperat occiso Kirkam rebelle. Gelaladin Akbar siue magnus, Homayon patri succedit, suumq; imperium subiugatis pluribus regnis auget; regni siquidem Cambaiæ, Decani, Caximir & alia acquirit, totamque penè Indiam citeriorem sibi fecit tributariam: dilectus erat omnibus siue Christianis, siue Mahometanis, siue Gentilibus; ita crudelitatem & sanguinē abhorrebat, vt suis ministris prohibuerit quemquam interficere, nisi ter ipse priùs iussisset : moritur 27. Octobris anno Christi 1605. tribus relictis filiis, videlicet Scieco seu Selim, Pahari quem alij vocant Morad, & Dan siue Daniel.

Apud Scothos anno Christi 1513. Iacobo IV. successit filius eius primogenitus Iacobus V. Cui anno 1542. successit Maria filia eius vnica, quæ 18. mensium paruula coronatur, sexto ætatis anno ducitur in Galliam, & decimo quinto nubet Francisco II. Regi Galliæ: quo mortuo sine filiis rediens in Scothiam Henricum d'Arlei Comitem de Leuox maritum accipit, ex quo Iacobum VI. suscepit, ipsoque violenter perempto tertium ducit maritum Comitem Bothuëlem, qui postea perit in carcere : Ipsa verò ex castro fugiens in Angliam, post longum & asperum carcerem, ab Elisabeth Angliæ Regina iubetur decollari, præsertim quia Catholica die 18. Februarij anno 1587. Cui Iacobus filius successit in regno Scothiæ, qui etiam assumitur in regem Angliæ.

Apud Hispanos, Ferdinando & Isabellæ successit Philippus I. Comes Flandriæ, qui Ioannam eorum primogenitam duxerat vxorem. Philippo patri successit Carolus V. electus postea Imperator; Deinde sequitur Philippus II. Cui mortuo anno Christi 1598. successit Philippus III. filius.

Apud Anglos Henrico VII. successit Henricus VIII priùs defensor Ecclesiæ & factis, & scriptis contra Lutherum : sed miser postea mulierum cæcatus amore (quinque enim duxit

ſucceſſiuè, ſed primam illegitimè repudiauit) decidit in hæreſim vocans ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ, totum regnum peruertit, & innumeros peremit Catholicos. Huic ſucceſſit Edoardus filius eius hæreticus. Cui breui mortuo, diſpoſitione Henrici patris ſubſtituitur Maria ex Catharina Hiſpania ſuſcepta, quæ nubens Philippo II. Hiſpaniæ Regi ſuum Angliæ regnum ad fidem Catholicam reduxit: Cui mortua anno 1558. abſque liberis, ex eadem Henrici diſpoſitione ſufficitur Eliſabeth, eius ſoror ex patre, ſed filia Annæ de Bolen, quæ regnum Angliæ contra fidem datam iterum peruertit, & moritur anno Chriſti 1603.

Apud Polonos poſt Alexandrum regnatur Sigiſmundus I. Cui ſucceſſit Sigiſmundus II. cognomento Auguſtus, rex vltimus ex familia Iagellonia, quæ huc vſque perſeuerauerat. Huic mortuo anno Chriſti 1572. ſubſtituitur Henricus Valeſius frater Caroli IX. Regis Galliæ. Sed breui reuocato ad hæreditarium regnum ſufficitur Stephanus Bathorius Dux Tranſſiluaniæ anno Chriſti 1575. Quem ſequitur Sigiſmundus III.

Apud Luſitanos Rex Emmanuël plures habuit filios & filias, ſcilicet Ioannem primogenitum, Ludouicum ſecundogetum patrem Antonij, ~~Iſabellam Philippi II. Hiſpaniæ Regis matrem~~, Beatricem Philiberti Emmanuëlis matrem, Ferdinandum & Alphonſum abſque liberis, Henricum Cardinalem, Edoardum patrem Mariæ & Catharinæ, ac Antonium ſine filiis. Mortuo Emmanuëli ſucceſſit Ioannes III. eius primogenitus, qui filios quidem ſuſcepit, ſed ante ſe mortuos vidit: Ex filio Ioanne principe nepotem habuit Sebaſtianum filium Ioannæ Caroli V. Imperatoris filiæ, qui patri poſthumus auo Ioanni III. ſucceſſit anno Chriſti 1557. ætatis 3. qui procedens contra Tyrannum Marrochi deleto exercitu periit anno Chriſti 1578. Luſitani tam funeſtum audientes nuntium, Regem nominant Henricum Cardinalem Emmanuëlis filium adhuc ſuperſtitem, qui ſenex admodum nubere noluit: Et ita ſine liberis decedente anno 1580. regnum ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem deuenit; multi erant prætendentes ſcilicet Princeps Antonius Ludouici ex Yolanta filius, aut legitimus ſecretus, aut poſtea per Pontificem legitimatus, qui ſimul

cum

cum Rege Sebastiano processerat in Africam, vbi mortuus credebatur; sed inde euadens venit in Lusitaniam, & post mortem Henrici patrui Rex creatur à populo prædicto anno 1580. in vrbe S. Irenes, deinde ab omnibus ordinibus Vlyssipone, deniq; in Vrbe Setuual: sed potentiæ Philippi II. cedens recessit, filium post se Emmanuëlem in Gallia relinquens.

Inter Scriptores prophanos floruerunt Robertus Gaguinus, Hieronymus Osorius, Desiderius Erasmus, Petrus Rebuffus, Guillelmus Budeus, Ioannes Despauterius, Franciscus Vatablus, Paulus Emilius, Paulus Iouius, Franciscus Guichardinus, Martinus Cromerus, Andreas Alciatus, Mattheolus Senensis, Georgius Agricola, Ioannes Fernelius Ambianensis, Iulius Cæsar Scaliger, Abraham Orthelius, Guillelmus Paradinus, Hieronymus Cardanus, Guillelmus Postel, Fracíscus de Belleforest, Petrus de Ronsard Poëta, Iacobus Cuiacius, Natalis Comes, Tico Brahe, & alij prorsùs innumeri.

Plus fuerunt hoc sæculo hæresiarchæ, quàm simul in omnibus præteritis à Christo Domino; si singuli forent etiam tantummodò nominandi, liber integer requireretur. Præcipui sunt: Martinus Lutherus Princeps & caput aliorum, Montzerus caput Anabaptistarum, Andreas Carolostadius, Ioannes Oecolampadius, Vvaldricus Zuinglius, Dauid Georgius, Philippus Melanchthon, Martinus Bucerus, Guillelmus Farel, Ioannes Caluinus, Michaël Seruetus, Ioannes Brentius, Carolus Molineus, Petrus Martyr, Henricus Bulinger, Theodorus Beza, Andreas Osiander, Bernardinus Ochimus: Et alij qui non solùm nouas hæreses inuenerunt, sed etiam omnes antiquas suscitarunt, Arij, Sabellij, Manichæorum, &c.

Multa memoriæ digna successerunt hoc sæculo. Anno 1501. Senatus Aquensis in Galloprouincia erigitur: Tunc Patres S. Francisci proficiscuntur in Indias Orientales ad conuersionem infidelium, quos postea sequuntur Patres S. Dominici, Societatis Iesv, S. Augustini, & Nostri Carmelitæ Discalceati. Anno 1502. fundatur Vniuersitas Vvittembergensis. Anno 1503. Regnum Manicongo fidem Christi recipit. Anno 1506. fundatur Vniuersitas Francofurdiensis. Anno 1510. in Marchionatu Brandeburgensi hostia consecrata à Iudæo percussa

ſanguinem emiſit. Anno 1515. Petrus Maromitarum Patriarcha legatos ad Concilium Lateranenſe miſit. Anno 1517. erigitur Complutenſis Vniuerſitas. Anno 1522. Chriſtiernus Daciæ Rex fidem Catholicam relinquit; vnde tria amittit regna, & miſer moritur in catenis: Tunc etiam Rhodus Inſula capitur à Turcis. Anno 1524. Dauid Rex Æthiopiæ legatos ad Clementem VII. miſit pro vnione Catholica. Quo etiam anno die 6. Iunij tres ſoles propè Lugdunum apparent. Et Ordo Theatinorum fundatur. Anno 1525. incipit Ordo Capucinorum. Anno 1528. bellum, fames, & peſtis in Europa graſſantur. Anno 1531. die 12. Maij duo ſoles propè Lugdunum apparent. Anno 1534. Henricus VIII. in Anglia fit hæreticus. Anno 1535. Gebennenſes Epiſcopo expulſo fiunt hæretici. Tunc etiam cœpit Societas IESV, qui poſtea anno 1540. confirmatur. Anno 1541. die 7. Aprilis S. Franciſcus Xauerius Vliſſipone nauigat in Indias Orientales. Anno 1545 creatur Dux Parmæ Petrus Ludouicus Farneſius à patre ſuo Paulo III. Summo Pontifice: Cui poſt duos annos occiſo ſucceſſit filius Octauius gener Caroli V. ob ductam Margaritam eius filiam: moritur anno 1585. & ſucceſſorem habet Alexandrum filium: Cui morienti anno 1592. ſuccedit Raïnucius filius: Qui moriens anno 1622. ſucceſſorem relinquit Eduardum ſecundogenitum, quia Alexander primogenitus, vtpotè mutus, iudicatur ineptus regimini: Eduardo ſucceſſit filius qui nunc dominatur, nomine Raïnucius II. Anno 1546. bellum incipit inter Carolum V. & Proteſtantes. Anno 1553. fides Catholica reſtituitur Angliæ. Et Senatus Britanniæ minoris inſtituitur. Anno 1556. in Polonia ſacra Hoſtia à Iudæo percuſſa copioſum emiſit ſanguinem: ſicut & imago Crucifixi lapidibus appetita, cuius ſacrilegij reus Moguntiæ punitur. Anno 1558. à Gallis Caletum eripitur Anglis. Anno 1559. ſub Eliſabeth Regina iterum Anglia deficit à fide Catholica. Anno 1562. Patriarcha Neſtorianorum venit Romam fidem Catholicam profeſſurus. Anno 1566. Nicoleta Obry poſſeſſa Lauduni liberatur exorciſmis Eccleſiæ tam euidentibus & horribilibus ſignis, quòd multi hæretici conuertuntur. Et Buſcoduci in Brabantia quidam frangentes ſtatuam S. Antonij

concremandam, igne sacro torquentur ad instar granorum piperis per totum corpus erumpente, & die sequenti miserè pereunt. Quo etiam anno ad fidem conuerso Romæ Elia Archisynagogo, plusquam trecenti Iudæi eius exemplo conuertuntur. Anno 1570. sic Rhodanus intumuit, quòd partem ciuitatis Lugdunensis innundauerit, & partem pontis tam Lugdunensis quàm Viennensis deiecerit. Anno 1573. tam Mussiponti, quàm Duaci fundatur Vniuersitas. Anno 1576. die 21. Iunij in oppido Soulque propè Castilionem tres hæretici milites imaginem S. Antonij armis percutientes igne sacro torquentur, quorum vnus statim moritur cadens in terram, secūdus se in torrentem proiiciens suffocatur, tertius pœnitens liberatur & conuertitur Anno 1582. S. M. N. Theresia miraculis clara moritur, cum iam multos nostræ cōgregationis Discalceatorum conuentus per viginti circiter annos fundasset. Anno 1584. Patres Recollecti suam reformationem in Occitania cœperunt. Anno 1585. Legati Iapponenses Romam veniunt summo Pontifici obedientiam præstituri. Et in oppido Venterol Delphinatus die iouis maioris hebdomadæ exposito sanctissimo Eucharistiæ sacramento, totus Ecclesiæ apparatus consumitur igne, solus circulus vbi Sacra continebatur hostia præseruatur. Circa annum 1590. in Vrbe Malaucena status Auenionensis patria mea à quodam affine meo occisus est draco miræ magnitudinis. Anno 1593. die 14. Nouembris imago S. Nicolai Tolentini Romæ in altari Ecclesiæ sui ordinis copiosum sudat sanguinem. Anno 1600. mense Martio Ordo pœnitentium Tertiariorum fundatur Parisiis.

DECIMVM-SEPTIMVM CHRISTI SÆCVLVM.

POst mortem Clementis VIII. die 3. Aprilis anno 1605. creatur Pontifex Alexander de Medicis, qui vocatur Leo XI. ipsa die creationis eius ex sorore nepos Lelius Vbaldinus in nostra Discalceatorum congregatione, cum benedictione & lachrymis Auunculi Pontificis recipitur sub nomine Alexandri, qui in summa perfectione ad multos annos vixit, &

cum opinione sanctitatis moritur: Hic Pontifex magnam sui spem dederat, sed post paucos dies moritur, die scilicet 27. eiusdem mensis Aprilis, qui noluit moriens nepoti suo pileum Cardinalitium concedere, quem tamen ei postea Paulus V. concessit. Mortuo Leoni Sufficitur Camillus Burghesius Romanus, qui nomen Pauli V. assumpsit, die 16. Maij eiusdem anni 1605. & die 29. Maij, qui fuit Pentecostes, coronatur. Fuit Pontifex Optimus, qui Vrbem Romam pluribus monumentis ornauit, adducto fonte copiosissimo, Quirinali palatio, Frontispicio Vaticanæ, Basilicæ, Columna S. Mariæ Majoris, aliisque sacris, vt magnifico eiusdem Ecclesiæ sacello: Principes Christianos ad pacem reduxit, quam ipse Venetis mediatione Regis Galliæ concessit: S. Franciscam & S. Carolum canonizauit: tandem moritur cum totius orbis Christiani mœrore die 28. Ianuarij anno 1621. Cui successit Gregoriu XV. dictus antea Alexander Ludouisius Bononiensis, electus die 9. Februarij sequentis: Hic inter alia memoriæ digna quinq; Beatos sanctorum numero adscripsit; Videlicet Isidorum Madritensem, Ignatium Loyolam, Franciscum Xauerium, Nostram Theresiam à Iesu, & Philippum Nerium: Congregationem de propaganda fide instituit, & post alia pia opera moritur die 8. Iulij anno 1623. Cui sufficitur die 6. Augusti Maffeus Barbarinus Florentinus, qui nomen Vrbani VIII. sumpsit, qui in magnis Christianorum Principum discordiis Ecclesiam Vaticanam in multis ornauit, æneo præsertim opere ad sepulchrum S. Petri, Elizabetham Lusitaniæ Reginam, & Nostrum Andream Fesulanum sanctis adscripsit, breuiarium Romanũ reformauit, & post gestum cum aliquot Italiæ Principibus bellum, moritur mense Augusto anno 1644 Eique subrogatur die 14. Septembris eiusdẽ anni Ioannes Baptista Pamphilius Romanus, qui anno 1654. die 27. Decembris, in iisdem Principum Christianorum dissidiis sedit decem circiter annis. Quo mortuo post longam eligentium dissentionem tandem sufficitur Fabius Cardinalis Chisius Senensis anno 1655. die 7. Aprilis, qui nomen Alexandri VII. sumpsit, & nunc turbata adhuc Europa sedet: quamuis iam inita pace inter Gallos & Hispanos, vt creditur, vniuersalis in toto orbe Christiano concordia

cordia speretur, admodum necessaria, & ab omnibus desiderata, vt tot malis tam spiritualibus quàm temporalibus finem imponat; ad laudem & gloriam Dei, ad Ecclesiæ Catholicæ solatium, & ad Christiani populi plurimùm contriti leuamen.

Sub his Pontificibus aliqua sunt celebrata concilia. Anno 1612. die 13. Martij Parisiēse sub Cardinale Perronio Aquense eodem anno in Galloprouincia. Anno 1614. Parisiense concilium nationale.

Inter Patriarchas Alexandrinos seculo præcedenti reliquimus Cyrillum hæreticum, qui circa annum 1600. cœpit, & anno 1618. sedebat adhuc, cuius successores ignoramus. Inter Patriarchas Antiochenos post Ioachimum inuenimus Hierotheum, qui sedit vsque ad annum 1610. Cui successit Athanasius Catholicus, hic vltra annum 1618. sedit. Inter Patriarchas Ierosolymitanos post Germanum sequitur Sophronius Catholicus, qui sedit vsque ad annum 1608. Huic successit Theophanes, qui anno 1618. adhuc sedebat. Inter Patriarchas Constantinopolitanos vltimum reliquimus restitutum Neophitum, quo rursùs expulso mense Octobri anno 1612. successit Cyrillus Alexandrinus hæreticus, qui post viginti & vnum diem expellitur à Timotheo Patracensi Archiepiscopo Catholico: Hic anno 1623. à quodam Gregorio Metropolita Amasee expulsus exulat in Insula Rhodo: Ipse autem Gregorius expellitur ab Anthymo Metropolita Adrianopolis: Quibus tandem sufficitur idem Cyrillus hæreticus ab exilio rediens.

Innumeri fuerunt hoc sæculo scriptores sacri, & præsertim ex ordinibus religiosis, quorum præcipui sunt: Cæsar Baronius, Robertus Bellarminus, Iacobus du Perron, V.P.N. Ioannes à Iesu Maria, N. Thomas à Iesu, Thomas Besius. Florimundus de Raymond, Nicolaus Coëffeteau, S. Franciscus de Sales, Henricus Spondanus, Aubertus Miræus, Andreas du Val, Franciscus Suarez, Gabriël Vasquez, Ludouicus de Molina, Gregorius de Valentia, Nostri Complutenses & Salmanticenses, Ioannes à S. Thoma, Nicolaus Ysambertus, N. Franciscus à S. Maria, Iacobus Gaultier, & alij.

Præter adductos sanctitate floruerunt N.V.Pater Petrus à matre Dei,trium Pontificũ Cõcionator,de quo Baronius ait, quòd eius sæculo vix Romæ sanctior apparuit, N.V.F.Franciscus à Puero Iesu mira simplicitate & miraculis clarus, N. V.P.Dominicus victoria Pragensi celeberrimus:Venerabiles alij quàm plurimi ex nostris, quos nunc breuitatis causa omitto, tam religiosi quàm religiosæ, tantùm indicatis Catharina à Christo, Isabella à S.Dominico, Anna triplici, scilicet à Iesu,à S.Bartholomeo,& à S.Augustino, quæ fuerunt omnes alumnæ S.M.Theresiæ: V.P.Cæsar de Bus Cabellionensis author congregationis Doctrinæ Christianæ,P.Angelus de Ioyeuse Capucinus, P.Bartholomeus Solutiuus. Possent hic apponi martyres quàmplurimi tam sæculares quàm religiosi, quos etiam tantùm indicare longum esset; solum adducam N. Dionysium à Natiuitate cum socio Redempto à Cruce Martyrem pluribus prodigiis post mortem succedentibus inclytum, quem in Indiis Orientalibus ad nostram religionem admisi.

Quantum attinet ad res prophanas: Imperantem reliquimus Rodulphum II. Cui anno Christi 1612.successit frater eius Matthias, qui iam senex adoptat Ferdinandum II. Austriacum,ipsumque Regem Bohemiæ & Hungariæ coronat, Hic Ferdinandus in locum Matthiæ demortui Viennæ eligitur Imperator die 28. Augusti anno Christi 1619. sed à Comite Palatino Rheni aliquamdiu impugnatur, ipso tamen miraculosè debellato & pulso pacificè postmodum imperat aliquot annis; Verùm à Gustauo Adulpho Suécorum Rege & Gallis postmodum infestatus moritur. Cui successit filius Ferdinandus III.anno 1648.qui iisdem bellis implicatus moritur mense Aprili anno 1657. successor eius Imperator electus est filius ipsius Leopoldus die 1.Augusti anno 1658.

Apud Gallos statim post funestam Henrici IV.necem Ludouicus XIII. eius primogenitus Rex declaratur,& eodem anno 1650.die 17.Octobris consecratur Rhemis,qui semper bellum gessit,primò contra aliquos rebelles Principes, deinde contra hæreticos sui regni insolentes,quos capta Rupella cæterisque ciuitatibus munitis omninò subiecit: denique

contra

contra Austriacos tum Germaniæ tum Hispaniæ, quibus non solùm ciuitates sed etiam prouincias armis eripuit : moritur insignis pietate anno 1643. die 14. Maij, quæ fuit Ascensio Domini. Huic successit Ludouicus XIV. eius primogenitus sub Regimine Matris : cuius regnum sex primis annis faustum ac victoriis plenum fuit in bellis aduersùs Austriacos continuatis: Postea ad defectionem Principis Condæi rebelles prouinciæ & ciuitatis multum laboris ei facessunt : sed iterum pacifico regno, ad pristinam rediit victoriarum prosperitatem: nunc postremo ex lethali morbo penè rediuiuus totum exhilarauit regnum.

Apud Turcas post Mahometh III. successit anno 1603. Achmet eius filius, vir iustus & mansuetus, qui præter consuetudinem fratri suo Mustafa parcit, & castello reclusum in fine vitæ suum designat successorem: Pacem cum Persis, Hungaris & aliis gentibus iniit: moritur die 11. Nouembris anno 1617. Osman siue Ottoman primogenitus Achmet, cum adhuc tredecim esset annorum, Imperator declaratur anno 1618. patruo eius Mustafa Carceri restituto : qui contra Polonos exercitum trecentorum millium militum direxit ; sed ab exercitu Polono superati Turcæ ac valde diminuti redire coguntur: Cumque Imperator ex metu Polonorum, vt creditur, Constantinopolim relinquere, & sedem Imperij Memphim in Ægypto transferre decreuisset, die 18. Maij anno 1622. Ianisseri rebelles palatium Imperiale ingressi, plures eius familiares occidunt, & tandem ipsummet Imperatorem in quadam turri reclusum strangulant, & patruum eius Mustafa è carcere eductum throno restituunt. Hic suæ matri regimen Imperij commisit ob suam incapacitatem, cuius tempore Abbas Rex Persarum Babylonem capit, cumque plures in Imperio tumultus essent, mense Septembri anno 1623. voluntariè è throno ad vitam priuatam redit. Vnde sublimatur Amurath IV. eius nepos & frater Osman, cum sexdecim esset annorum: tres numerosos exercitus contra Persas ad recuperandam Babylonem direxit; sed duo priores penè deleti re infecta redierunt; tertius in quo aderat ipse Imperator, Babylonem proditione potiùs quàm armis obtinuit: hic multis

è suis interfectis necem fratris vindicauit, Christianis valdè fuit infensus, & moritur anno 1639. post reditum è capta Babylone Moriturus fratrem suum Ebrahim declarauit Imperatorem: hic cum filium, quem voti causa miserat Meccam, ab Equitibus Melitensibus captum vidit, tanto furore Christianos persequitur, vt statim comparata ingenti triremium Classe Venetos impetere cœperit, & insulæ Cretæ Caneam ciuitatem aliasque vsurpauerit: sed Veneti mirante toto orbe iam per aliquot annos tam potentis hostis impetum sustinuerunt: Tandem Ebrahim ad instar Osman fratris à suis occiditur. Et sufficitur ei Solyman filius, qui idem bellum contra Venetos vario Marte persequitur.

Apud Æthyopes post Adamastum inuenimus regnantem Sultan Coget Sequeda, sub quo Patres societatis fœliciter aliquamdiu in sua missione processerunt, sed postea ab eodem expulsi sunt, redeuntem inde vidi Goæ Patriarcham D. Alphonsum Mender cum aliis.

Apud Persas regnantem reliquimus Regem Abbas, qui regnum optimis legibus muniens circumquaque dilatauit, multis adiunctis prouinciis recenter acquisitis, vel iterum restitutis, vt Tauris, Sciras, Babylonis, Cardar, Lara cum Ormuzio, &c. Moriturus nepotem suum nomine Sephi ex primogenito quem ipse iusserat occidi, regni successorem reliquit, qui Babylonem & Cardar amisit suorum proditione; hunc in Perside vidi. Cui successit filius Abbas II. hactenus regnans.

Apud Indos Oriētales Scieco seu Selim patri successit, qui fuit valdè Christianis affectus: Primogenitum rebellem captum excæcauit, & carceri mancipauit; destinato regni successore secundogenito nomine Peruis, moritur. Corron alius Selim filius, vel ex primogenito eius nepos, postea regnum inuadit, qui Christianorum acerrimus & infensissimus hostis Lusitanos in regno Bengalæ vexabat, dum in Indiis morarer; Vnde discedens ipsum crudeliter regnantem reliqui.

Apud Scothos regnantem vidimus Iacobum VI. post Mariam matrem Reginam, qui cum fuerit postea in Regem Angliæ assumptus, hæc duo regna fuerunt simul vnita: Vnde filius eius Carolus in vtramque successit coronam.

Apud

Apud Hispanos regnantem ab anno Christi 1598.reliquimus Philippum III. qui Margaritam Austriæ duxit vxorem, ex qua tres filios duasque filias suscepit, scilicet Philippum, Carolum,& Ferdinandum Cardinalem,Annam Galliæ reginam,& Imperatricem. Anno 1608.die 13.Ianuarij Philippum primogenitum Castellæ regem nominauit, & anno 1610. Maurorum reliquias ex Hispania ad nongenta millia expulit: Et moritur anno 1621.die 8.Martij.Filius eius Philippus,iam ab anno 1615.Elisabethæ Franciæ nuptus successit,qui nouis cum Gallia bellis, Lusitanorum reuolutione, & multorum Clientum rebellione plures amisit regni sui ditiones; adhuc iisdem vexatus bellis regnat. Sed pace cum Gallis iam inita, vt communiter creditur,tot bellorum finis speratur, ac vniuersalis in toto orbe Christiano concordia.

Apud Anglos, post mortem Elisabeth, quæ accidit anno 1603.die 4.Aprilis, eiusdem nominatione proclamatur Rex Angliæ Iacobus VI. Rex Scothiæ,quasi propinquior hæres: non matrem Catholicam & martyrem,sed errores Anglorum secutus ad ipsos regnum Scothiæ adduxit anno 1606. Anno 1608. nouam misit Coloniam in insulam Indiarum Occidentalium Virginiam: Et tandem anno 1625.in sua moritur hæresi.Cui successit filius eius Carolus I.qui Henricam Mariam Franciæ Regis Ludouici XIII. sororem duxit vxorem, ex qua tres filios totidemque filias suscepit:Hic Rex infœlix, cum causa iurisdictiones ab Angliæ parlamento diffideret,& arma contra ipsum sumpsisset,captus miser diuturno carceri mancipatur, & instructo processu postmodum per manum carnificis capite plectitur anno 1648.mēse Februario.Cuius filij primùm in Gallia,deinde in Flādria degunt exules. Dum Milor Oliuier Cromuuel declaratus trium regnorum Angliæ coronæ protector,scilicet Angliæ,Scothiæ & Hiberniæ,cuncta moderatur authoritate maiori,quàm antea Reges gubernarent. Huic mortuo succedit filius Richardus Cromuuel anno 1658.

Apud Polonos regnantem Sigismundum III. reliquimus, Principem pietate & victoriis contra Turcam gloriosum.Cui anno 1620.sufficitur Vadislaus filius,patrem in pietate & vir-

tute imitatus. Huic decedenti substituitur frater ipsius Casimirus, cuius tempore sollicitantibus Poloniæ rebellibus Rex Suëcorum ingenti exercitu totum penè regnum inuadit : sed tandem Rex Casimirus auxiliis aliorum adiutus adeptum sibi regnum acquirit.

Apud Lusitanos regnantem vidimus Philippum II. Hispaniæ Regem ab anno 1580. Cui paruerunt Lusitani, sicut & filio eius Philippo III. ac nepoti Philippo IV. vsque ad finem anni 1640. licet inuiti: Cum diu Regem suum Sebastianum, credentes ipsum viuere, expectassent, tandem de eius aduentu desperantes oblatam regni restituendi capiunt occasionem; nam cum innatam à Castellanis auersionem & propriæ monarchiæ cupiditatem haberent; Aliunde verò Regem Hispaniæ nimium bello Gallico occupatum, seque tributis immoderatis onustos viderent, iugum excludere diu cogitarunt, & tandem die 1. Decembris anni prædicti nouum Regem proclamant Ducem Bragantiæ sub nomine Ioannis IV. & quindecim dierum spatio totum ei regnum subiiciunt cum omnibus dependentiis vltrò accedentibus audito huius reuolutionis nuntio: Hic Ioannes eligitur, quasi præsumptus hæres legitimus, erat enim filius D. Theodosij de Bragantia Capti in Africa in cæde Regis Sebastiani, indeque postmodum dimissi, cuius mater fuit D. Catharina filia Edoardi Principis : Excluso namque D. Antonio cum filiis, vt vidimus, quia non credebatur communiter legitimus, nullus restabat successor ex filiis Regis Emmanuëlis: exclusis etiam per leges fundamentales regni posteris Elisabethæ, & Beatricis filiarum eiusdem Emmanuëlis, vtpotè nuptarum extra regnum ; & pari ratione excluso Duce Parmæ filio Mariæ primogenitæ sororis dictæ Catharinæ, Dux Bragantiæ ipsius Catharinæ ex Theodosio filio nepos iudicatus est vnicus hæres legitimus regni, qui etiam de nouo in Comitiis generalibus eligitur: Vnde Galliæ, Suëciæ, aliorumque Principum armis adiutus contra Regis Hispaniæ conatus regnauit vsque ad annum 1655. Cui morienti successit filius Alphonsus.

Inter præcipuos Scriptores prophanos huius sæculi numerantur Iustus Lipsius, Prosper Farinacius, Antonius Faber,

Petrus

Petrus Mattheus, Galilæus de Galilæis, Copernicus, & alij plures.

Fuerunt etiam hoc sæculo quàm plures hæresiarchæ: Vt Arminiani Gomaritæ, Marcus Antonius de Dominis, Lucilius Vaninus Athrus, Illuminati, Præadamitæ, cuius author hæresis Isaac Pereira nouissimè fuit Romæ reconciliatus Ecclesiæ. Quotidie nouæ pullulant hæreses, nuper prodiit libellus de reditu iustitiæ Originalis & inchoatæ beatitudinis ante finem mundi.

Quàm plurima successerunt hæc sæculo memoriæ digna, præter ea quæ iam indicata sunt. Anno 1601. sanctorum Cathalogo inseritur à Clemente VIII. Raymundus de Pénafort Ordinis Prædicatorum: Et à Duce Mercurio Alba Regalis Hungariæ capitur Turcis. Anno 1602. Henricus IV. Rex Galliæ grauissimis pœnis singularia prohibuit certamina. Anno 1603. Dominus à Ponte primus ad regnum Canada nauigauit. Anno 1604. dedicatur in Flandria Sacellum B. Mariæ de Monte Acuto. Anno 1606. Iuliana Morales Barcinonensis annorum 13. edocta linguam Latinam, Græcam & Hebraicam, doctissima in Iure & Philosophia theses cum omnium applausu Lugduni defendit, quæ postea mundum relinquens Auenione conuentum S. Praxedis ingreditur, vbi plures annos mira pietate vixit, & ab aliquot annis decessit plena meritis. Anno 1608. in die Pentecostes successit in Ecclesia Abbatiali de Fauernas in Comitatu Burgundiæ miraculum Sanctissimi Sacramenti, quo altari succenso non solùm reliquiarum argenteum, in quo continebatur hostia, nō læditur igne, sed manet suspensum in aëre sine vllo adminiculo triginta trium horarum spatio, & postea cunctis mirantibus celebrante sacerdote descendit ad suppositum in altari corporale, tempore quo sacerdos post eleuationem Sacramentum demittebat. Die 29. mensis Maij eiusdem anni S. Francisca Romana à Paulo V. Canonizatur. Anno 1609. dum minister hæreticus in Guistbourg Germaniæ Sanctissimum Sacramentum irridet repentina morte punitur. Et 1611. pari pœna plectitur minister Anglus in Hibernia, qui Beatissimæ Virginis imaginem combusserat. Anno 1614. moritur propè Lugdunum

num Claudia Monferrat centum sexaginta annorum. Et die 26. Februarij, dum Gratianopoli celebratur Iubileum in Ecclesia S. Andreæ, super eius pinnaculum apparuit stella ab hora post meridiem vsque ad noctem. Et die 15. Maij Princeps Neubourg Lutheranismum abiurat. Anno 1618. die 26. Iunij cruces sanguineæ in lucidissimis globis apparuerunt in aëre. Et die 4. Septembris Oppidum Pleuri in valle Telina montis cadentis oppressum ruinis sepelitur. Et mense Nouembri magnus Cometa diu apparuit in Gallia & alibi, quem ipse vidi. Anno 1620. successit die 8. Nouembris mirabilis illa Pragensis victoria, qua debellantur hæretici Palatini rebelles Imperatori. Et in Prouincia Bearniæ fides Catholica restituitur. Anno 1622. Persæ Lusitanis Ormuzium eripiunt in Sinu Persico. Anno 1623. die 25. Februarij Maximilianus Dux Bauariæ instituitur elector sacri Imperij & Dapifer, excluso Comite Palatino quasi rebelle. Anno 1623. dum tres iuuenes propè Venciam ambulantes vident ædificari capellam Beatissimæ Virginis, cum essent hæretici, vnus per conuicium ait, hoc ædificium erit locandis equis optimum, qui statim in blasphemiæ pœnam profuso sanguine moritur, & alij duo conuertuntur. Anno 1624. edicto publico Catholici omnes Ecclesiastici pelluntur ex Hibernia. Et confirmatur Ordo Equitum militiæ Christianæ à Duce Niuernensi institutus. Anno 1625. obsessa Rupella Classis Domini de Soubize, deficiente præter ordinem naturæ maris æstu destruitur. Anno 1628. Mortuo duce Mantuano, Hispani Casale Montisferrati nomine Imperatoris obsident, ne ad potestatem Ducis Niuernensis deueniret: sed capta mense Octobri Rupella, & accedente Ludouico Rege soluitur obsidio; Verùm ipso rursùs cum hæreticis occupato Mantua capitur ab Imperialibus, sed facta pace restituitur: hoc bellum fuit semen huius diutini, quod adhuc inter Gallos & Austriacos multis deseuit ab annis. Eodem anno pestis sæuissima per Galliam grassatur. Anno 1632. mons Vesuuius horribili fragore flammas & cineres multis diebus euomens vicinis Neapolitanis multum nocumenti ac terroris attulit. Anno 1652. & 1653. in Galloprouincia pestis renouatur. Anno 1656. grauissima


tum

tum Neapoli tum Romæ, tum Genuæ pestis sæuit, Neapoli ad trecenta penè hominum millia,& Genuæ ad centum millia rapuit: Cui fames maxima priùs Italiam peruagata & duæ solis eclypses cooperatæ sunt,quarum vna duas ex tribus solis partibus operuit,alia verò,licet minor,tam funesta prædicebatur ab Astrologis,quòd timorem maximum cunctis Europæis incusserat. Anno 1650. die 29. Augusti de nocte post horrida tonitrua fulmen cecidit Auenione in propugnaculũ & Ecclesiam S.Martini,vbi maxima pulueris tormentarij copia seruabatur, qui concepto igne non solùm ipsum propugnaculum cum Ecclesia funditus abstulit,sed etiam toti vrbi plurimum attulit nocumenti, tecta domorum disrumpens, muros euertens, & aliquos occidens homines;nisi tam palatium Pontificis quàm Archiepiscopi firmis turribus suis impetum recipiens abreptorum lapidum, ciuitatem operuisset, penè tota fuisset ruinis desolata:multa tunc successerunt,quæ mixtam dæmonum artem indicarunt,de quibus posset longa historia describi : Post tres dies Auenionem appuli,& mirabilis effectus vidi,præsertim in nostro conuentu,vbi speciali protectione Dei nullus læditur pluribus muris cadentibus, sed diuersas in partes contra communem cursum : Vidi prægrandem marmoreum lapidem,cui mouendo vix quinq; sufficiebant, in medio horti nostri à prædicto loco valdè dissiti virtute pulueris translatum : stabat supra ianuam conuentus statua S. Ioseph paruulum Iesum manibus gestantis lapidea, hoc fragore paruulo Iesu scinditur caput tam subtiliter ac si fuisset cereum cultro separatum, & absque læsione ibidem inuentum facilè restituitur:Dum religiosi in illo tempestuosæ noctis horrore currunt ad Sanctissimum Sacramentum velut ad Azilum,non inuenitur clauis sacristiæ in cella sacristæ,vbi prima nocte cum aliis constituerat,tandem inuenitur in porta sacristiæ in summitate plicata, & corrigia coriacea penitùs retorta,quæ cũ naturaliter tunc fieri non potuissent,& aliunde nullus eam detulisset, arte dæmonis facta hæc credebantur:Dimitto alia quæ referebantur, hæc pauca quæ vidi breuiter retuli. Similis tempestas Sauonæ contigit. Anno 1655. Rex Sueciæ Carolus Gustauus Poloniam Ruthenorum rebellione,

bellione, aliquot Palatinorum à Casimiro Rege dissidio, &
Moscouitarum incursione turbatam inuadit, ac penè totam
occupat recedente ipso Rege: Sed auxilio ac confœderatio-
ne Ferdinandi III. Imperatoris, Regis Daniæ, & Marchionis
Brandeburgi roboratus redit Casimirus, Suecios de regno
pellit, quorum Rex in Danos irruit, & continuo lacessat bel-
lo, dum Rex Galliæ mediantibus suis Oratoribus hos Reges
Septemtrionales reconciliare conatus; tandem pacem conclu-
sit. Sub finem anni 1659. in agro Romano aliquot ab vrbe
milliaribus, non longè à via Portuensi fuit occisus draco ma-
ior molosso à quodam venatore, qui iacentis semimortuæ
bestiæ canda punctus in tibia veneno tumuit, & intra tres
dies obiit, vt ab eius fratre mihi successum narrante tunc
manens Romæ didici.

Tandem finio fœlici nuntio pacis initæ eodem anno 1659.
inter Reges Galliæ & Hispaniæ, & firmatæ fausto inter Re-
gem Christianissimum Ludouicam XIV. & Principissam
Hispaniæ Mariam Theresiam matrimonio: quæ pax tamdiu
desiderata breui proclamanda iactatur, & vniuersalem in to-
to orbe Christiano concordiam operatura creditur. Vtinam
quæ dicta sunt, cedant ad laudem & gloriam Dei Optimi
Maximi, Creatoris ac Redemptoris Mundi, cuius historiam
descripsimus, nec non & Sanctissimæ Virginis Mariæ Ma-
tris eius, totiusque Curiæ Cælestis. Dicta omnia subiicimus
iudicio infallibili Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

FINIS.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0031293

